BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
30 — A
15

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

48.5.3.

8.30.A.15

Digitized by Google

Digitized by Google

PRINCIPIA
TOTIUS
THEOLOGIÆ
MORALIS ET SPECULATIVÆ,

EX

S. SCRIPTURA, CONCILIIS,

SANCTIS PATRIBUS,

Biblio. Secr.

MAXIME

S. AUGUSTINO,

Et aliis probatis Authoribus compendiosè deprompta,

Coll. Rom. Soc. Jesu

AUTHORE
FLORENTIO DE COCQ,
Eccleſiæ S. Michaëlis Antverpiæ Ord. Præmonſtr. Canonico,
S. Theologiæ Lectore.

EDITIO SECUNDA.

Ab Authore plurimùm aucta.

TOMUS TERTIUS.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus BALTHAZARIS AB EGMOND, & Sociorum. M DC. LXXXIX.

Cum Approbatione.

Digitized by Google

Digitized by Google

I N D E X
TRACTATUUM, CAPITUM ET SECTIONUM.

CAPUT DECIMUM.
De Religione.

Sectio I. Quid ſit Religio, & qualis ſit virtus. fol. 1
II. De Oratione. 3
III. An & quale præceptum ſit orandi. 5
IV. De Horis Canonicis. 6
V. De iis qui ad horas ſunt obligati. 10
VI. An regulares omnes & potiſſimum moniales teneantur ad horas in conſcientiâ. 12
VII. De uſu Breviarii & Miſſalis. 14
VIII. De cantu Eccleſiaſtico. 16
IX. Quænam à lectione horarum excuſent. 19
X. Quid, cui, & à quo ſit aliquid rogandum. 21
XI. De decimis. 25
XII. Quinam decimas dare debeant, quibus, quando & quâ de causâ? 29
XIII. Quomodo decimæ ſunt exigendæ. 35

CAPUT UNDECIMUM.
De voto.

Sectio I. Quid ſit votum & quotuplex. 39
II. Quænam ad valorem voti ſunt neceſſaria. 43
III. An votum ſoli Deo fieri debeat. 47
IV. De materia voti. 50
V. Quinam vovere poſſint. 58
VI. De obligatione voti. 60
VII. De obligatione voti conditionalis & pœnalis 66
VIII. De diſſolutione votorum. 68

* 2 IX. De

IX. *De ſtatu Religioſo.* 77
X. *De ingredientibus & profitentibus Religionem.* 82
XI. *De voto ſolemni.* 88
XII. *Ad quid teneatur Religioſus ex vi votorum, ac primò de voto paupertatis Religioſæ.* 95
XIII. *Quandonam violatio paupertatis ſit gravis.* 102
XIV. *Quomodo ceſſet obligatio voti paupertatis Religioſæ.* 103
XV. *An & quando Religioſus teneatur reſtituere ob violationem voti paupertatis Religioſæ.* 105
XVI. *Ad quid teneatur Religioſus vi voti obedientiæ & caſtitatis.* 109
XVII. *De juramento.* 115
XVIII. *De conſuetudine jurandi.* 120
XIX. *De obligatione juramenti promiſſorii.* 122
XX. *De obligatione juramenti injuria extorti.* 125
XXI. *De juramento doloſo, ficto, &c.* 127
XXII. *An liceat exigere juramentum ab eo, qui creditur non rectè juraturus.* 131
XXIII. *Quomodo tolli poſſit obligatio juramenti.* 132

CAPUT DUODECIMUM.

De Superſtitionibus.

SECTIO I. *Quid, & quotuplex ſit ſuperſtitio.* 135
II. *De variis ſpeciebus divinatoriis.* 137
III. *De ſortilegiis.* 141
IV. *De magia.* 142
V. *De vanâ obſervantiâ.* 146
VI. *De maleficio.* 149
VII. *De cultu falſo & ſuperfluo.* 152
VIII. *De pietate, obſervantiâ & obedientiâ.* 153
IX. *De gratitudine & veritate.* 156

CAPUT DECIMUM-TERTIUM.

De fortitudine & annexis.

SECTIO I. *Quid ſit fortitudo & ejus officia.* 162
II. *Quid ſit temperantia & in quo ſita.* 165
III. *De abſtinentiâ & ſobrietate.* 167
IV. *De jejunio Eccleſiaſtico.* 173
V. *De luxuriâ & ejus ſpeciebus.* 178
VI. *De aliis ad luxuriam vitium pertinentibus.* 181

VII. *An*

VII. *An in materiâ luxuria detur parvitas materiæ. Item an detur ignorantia invincibilis fornicationis, pollutionis, &c.* 186
VIII. *An teneantur iterare confeſſiones illi, qui ob ignorantiam ſe de pollutionibus, & ſimilibus anteà non accuſaverant.* 190
APPENDIX. *An meretricia publica poſſint in Republicâ Chriſtianâ.*

TRACTATUS QUINTUS.

CAPUT PRIMUM.

De Myſterio Incarnationis.

SECTIO I. *An incarnatio poſſibilis ſit, conveniens, & neceſſaria.* 196
II. *An incarnatio facta ſit.* 199
III. *De fine incarnationis.* 202
IV. *An ſi homo non peccaſſet, Deus incarnatus fuiſſet.* 205
V. *De unione hypoſtaticâ.* 208
VI. *Quanam verbum aſſumpſerit.* 210
VII. *An verbum aſſumpſerit defectus naturæ humanæ.* 213
VIII. *Quanam perſona potuerit incarnari.* 216
IX. *De conceptione & nativitate Chriſti.* 218

CAPUT SECUNDUM.

De communicatione idiomatum in Chriſto.

SECTIO I. *Quid ſit idiomatum communicatio, & quomodo fiat.* 221
II. *De gratiâ Chriſti.* 224
III. *De ſcientiâ Chriſti.* 226
IV. *De potentiâ animæ Chriſti.* 228
V. *De voluntate & libertate Chriſti.* 230
VI. *Quomodo conſiſtat libertas Chriſti, cum ejus impeccabilitate, viſione beatificâ, & prædefinitione divinâ.* 231
VII. *De merito Chriſti.* 233

CAPUT TERTIUM.

De ſatisfactione Chriſti.

SECTIO I. *An Chriſtus ſatisfecerit condignè pro peccatis noſtris.* 238

II. *An*

II. *An & quomodo Chriſtus pro omnibus ſit mortuus.* 240
III. *De ſubjectione Chriſti.* 242
IV. *De oratione Chriſti.* 245
V. *An Chriſtus ſit Sacerdos.* 248
VI. *De Chriſto Rege & Prophetâ.* 250
VII. *De prædeſtinatione Chriſti.* 251
VIII. *De circumciſione & baptiſmo Chriſti.* 252
IX. *De paſſione Chriſti.* 255

CAPUT QUARTUM.

De adoratione Chriſti & Sanctorum.

SECTIO I. *De adoratione Chriſti.* 259
II. *Quid & quomodo ſancti à nobis invocari poſſint.* 261
III. *De cultu imaginum & reliquiarum.* 264
IV. *De adoratione ſanctæ Crucis.* 267
V. *De adoratione imaginum.* 271
VI. *Quâ adoratione imagines poſſint coli* 276
VII. *An à ſanctis rectè poſtulentur particularia bona, illis emittantur vota, fiant peregrinationes ad eorumdem loca?* 279
VIII. *Quædam in veneratione ſanctorum, & imaginum obſervanda.* 282
IX. *De divâ Virgine, ejuſque cultu.* 286
X. *De Antichriſto.* 292

TRACTATUS SEXTUS.

De Sacramentis.

CAPUT PRIMUM.

SECT. I. *Quid & quotuplex ſit Sacramentum.* 294
II. *An Sacramenta N. L. ſint immediatè à Chriſto inſtituta.* 296
III. *De miniſtri Sacramentorum intentione.* 300
IV. *De fide & probitate miniſtri.* 305
V. *De ſuſcipientibus Sacramenta.* 310
VI. *De efficaciâ Sacramentorum.* 312
VII. *De effectibus Sacramentorum.* 315
VIII. *De reviviſcentiâ Sacramentorum.* 318
IX. *De numero Sacramentorum N. L.* 319
X. *An in omni ſtatu fuerint Sacramenta neceſſaria.* 323

XI. *Ad quid ſit principaliter circumciſio inſtituta.* 325

CAPUT SECUNDUM,

De Sacramentis in particulari.

SECTIO I. DE *Sacramento Baptiſmi.* 327
II. *De neceſſitate baptiſmi.* 329
III. *An & quomodo baptiſmus poſſit differri.* 335
IV. *De materiâ & formâ baptiſmi.* 339
V. *De baptiſmo parvulorum.* 342
VI. *De baptiſmo adultorum.* 344
VII. *De baptiſmo hæreticorum.* 346
VIII. *De ceremoniis baptiſmi.* 347
IX. *De ſubjecto capaci Sacramenti baptiſmi.* 355
X. *De miniſtro Sacramenti baptiſmi.* 359
XI. *De effectibus baptiſmi.* 362
XII. *De differentiâ inter baptiſmum Joannis Baptiſtæ & baptiſma Chriſti.* 363
XIII. *De baptiſmo flaminis & ſanguinis ſive martyrio.* 365
XIV. *De obligatione Chriſtiani orta ex baptiſmo.* 369

CAPUT TERTIUM.

SECTIO I. DE *Sacramento Confirmationis.* 372
II. *De materiâ confirmationis.* 376
III. *De formâ & miniſtro confirmationis.* 378
IV. *Quinam poſſint & debeant confirmari.* 380
V. *De effectibus & ceremoniis confirmationis.* 382
VI. *De obligatione Chriſtiani ex confirmatione.* 385

CAPUT QUARTUM.

De Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

SECTIO I. QUid *ſit Sacramentum Euchariſtiæ.* 386
II. *Quænam ſit materia Euchariſtiæ.* 388
III. *An panis illi debeat neceſſariò eſſe azymus.* 390
IV. *De materiâ calicis ſive de vino de vite.* 392
V. *De aquâ vino admiſcenda in hoc Sacramento.* 395
VI. *De præſentiâ & determinatione materiæ prædictæ.* 397
VII. *De formâ conſecrationis panis & vini.* 399
VIII. *De tranſſubſtantiatione.* 402
IX. *De verâ, reali & ſubſtantiali præſentiâ Corporis Chriſti in hoc Sacramento.* 403
X. *Quomodo Chriſtus ſit verè præſens in hoc Sacramento.* 470

XI. *De immutationibus miraculoſis in Euchariſtiâ.* 410
XII. *De effectibus Euchariſtiæ.* 411
XIII. *De neceſſitate hujus Sacramenti.* 413

CAPUT QUINTUM.

De Sacrificio Miſſæ.

SECTIO I. *An Euchariſtia ſit verum ſacrificium.* 418
II. *In quâ parte Miſſæ ſita ſit ratio ſacrificii.* 421
III. *De fructu ſacrificii Miſſæ.* 424
IV. *An hoc ſacrificium ſit valoris infiniti.* 426
V. *De rubricis Miſſalis, earumque obligatione.* 428
VI. *Expoſitio rubricæ primæ de præparatione celebraturi.* 431
VII. *Proſecutio expoſitionis rubricæ primæ.* 434
VIII. *Annotatio ad rubricam ſecundam & tertiam.* 437.
IX. *De offertorio & ritibus ejuſdem.* 441
X. *De Canone ejuſque ritibus.* 442
XI. *Aliqua in Canone notanda.* 447
XII. *De communione Sacerdotis & præambulis.* 448
XIII. *De communione laicorum.* 451
XIV. *An laici communicare debeant utraque ſub ſpecie.* 457
XV. *De frequenti communione laicorum.* 460
XVI. *De diſpoſitionibus ad frequenter communicandum aut celebrandum requiſitis.* 466
XVII. *De poſt communione & partibus ſequentibus Miſſæ.* 474

CAPUT SEXTUM.

SECTIO I. *De defectibus Miſſæ.* 476
II. *De defectibus formæ.* 478
III. *De defectibus ex parte miniſtri.* 479
IV. *De defectibus ex parte diſpoſitionis corporis.* 482
V. *Quandonam quis poſſit communicare non jejunus.* 485
VI. *De aliis defectibus corporis.* 486
VII. *De Eccleſiis & oratoriis.* 487
VIII. *De violatione Eccleſiæ.* 493
IX. *De aliis Miſſæ defectibus.* 495

CA-

CAPUT DECIMUM.

De Religione.

SECTIO PRIMA.

Quid ſit Religio, & qualis ſit virtus.

DICENDUM primò, *Religio* eſt virtus moralis, quæ debitum Deo cultum exhibet. *Cultus* eſt honor cum ſui ſubmiſſione alteri exhibitus: hinc differt ab honore, quia etſi Deus ſanctos & amicos ſuos honorificabit, non tamen eos colet, cùm ſe illis non ſubmittet. Debetur verò cultus Deo à nobis, titulis planè innumeris, titulo creationis, conſervationis, redemptionis, &c. *Quid Religio quid cultus & quid honor.*

Differt Religio à virtutibus Theologicis, ſi propriè de Religione & eiſdem loquamur; cum virtus Theologica habeat Deum pro immediato objecto *quod*, Religio verò habeat pro tali objecto cultum Deo debitum, cum Deus ſolum ſit objectum *cui*: Deinde virtus Theologica habet Deum pro immediato objecto formali, fides, quia Deus verax eſt; ſpes, quia nobis bonus eſt: charitas, quia Deus in ſe bonus eſt: Religio verò debitum Deo cultum refert, quia ipſi debitus eſt: adeoque ratio formalis proxima non eſt Deus ipſe, aut aliqua ejus proprietas, ſed debitum cultûs. *Differt Religio à virtutibus Theologicis.*

Rectè tamen S. Auguſtinus docet, quod *Deus non colitur, niſi amando*, eo quod debita Religio ex amore erga Deum ſaltem virtualiter prodeat: ſic etiam docet, quod Deus colatur fide & ſpe. *Religio ſit ex amore.* Differt verò Religio à cæteris virtutibus moralibus, quatenus aliæ ſubjectum bene diſponunt in ordine ad ſe ipſum ut temperantia & fortitudo, aliæ

verò in ordine ad proximos, v. g. juſtitia; Religio verò in ordine ad Deum.

Cultus ſanctorum eſt actus Religionis

Quæres, an cultus ſanctorum, ſit actus religionis. Reſp. Si ſanctos colamus, propter divinam excellentiam illis communicatam, erit cultus illorum actus Religionis. Sicuti dilectio proximi propter Deum, eſt actus proprius charitatis. Si verò eoſdem colamus ob perfectionem illis propriam, non erit cultus ille proprius actus Religionis, uti patet ex dictis. Promiſcuè tamen ſanctorum cultus dicitur eſſe *Religioſus*, eo quod non ſit cultus civilis, politicus, &c. deinde, quia implicitè refertur in Deum, qui ſanctos ſuos ita dignatus eſt honorare.

Religio interna & externa.

Dicendum 2. Religio alia eſt interna, alia externa & interna ſimul. *Interna* eſt, quâ colimus Deum actu merè interno, v. g. contemplatione, æſtimatione divinæ excellentiæ, &c. *Externa* eſt, quando externis ſignis Deo debitum cultum exhibemus, v. g. cum ore oramus, coràm eo genuflectimus, pectus tundimus, manus levamus, &c. hæc autem Religionis ſpecies nulla eſt, ſi interna Religio non correſpondeat à qua procedat externa; adeo ut veriùs ſit Religionis ſimulatio aut umbra: Hinc in V. T. accuſantur illi, qui Deum externis actibus videbantur colere, ubi cor eorum non erat rectum cum eo. Præſtat interim Deum colere tam externè, quam internè, ut totum Deo demus, dum totum ipſi eſt debitum: undè pſalmiſtâ *Cor meum & caro mea exultaverunt*, &c. Pſalmo 83.

Externa eſt internæ neceſſariò connexa.

Actus Religionis.

Præcipui Religionis actus ſunt, *devotio, adoratio, ſacrificium, votum*, &c. *Devotio* eſt, voluntas promptè illa faciendi, quæ ad cultum Deo debitum ſpectant, unde eſt proximus actus virtutis Religionis, quo imperatur externa devotio, genuflectendi, orandi, pſallendi, &c.

SE-

Sectio II.

De Oratione.

Dicendum primò, *Oratio eſt adſcenſio mentis ad Deum* : & S. Bern. l. de Scala Clauſt. cap. 1. *Oratio eſt devota cordis intentio in Deum*, &c. ad hanc requiritur oculus fidei, quâ credimus Deum eſſe omnipotentem, bonum & paratum ad opitulandum : unde & Apoſt. ad Hæb. 11. dicit : *Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*. Requiritur inſuper cognitio & confeſſio propriæ indigentiæ, & neceſſitatis, cui per orationem ſubſidium quærimus. Ad hæc requiritur ſpes, unde Jacobus 1. *Poſtulet in fide*, id eſt Fiducia, *nihil hæſitans*. Denique, ſicut ad Religionem, ita ad orationem Religionis ſpeciem requiritur amoris affectus erga Deum, unde imperetur ſaltem virtualiter oratio : Unde SS. PP. Orationem dicunt *Converſionem, intentionem cordis ad Deum, Deo adhærentis affectionem*, &c. *Quid ſit oratio.* *Ad orationem requiruntur 3. virtutes Theologicæ.*

Dicendum 2. Oratio tam ad intellectum ſpectat, quam ad voluntatem. Ad intellectum quidem, quatenus intellectus explicat, quod voluntas deſiderat. Et quidem hæc pia voluntatis affectio aut deſiderium ita neceſſarium eſt ad orationem, ut nulla ſit oratio, cui hoc non adjungitur, quo pacto aliquibus à Deo exprobratum eſt Matth. 15. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me*. Patet quoque ex ante dictis aliâ concluſione 1. *Oratio ſpectat ad intellectum & voluntatem.*

Dicendum 3. alia eſt oratio mentalis, alia vocalis. *Vocalis* eſt quæ ſermone fit, ex intimo cordis affectu promanante. Hic enim cordis affectus, neceſſariò ad veram orationem pertinet. Neque ideo, non verè orare dicendæ ſunt, quæ orant vocaliter idiomate, quod ignorant, v. g moniales dum horas *Oratio vocalis & mentalis.*

ras recitant : quia etſi verba non intelligant, finem tamen orationis intelligunt, & ad illum intentionem dirigunt, qui eſt Deum colere & orare.

Mentalis eſt, quæ internè perficitur abſque exteriori ſigno eam manifeſtante. De hac ait S. Textus 1. Reg. 1. *Quod Anna loquebatur in corde ſuo tantúmque movebantur labia ipſius, & vox penitus non audiebatur* : Hâc orabat Paulus dum ait *orabo ſpiritu, orabo & mente, pſallam ſpiritu, pſallam & mente.* Tali orabat Pſalmiſta pſalmo 3. dum ait : *Voce mea ad Dominum clamavi*, de quo ita S. Aug. *Non corporis voce, quæ cum ſtrepitu verberati aëris promitur, ſed voce cordis, quæ hominibus ſilet, Deo autem ſicut clamor ſonat.* Præſtat tamen ob humanam infirmitatem mentali orationi adjungere vocalem, quatenus verba externa internam devotionem excitant, & ad internam attentionem ſono ſuo conſervandam, à diſtractionibus præſervandum ſunt idonea, hoc interim notato, juxta monitum Salvatoris, quod orantes nolint multum loqui, id eſt juxta S. Aug. Epiſt. 121. & c. 10. de orando Deum : *Aliud*, inquit, *eſt ſermo multus, aliud diuturnus affectus.* Et infrà. *Abſit ab oratione multa locutio : ſed non deſit multa precatio, ſi fervens perſeveret intentio ; nam multum loqui eſt in orando rem neceſſariam ſuperfluis verbis agere : multum autem precari eſt, ad eum quem precamur, diuturnâ & piâ cordis excitatione pulſare.*

Oratio publica & privata. Alia deinde eſt oratio publica, alia privata. *Publica* eſt quæ authoritate publicâ & Eccleſiæ nomine offertur, ut horæ Canonicæ, &c. *Privata* eſt, quæ privatâ voluntate & nomine privato offertur. Alia quoque eſt oratio implicita, alia explicita. *Implicita & explicita.* *Implicita* eſt, quando quidem explicitè non rogamus, ſed in alio aliquo orantis affectus explicatur, v. g. in deſiderio, contritione, &c. *Explicita* verò eſt, quæ explicito conceptu, ſeu explicitâ voce formatur. Alia oratio infuſa, alia acquiſita. *Acquiſita* eſt,

omnis

omnis ordinaria oratio, quam homo Dei grâtiâ excitatus ordinario modo emittit. *Infuſa* eſt, quæ extraordinariè homini infunditur à Deo, ſic Deus dicit Zachariæ 12. quod effundet ſuper habitatores Jeruſalem; *Spiritum gratiæ & precum.* *Acquiſita & infuſa.*

SECTIO III.

An & quale præceptum ſit orandi.

DICENDUM primò, attentâ pronitate hominis ad malum ex corruptione naturæ, & infirmitate ad bonum, neceſſaria eſt oratio. Quibus accedunt aſſidua labendi pericula, difficultates in exercitio virtutum occurrentes, quibus ſine oratione & ſubſidii precatione vix poterit obviari, adeo ut Lucæ 18. dicat Salvator, *oportet ſemper orare.* Etſi enim Deus noſcat, etiam antequam rogemus, quid cuique neceſſarium ſit, tamen plurima non dare conſtituit, niſi mediante oratione, unde ait: *Petite & accipietis*, &c. Matth. 7. hinc ait quoque S. Auguſt. ſerm. 1. de S. Stephano: *Si Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet.* *Orationis neceſſitas.*

Præceptum illud obligat, quando gravis urget tentatio; hinc dicit Salvator: *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Matth. 26. deinde obligat præceptum orationis, quando inſtat aliquod periculum, quod ſine Dei ope ſuperare non ſperamus: item quando peccator vult ſuſcipere Sacramenta, tum enim peccatorum veniam rogare debet. Denique quando quis ad uſum rationis pervenit, cum orationem diu differre, ad contemptum Dei pertinere videatur: uti aliàs ſæpè. Ex dictis ſequitur præceptum orandi eſſe divinum naturale, quatenus mediis neceſſariis tenetur quilibet tali jure procurare ſuam ſalutem, quod oratione faciendum eſt, cum *quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit*, ad Rom. 10. *Quandonam oratio obligat.*

SE-

SECTIO IV.

De Horis Canonicis.

Quid importent horæ Canonicæ.

DICENDUM primò, *Horæ Canonicæ* ſunt officia divina, quæ Pſalmis, Hymnis, Canticis, &c. publico ritu, per certas horas diei regulariter diſtribuuntur. Dicuntur *Canonicæ*, eo quod per Canones Eccleſiæ ſint impoſitæ. *Pſalmus* eſt Cantus Eccleſiaſticus, *Hymni* ſunt Carmina, quæ ad Dei laudem canuntur: *Lectiones* ſunt Hiſtoriæ ſacræ propoſitiones, quibus ad virtutem & imitationem ſanctorum permovemur. *Cantica*, ſunt quæ ad cantum modulantur in Eccleſia, & differunt à Pſalmis, quod hi ſint ad Pſalterium compoſiti, illi verò ad humanam vocem. *Antiphona* eſt ſacra ſententia, quæ Pſalmo canendo præmittitur & ſubnectitur. *Reſponſoria*, ſunt ejuſmodi ſententiæ, quarum aliqui unam partem inchoant, & alii alteram reſpondent. *Capitula & verſus* ſunt quoque ſententiæ ſacræ ex Scripturis aut Conciliis depromptæ, legi ſolitæ ad inſtructionem & excitationem legentium & audientium. *Collectæ* denique ſunt orationes, quibus fidelium vota Deo exhibentur.

Quot ſunt horæ Canonicæ.

Dicendum 2. Horæ Canonicæ ſunt 7. *Matutinum cum Laudibus: prima: tertia, ſexta, nona, Veſperæ & Completorium.* Horæ illæ ſunt antiquiſſimæ, de quibus meminit ipſe Pſalmiſta dicens Pſal. 118. *Septies in die Laudem dixi tibi*: Et ibidem Matutinum deſignans ait: *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi*: Primam verò innuit ibid. dum ait: *Prævenerunt oculi mei ad te diluculò.* Tertiam, ſextam, nonam, & veſperas, dum ita pſallit Pſalm. 54. *Veſpere & mane & meridie narrabo & annuntiabo.* Completorium denique dum ait: *Si adſcendero in lectum ſtrati mei, ſi dedero ſomnum oculis meis, donec inveniam*

am locum Domino. Pſalm. 131. ſic etiam act. 3. & ɔ. adſcenderunt in Templum Petrus & Joannes ad oram orationis nonam, & Petrus adſcendit in ſuɐriora, ut oraret circa horam ſextam.

Tempus verò quamque horam legendi diverſum ſt in variis Eccleſiis & Religionibus, uti praxis doɐet. Nonnulli & ſatis fundatè docent, Matutinum ɔer tria noctis ſpatia abſolvi olim ſolitum, puta in ɔrincipio, medio & fine noctis. Tempus verò illis ɔoris vel uſu vel conſtitutionibus Eccleſiæ immutare, ſi juſta cauſa ſubſit, non eſt adeò deforme, uti tiam juſta de cauſa immutare ordinem horarum iner ſe. *Tempus horarum.*

Modum verò horas illas recitandi dat cap. *dolenes*, ubi ita dicitur: *Diſtrictè præcipimus in virtute . Obedientiæ, ut divinum officium nocturnum pariter & iurnum, quantum eis dederit Deus, ſtudiosè celebretur ariter & devotè.* *Modus recitandi horas.*

Per to *Studiosè* imponitur obligatio ita officium ɔerſolvendi, ſicuti in ſerio negotio requiritur, ut ɐccuratè fiat. Deinde inhibet, ne perfunctoriè perɐgatur, ſed modeſtè & elaboratè. Unde maledicitur homo, qui facit opus Dei negligenter. *Quid ſignificet ſtudiosè & devotè.*

To *devotè* importat devotum mentis affectum iner orandum, adeo ut attentè & intentè officium ɔeragant. *Intentio* requiritur ſaltem virtualis, quâ quis intendit obligationi ſuæ per horas ſatisfacere, Deum colere, &c. *Attentio*, ut attendat quid faciat, non tantùm ut pſittaci verba pronuntiet, ſed & internus devotionis affectus adſit & verba animet. Unde non ſatisfacit præcepto legendi horas, qui lla agit, quæ cum attentione debita horarum ſunt ncompatibilia, v. g. ſi quis eo tempore, quo alter horus canit, fabulatur, voluntariè ſe aliò diverit, &c. deinde, non ſatisfacit præcepto de legendis ɔoris, qui ſolùm materialiter verba horarum proɐrt, ſine interna intentione requiſita ad orationem. Nec hic objici poteſt, Eccleſiam non poſſe præcipe- *Quid ſit attentio.*

re actus merè internos, cujus contrarium docuimus de legibus, cum illud juxta omnes poſſit indirectè, quando internus actus ad actum externum præceptum; eſt neceſſarius. Non tamen debet quis penes ſe expreſsè dicere, *volo recitare horas*, aut etiam ſe reflectere ſupra ſuam intentionem, ſed ſatis eſt, quod virtualiter oratio à præterita intentione, ſed virtualiter perſeverante cenſeatur exire. In dubio autem, an habuerit quis ſufficientem attentionem & intentionem, judicandum eſt eam ſe habuiſſe, cùm in dubio hìc poſſit eſſe melior conditio poſſidentis. Hoc ſerviat ſcrupuloſis, & ſibi & aliis in legendis horis moleſtis.

Porrò interdicitur omnis ille recitandi modus, quo fit, ut officium, vel non devotè, vel non ſtudioſè recitetur. Hinc ſyncopatio verborum, uti fieri ſolet in ſemi-ebriis, ſemi-ſomno gravatis, &c. impedit lectionem horarum, & ſi per notabilem partem duret, eſt peccatum mortale. Idem eſt de omni actione incompatibili cum vera oratione. Intentionem quoque, & attentionem debitam dat D. Bern. ſerm. 47. in cant. *Vos moneo*, ait, *dilectiſſimi purè ſemper ac ſtrenuè divinis laudibus intereſſe.... ut nihil dum pſallitis, quam quod pſallitis cogitetis. Nec ſolas dico vitandas cogitationes vanas & otioſas, vitandæ ſunt & illæ, illâ dumtaxat horâ & illo loco, quas officiales fratres pro communi neceſſitate, quaſi neceſſariò frequenter admittere compelluntur: ſed ne illa quidem profectò recipere tunc conſuluerim, quæ fortè paulò ante in clauſtro ſedentes in codicibus legeratis, qualia & nunc me vivâ voce diſſerente, ex hoc auditorio Spiritûs ſancti recentia reportatis, ſalubria ſunt, ſed minimè illa ſalubriter inter pſallendum revolvitis.* Hæc ille. Unde rectè hìc illud locum habet, *age quod agis.*

Diſtractio in recitatione horarum. Dicendum 3. diſtractio voluntaria in recitatione officii, ita ut nec ad ipſam recitationem, nec ad finem ejus intrinſecum attendat, ſi materia ſit gravis, eſt peccatum mortale, neque illâ diſtractus obligationi

tioni

oni ſuæ recitandi ſatisfacit. Cenſetur verò quis vo-
ıntariè diſtractus, quando vel in ſe vel in cauſa po-
it actum incompatibilem cum attentione requiſita,
. g. voluntariè ſe alio divertendo: Item ſi ſe di-
ractum ſentiens, animum ad horas revocare ne-
ligat; aliud eſt ſi involuntarias diſtractiones habea-
ıus ob volubilitatem naturæ noſtræ, quas quaſi in-
iti patimur, cùm illas ſubterfugere nobis ſit mora-
ter impoſſibile. Tenetur tamen illas dum eaſdem
ntit, rejicere & animum ab eiſdem avocare. Ne-
ue hîc nimium indulgendum ſcrupulis, cùm ſatis
t naturales illas diſtractiones, dum ſentiuntur,
ejicere, & antea animam ad orationem præpa-
iſſe. Si enim tantâ obligatione, & tam præcisè
l horas obligaſſet Clericos Eccleſia, prout ſibi
uidam ſcrupuloſi imponunt, & ineſſe judicant:
ıus certè intolerabile impoſitum eſſet, cum detri-
ento ſæpe animæ & corporis, uti aliquando ex-
erientiâ patet.

Quæres, an inter legendum horas, liceat ali-
uid agere. Reſp. affirm. modo illud compatibile ſit
ım debita attentione, neque de cætero aliquam
ontineat indecentiam. Sic olim Monachi inter la-
orandum orabant: Sacerdos ſeſe induit orando,
c. Thurificans tamen inter horas non abſolvitur
legendo, ut vult Reginaldus, eo quod moraliter
quendo cenſeatur cum aliis ſatisfacere. Hoc au-
m communior opinio negat, quod & uſus proba-
s confirmat. Poſſet tamen alia opinio habere forte
cum, quod illi ſatisfaciant, quoad diſtributio-
ːs acquirendas. Vide dicenda ſect. 9. in fine.

SECTIO V.

De iis qui ad horas ſunt obligati.

Obligati ad horas. DICENDUM primò, obligantur quotidiè ad horas recitandas Sacerdotes, majoribus ordinibus inſigniti, id eſt Diaconi & Subdiaconi: item beneficiati omnes, cùm beneficium detur propter officium, Religioſi & Religioſæ ex vi ſuæ regulæ ad id obligatæ, aut qui aliàs ex voto, vel pacto aliquo ad horas obligantur. Deinde Canonici, qui tenentur ſingulis horis cantandis aut legendis intereſſe choro: neque ullatenus audiendi ſunt, qui docent, ſolùm eos debere intereſſe, quando aliquid muneris ipſis eſt obeundum, ſic enim raro intereſſe aut reſidere tenerentur. Eâdem cenſurâ digni ſunt, qui docent eos ſolùm obligari, ad intereſſe uni aut duabus horis, aut Sacrificio Miſſæ: plus enim Canones & Concilia requirunt; aliud eſt, ſi aliunde juſto impedimento detinerentur, ut in ſolemnioribus feſtis, ratione alterius officii incompatibilis. Unde dico teneri Canonicos intereſſe ſingulis horis, idque ex virtuali contractu juſtitiæ, in fundatione & collatione beneficii contento, ad hoc enim Canonicatus ſunt primariò inſtituti, ut officium publicum in choro perſolvant, ob quod ſtipendia tam ampla recipiunt. Nec ſolùm requiritur eorumdem præſentia materialis, ſed formalis & moralis, id

Præſentia formalis & moralis. eſt ad orandum ordinata. Unde, etſi corpore adſint, ſi tamen fabulentur, excurrant, aliò diſtrahantur voluntariè, &c. non cenſentur obligationi ſuæ ſatisfacere. Nec refert quod per conſuetudinem cenſeantur aliqui canere per Cantores & Capellanos, cùm ipſi equidem obligentur exhibere præſentiam religioſam & modeſtam, quod ſatis indicat Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 12. reform. ubi ait, Canonicos

Digitized by Google

nicos *debere aſſiſtere, & in choro ad pſallendum inſtituto, Hymnis & Canticis Dei nomen reverenter, diſtinctè & devotè laudare.* Ab hac obligatione excipiuntur ob juſtam cauſam, puta morbos, ſtudiorum inſtructionem, & alia impedimenta, ratione quorum ſine ſuo gravi damno, aut alterius choro adeſſe non poſſint. Quod ſi abſuerint ſine juſta cauſa, ita præſcriptum habent à Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 12. *Diſtributiones verò, qui ſtatis horis interfuerint, recipiant: reliqui, quâvis colluſione aut remiſſione excluſâ, his careant, juxta Bonifacii VIII. decretum, quod incipit:* Consuetudinem: *quod S. Synodus in uſum revocat, non obſtantibus quibuſcumque ſtatutis & conſuetudinibus.*

Dicendum 2. Idem dicendum eſt de beneficiatis & præbendatis, qui ad chorum ſunt deſtinati, ob dictam de Canonicis rationem: Idem eſt de ſtipendiariis, qui loco Canonicorum officium perſolvunt cùm in ſe obligationem eorum aſſumant, ergo tenentur choro aſſiſtere, & officium devotè ac ſtudioſè perſolvere. Stipendiarii verò ad muſicam, ſolùm obligati ſunt ad perſolvendum cantum materialem ut organiſtæ, eo quod finis eorum ſtipendii non ſit alius.

Clerici verò minorum Ordinum, non obligantur ad horas, etſi eas recitare illis expediat. Tonſurati tantùm, non debent legere pſalmum *Miſerere*, cujus legendi conſuetudo videtur potiùs eſſe conſilii, quam legis, ait Wiggers. Religioſi ejecti, niſi ſint in Sacris, à legendis horis ſunt exempti, dum eo caſu remoti ſunt ab eo ſtatu, in quo ratione ſtatûs obligabantur. Idem eſt, ſi Clericus fiat Laïcus.

SE-

SECTIO VI.

An Regulares omnes, & potiſſimùm Moniales teneantur ad horas in conſcientia.

Monialis an ad horas privatas ſint obliganda.

Dicendum primò, certum eſſe, quod in choro Regularium, qui ad chorum ſunt deputati, debeat ſub mortali officium horarum perſolvi, cui invigilare debent ſuperiores. Idem eſt de omnibus regularibus in majoribus ordinibus conſtitutis, & qui ex vi regulæ ſuæ ad illam obligationem aliàs tenentur, certum quoque eſt, non peccare graviter Laïcos omnes, qui indies aliquot *Pater & Ave*, vel *Miſerere* legere debent, ſi illa aliquoties omittant, niſi adeſſet ſcandalum aut contemptus.

Dicendum 2. Religioſi & Religioſæ etiam ad chorum profeſſæ, extra majores ordines conſtituti, ſatis communiter dicuntur obligati ad horas quotidie, etiam dum à choro abſunt, privatim perſolvendas: ratio eorum eſt, quod conſuetudo illa hoc onus jam impoſuerit, & communi æſtimatione cenſeatur graviter peccare talis monialis, ſi privatim horas legere negligat. Verùm hæc ſententia aliquibus numquam viſa eſt ſatis certa: tum quod non conſtet, conſuetudinem illam eſſe inductam animo eas obligandi, quod ad conſuetudinem vim legis habentem requiritur: tum, quod illa conſuetudo induci non potuerit, niſi mediante hominum opinione, quæ de tanta obligatione facilè tollitur, monſtrando eam inniti falſo fundamento. Ratio ergo hujus ſententiæ eſt, quod moniales non ſunt ad hoc obligatæ vi voti aut profeſſionis, neque ex regula, neque ex Eccleſiæ præſcripto, adeoque non niſi conſuetudine, de qua, uti jam dictum eſt, non ſatis conſtat. Deinde Canoniſſæ Montenſes, Nivellenſes, &c. non tenentur ad

d horas ſub tanta obligatione, ergo nec Moniales.
a aliqui, & maximè Petrus Marchantius Tom. 2.
ribunalis Sacram. tract. 2. p. 4. tit. 3. ſect. 1. q. 2.
bi ait, conſuetudinem illam eſſe ſolùm inductam
tulo pietatis & devotionis. Idem ſentit & Leſſius
1 reſolut. V. *horæ Canonicæ*, ubi docet ſolùm obli-
are illam conſuetudinem, per modum ſtatuti ſub
liqua pœna, non verò ſub culpa mortali. Imò
ontrarium ei videtur durum & parum humanum,
uia ſine ulla neceſſitate vel notabili utilitate præbe-
r occaſio plurimorum peccatorum mortalium, &
rupulorum, quibus plurimæ bonæ virgines cre-
errimè implicantur. Ita ferè ille, qui & addit,
oſſe Confeſſarium hanc opinionem in praxi ſequi,
: virginibus illis, quæ timore tantæ obligationis
nt anxiæ, dicere quod ſub lethali non obligentur.
enique concludit, quod expediat uti ſententiâ
robabili, ob tantum bonum promovendum.

Verùm judico in praxi aliter eſſe procedendum,
: dico, conſuetudinem illam inductam eſſe ſub
bligatione gravi & non tantùm per modum ſtatuti
b aliqua pœna: ut autem clariùs id pateat, re-
olligendum eſt, conditiones ad conſuetudinem
m legis obtinentem requiſitas eſſe, 1. Ut ſit ratio-
abilis: 2. Quòd obſervetur à majori parte com-
unitatis: 3. Quòd legiſlator ſeu ſuperior tacitè in
m conſentiat. 4. Quòd ſit inducta animo obli-
andi. Ex iis clarè patet conſuetudinem legendi ho-
s apud Moniales habere vim legis. 1. Quidem,
uia eſt rationabilis, quod & alii admittunt, di-
entes eam eſſe laudabilem. 2. Conſuetudo illa ob-
rvatur à majori parte ejuſmodi hominum, puta
Ionialium & aliorum Religioſorum. 3. Certum
iam eſt, quòd ſuperiores in eam conſentiant,
ım ad eamdem ſuos & ſuas inducant, etiam pu-
iendo. Quòd ſit inducta animo obligandi, patet
x ipſa intentione conſuetudinem illam obſervan-
um, dum credunt ſe graviter ad hoc obligari, ex
qua

qua intentione optimè colligitur conſuetudinem aliquam eſſe inductam animo obligandi. Sic quoque rectè colligitur, conſuetudinem recitandi tertiò *Ave* ad pulſum campanæ, ſumendi aquam benedictam in ingreſſu templi, &c. Non eſſe inductam animo obligandi, eo quòd fideles credant ſe non delinquere, ſi illa omittant, & conſequenter ad hoc non eſſe ſtrictè obligatos. Sequitur ergo ſententiam hanc in praxi eſſe tenendam, & aliam eſſe planè infundatam. Quæret aliquis an Moniales rectè dicant in ſuo *Confiteor, tibi Pater*, & *vobis Fratres*, neque dicere debeant, *tibi Mater*, *vobis Sorores*; videtur enim illa locutio eſſe falſa, dum dicitur feminis, *tibi Pater*, &c. Gavantus tom. 2. Theſauri ſect. 5. c. 17. docet eaſdem rectè dicere *tibi Pater*, *&c*. Poteſt enim & feminis dici, *tibi Pater*, & *vobis Fratres*, cum teſte Salvatore Matth. 12. Qui facit voluntatem Patris, qui in Cœlis eſt, Frater ejus ſit, Mater & Soror: Moniales autem non ſolùm tenentur facere voluntatem Patris, ſed & opera Conſilii.

SECTIO VII.

De uſu Breviarii, & Miſſalis.

Breviarii Romani obligatio. DICENDUM primò, Tenetur quivis beneficiatus uti Breviario Romano Pii V. juſſu edito, cùm juxta Concilium Tridentinum, illud Pontifex componi curaverit, ut uniformitas ritûs Eccleſiaſtici ubivis eſſet videnda, uti & fecit cum Catechiſmo quem *Romanum* vocant, & Miſſali. Si tamen ille, qui utitur tali Breviario, illo alibi careat, & ſit alterum ad manum; tenetur juxta illud alterum officium ſuum abſolvere, cum in eo caſu cenſeatur obligationi ſuæ ſatisfeciſſe.

Quinam alio Breviario uti Dicendum 2. Non tamen tenentur illud Pii V. Breviarium admittere, qui à 200. Annis particulare

Ordi-

)rdinis ſui Breviarium obſervarunt, uti ſunt Benedi- tini, Præmonſtratenſes, Prædicatores, qui ultimi t regulam & ſtatuta, ita & Breviarium à Præmon- :ratenſibus mutuarunt, Carthuſiani, &c. Idem eſt, e Miſſali, ut ex Bulla Pii V. Miſſali præmiſſa con- :at. Hoc tamen notari poteſt, quòd ſi ejuſmodi or- lines relicto proprio Miſſali & Breviario, velint illa 'ii V. recipere, liberè id poſſint, uti ibidem de- larat Pontifex, quòd fortè ad pariformitatem Ec- leſiæ non parum conduceret. *Poſſint, quam Romano.*

Dicendum 3. Si Abbas v. g. Præmonſtratenſis, otabiliter poſt dictam Pii V. conſtitutionem Bre- iarium immutaſſet, non tenerentur ſubditi illud :cipere. Ratio eſt, quòd Pius V. ſolùm permittat reviaria ordinum, quæ conſuetudine 200. Anno- ım obſervarunt, non verò permittit nova; qua- : eſſet illud, quod notabiliter immutaretur. Aliud let, ſi adeſſet hîc authoritas Papæ, uti ſæpè fit, ım qua Breviaria ordinum ſæpè immutari vide- ıus.

Dicendum 4. Officia particularia, quæ ſpeciali- r Breviario ſuperadduntur, aliquando in conſcien- a obligant, aliquando non obligant. Obligant, ıando illa generaliter toti Eccleſiæ aut ordini, ſſu legitimi ſuperioris obſervari injunguntur: adeò : aliquando habeant eam obligationem, quam con- ıet Breviarium. Non obligant autem ſi ſolùm ex :votione compoſita ſint, cujuſcumque devotio- & libertati permiſſa, vel ea obſervare vel non ob- rvare. Ubi & hoc notari poteſt, ſæpè poſſe eſſe ›ligationem illa officia particularia obſervandi in ıoro communi, ſic ut privatim non obligent, ıod ſæpè particulari conſtitutione ſtatuitur. *Officia particularia.*

Dicendum 5. Officium B. Mariæ, Defunctorum, almi Pœnitentiales, ſunt ſolùm acceſſoria Bre- arii, neque privatim legentes obligant: ita expreſ- ſtatuit Pius V. in Bulla Breviario præfixa, dum cit: *Quod in Rubricis noſtri hujus officii præſcribitur,* *Officium B. Mariæ, Defunctorum, &c.*

quibus

quibus diebus Officium B. Mariæ ſemper Virginis & Defunctorum, item 7. Pſalmos Pœnitentiales, & Graduales dici ac pſalli oporteat: Nos propter varia hujus vitæ negotia, multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea præſcriptione removendum duximus. Aliud tamen cenſent de Litaniis diebus rogationum præſcriptis, quas communi ſatis ſenſu ſentiunt eſſe partem officii illorum dierum, quod & timorati obſervant.

Quæres, an ſatisfaciat ille, qui legit horas græcè vel hæbraicè. Reſp. ſunt, qui affirmant, eo quòd ille adimpleat horas quoad ſubſtantiam; quamquam ſecluſâ causâ juſtâ, eâque gravi, graviter peccet; quia cenſetur parvi pendere communem Eccleſiæ uſum, in materia gravi.

SECTIO VIII.

De Cantu Eccleſiaſtico.

Dicendum primò: Non tantùm Hæretici varii, ſed & Catholici cantum Eccleſiaſticum improbarunt. Hæretici quidem, ut Julianus apoſtata, Petrobruſiani, & Wiclef, qui hac de cauſa noſtros Sacerdotes comparat Sacerdotibus Baäl; Item Ariani, etſi ipſi Pſalmos canant. Ex Catholicis autem, ut refert S. Auguſt. l 2. retract. c. 22. fuit Hilarius quidam tribunitius, &c. Verùm ritus ille cantandi in Eccleſia fuit vetuſtiſſimus, & Pſalmiſta juſſu divino Pſalmos ad cantum & Pſalterium compoſuit, adhortans voce Dei omnes, ut Deum laudarent *in tympano & choro, in chordis & organo*: Pſal. 150. idem approbat Jacobus c. 5. ubi ait: *Æquo animo eſt, Pſallat.* idêm facit Apoſtolus admonens Catholicos ad Epheſ. 5. & Coloſſ. 3. Ut ſe invicem commoneant in Hymnis & Canticis. De eodem priſco Eccleſiæ ritu meminerunt, Dionyſius Areopagita, Caſſiodorus

Vetuſtas Eccleſiaſtici Cantûs.

orus, Juſtinus Martyr, & S. Ambroſius & Augu-
inus, qui alternatim, prout Spiritus Sanctus da-
at eloqui illis, concinnarunt *Te Deum laudamus.*

Dicendum 2. in primitiva Eccleſia cantus ille Ec-
leſiaſticus non erat ita flexilis aut elevatus, ſed
nagis loquenti, quam canenti ſimilis. Unde S. Aug.
10. confeſſ. c. 33. ita de hac re ait: *Tutius mihi vi-
etur, quod de Alexandrino Epiſcopo Athanaſio ſæpe
ibi dictum commemini: qui tam modico flexu vocis fa-
iebat ſonare lectorem Pſalmi, ut pronuncianti vicinior
ſſet, quam canenti.* Et Concilium generale 6. Can.
3. *Eos*, ait, *qui in Eccleſiis ad pſallendum accedunt,
olumus nec inordinatis vociferationibus uti, nec natu-
am ad clamorem urgere.... ſed cum magna attentione
& devotione pſalmodias Deo, qui eſt occultorum inſpe-
tor, offerre.* Ex qua verò ratione cantus Eccleſiaſti-
us ex ſimplici illo factus ſit modulantior, narrat
Nicephorus l. 9. Hiſt. c. 16. ubi ait: *Cùm jam per 3.
Chriſto nato ſæcula ſimplex cantus ſive potius recita-
o, nullo modulationis fuco permixta, Chriſti populos
nutriviſſet: ecce tibi Hermonius quidam Bardeſanæ He-
eſiarchæ filius, mali corvi malum ovum, cum ſua pra-
a dogmata muſicis numeris includeret, & multi ex Sy-
s propter verborum venuſtatem & ſonorum ſuavitatem
emulſi, paulatim hæreſes inbiberent: B. Ephrem eâ
cognitâ, carmina Catholicam fidem reſonantia vene-
is Hermonii verſibus oppoſuit, clavo ſcilicet clavum
udens. Ea itaque ſuavi vocum ſonorumque flexu acco-
odata Syris audienda præbuit & canenda: ab eoque
oſteriores Eccleſiæ cantores, modulorum formulas mu-
tati magis atque magis eas auxerunt & propagarunt.*
Idem fecerunt & alii SS. Patres: imò & Judæos ip-
os adhibuiſſe inſtrumenta muſica in eorumdem riti-
us, ut populum ab idolorum cultu averterent,
ibi idem inſtrumentorum muſicorum erat uſus, eſt
manifeſtum. Hinc multi jure colligunt, quod can-
us Eccleſiaſticus ſolùm in Eccleſiam ſit introductus,
d imperfectiores confirmandos, vel ut ait S. Aug.

*Olim ma-
gis ſub
miſſus.*

l. 10. confeſſ. c. 33. *Ut per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis exſurgat.* Hinc etiam ſæpe in Eccleſia proſcriptam eſſe muſicam, uti de uſu cytharæ ſcribit Auguſt. in Pſalm. 132. Conc. 1. docent Hiſtoriæ. Sic tempore S. Thomæ rariſſimum fuiſſe organorum uſum in Eccleſia, ex verbis Doctoris Angelici docet Cajetanus in 2. 2. qu. 91. a. 2. additque uſum illum tolerari poſſe ob infirmitatem hominum, ut vel ſic allecti divinis interſint. In eo tamen ſemper exactior fuit Eccleſia Romana, in tantum ut quando ſub Sergio organorum uſus in Eccleſiam fuit inductus, Romana tamen Vaticana Eccleſia coram Summo Pontifice eadem non admiſit. Ita & modernus Pontifex in eadem Eccleſia ſimplici cantu utitur & inſuper interdixit omnem muſicalem concentum in Eccleſiis Monialium. Cauſam horum omnium dat S. Bern. quod non levis ſit jactura ſpiritualis levitate cantûs abduci à ſenſuum utilitate, & plus intendere vocibus, quam rebus.

Utilitas Cantûs Eccleſiaſtici.

Dicendum 3. Cantus tamen Eccleſiaſticus opportunè ad devotionem augendam & cordis affectum excitandum, eſt ab Eccleſia inſtitutus. Meminit hujus S. Auguſt. l. 9. confeſſ. c. 6. ubi ait: *Quantum flevi in Hymnis & Canticis tuis ſuave ſonantis Eccleſiæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat inde affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis.*

Sæpe eſt moderandus.

Dicendum 4. Cantus ille Eccleſiaſticus Superiorum authoritate ita moderandus eſt, ne plus adferat vanitatis, quam devotionis, non ſit laſcivus aut impurus, non diſturbet ſuâ inordinatione audientes potius, quam commoveat, denique eumdem temporibus accomodet, triſtiori triſtem, lætiori tempori lætum, &c. Hinc videmus permultos magis ad audiendum cantum muſicum ſubinde ad Eccleſiam confluere, quam ad orandum, unde in Eccleſiis fabulæ, cachinni; imò quod novimus ali-

quan-

quando, magis ad libidinis, quam divini amoris faces inflammari. Quare & Conc. Trid. ſeſſ. 22. de celebranda Miſſa: *ab Eccleſiis, Muſicas eas, ubi ſive organo ſive cantu laſcivum aut impurum aliquid miſceatur*, mandat removeri. Hinc in muſica plenum periculi negotium fatetur S. Auguſt. cap. 33. ſupra citato, & *ita fluctuo*, ait, *inter periculum voluptatis & experimentum ſalubritatis*. Deinde cantu abutuntur, qui incompoſitâ voce chorum perturbant, cujus aliquando rei ſunt ſuperiores, qui ſibi ſubditos tantum non jubent edoceri, quo fit, ut cantûs Eccleſiaſtici dignitas vileſcat alibi, & contemnatur. Qualis verò debeat eſſe Chori cantus, ſtatuit his verbis Concilium Aquiſgran. ſub Ludovico Pio Can. 37. *Pſalmi in Eccleſia non curſim & excelſis atque inordinatis vocibus, ſed planè & dilucidè & cum compunctione cordis recitentur: ut & recitantium mens illorum dulcedine paſcatur, & audientium aures illorum pronunciatione demulceantur*. Et, conſtitutio Eccleſiæ Gallicanæ: *Laudes divinæ per ſingulas horas non curſim ac feſtinanter, ſed tractim ac cum pauſa decenti, præſertim in medio cujuſque verſiculi, debitam faciendo inter ſolemne ac feriale officium differentiam, reverenter ab omnibus perſolvantur*. Plura qui de hac re deſiderat, adeat opus Eminentiſſ. Card. Bonæ de Pſalmodia, opus digniſſimum & admodum rarum.

Muſica laſciva è templis eliminanda.

Ejus diſordinatio.

SECTIO IX.

Quænam à lectione Horarum excuſent.

DICENDUM primò, excuſat à lectione Horarum, 1. gravis infirmitas, non itidem levis, quæ cum illa lectione ſine periculo ulteriori ſtare poteſt. Hinc febris tertiana aut quartana non excuſat, niſi totâ die aut potiſſimâ diei parte duret: aliàs illi non

Infirmitas gravis.

tenentur alium ſubſtituere, quem audiant legentem, ut aliqui volunt. Si tamen ſolus non ita commodè poſſet, & commodè poſſet legere cum altero, ad id teneretur. Conſultum tamen hîc, ut in aliis, eſſet, uti judicio medicorum, cùm ſæpe poſſet hîc mentiri iniquitas ſibi, & amor proprius rectum judicium pervertere.

Carentia Breviarii. Dicendum 2. Excuſat quoque carentia breviarii inculpata: quod ultimum addo, quia ſi ſit culpata, omiſſio officii quoque cenſebitur culpabilis in cauſa. Si tamen ſciret memoriter aliquas horas, vel aliud Breviarium acquirere poſſet, deberet eas perſolvere, & eo Breviario uti.

Dicendum 3. Excuſat quoque juſtus timor gravis damni, v. g. proditionis inter hæreticos: quale damnum non cenſetur eſſe deriſio, aut contemptus, ſi nihil aliud adveniat. Si tamen in partibus hæreticis degens, ſatis tutò eas horas perſolvere poſſit, omnino tenetur.

Opera charitatis. Dicendum 4. Excuſant quoque opera charitatis alteri exhibenda, quæ cum lectione horarum ſtare nequeunt, & prævalent in obligatione eiſdem horis. Sic ſi Confeſſarius totâ die deberet audire confeſſiones, quæ differri non poſſent, vel ire ad infirmum moribundum, ex benigna Eccleſiæ intentione tales poſſent ab horarum recitatione excuſari. Si tamen ii poſſint hoc impedimentum prævenire, vel extrahere, deberent officium anticipare, vel ſuperaddere. Ea de cauſa aliqui excuſant illos, qui ſub *Magnificat* au *Benedictus* thurificando aliqua omittunt, cùm chorus eadem pro ipſis perſolvat: verùm meliùs illud negatur, cùm præviè aut poſtea ſatis commodè poſſit præveniri lectio vel ſubdi, & thurificatio ſat urgens cauſa ſit ad officium aliquatenus interrumpendum, non item ad illud omittendum.

Quæres, an qui non poteſt legere totum Officium teneatur ad ejus partem. Reſp. Cùm obli-

obligatio legendi horas ſit planè dividua, ſive diviſibilis, cùm diverſæ horæ ſint diverſi actûs, & diſtinctæ preces: tenetur ad partem, qui non poteſt perſolvere totum. Sic, qui debet 100. ſi ſolùm poſſit dare 20. & non totum, tenetur ad 20. tribuenda. Aliud eſt de recitatione unius horæ in particulari, quæ cùm ſit individuæ obligationis, debet tota recitari; quod ſi fieri nequeat, nulla eſt obligatio ad partem. Sic qui obligatur ire Romam, non tenetur ire Pariſios, ſi non poſſit ire Romam. Idem judicium eſt de obligatione matutini: etſi enim antiquitus tria Nocturna cenſebantur diverſæ quaſi horæ, & conſequenter earum obligatio dividua: tamen modò aliud habet uſus & conſuetudo: unde, ille qui totum matutinum legere nequit, non obligatur ad partem, cùm ejus obligatio ſit jam individua.

Quæres ultimò, an qui dubitat, an legerit horas, teneatur eas legere. Varii negant, eo quod in dubio ſit melior conditio poſſidentis, hoc autem caſu poſſeſſio ſtet pro libertate legentis. Verùm infundatè, cùm poſſeſſio hîc ſtet pro lege, de qua conſtat eam eſſe latam, & legenti impoſitam, pro qua proinde hoc caſu eſt judicandum. Adde, ut alibi dictum eſt, principium illud habere tantummodo locum in materia juſtitiæ. Si verò dubitet alterâ die, an pridie legerit totum Officium, judicare poterit ſe legiſſe, ſi nulla ratio contrarium ſuadeat, ſi de cætero ſolitus ſit officium ſuum exactè perſolvere.

SECTIO X.

Quid, cui, à quo ſit aliquid rogandum.

Dicendum primò, *Quærite primùm Regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis*, ait Salvator Matth. 6. hinc & Lucæ 11. dicentibus diſcipulis, *Domine doce nos orare*, ſubnectit Chriſtus: *Ante omnia roganda eſt gloria Dei.*

ſtus: *Cùm oratis dicite: Pater, ſanctificetur nomen tuum, adveniat Regnum tuum, &c.* Quaſi dicat, primum, quod in omni actione quærere debeas, eſt, ad Deum ejuſque gloriam intendere, utpote qui ſit omnium principium & ultimus finis, ad quem dirigenda ſunt cætera. Hinc appoſitè alii dicunt, quidquid cenſurent alii, ideo primò poſuiſſe Salvatorem in oratione Dominica *adveniat Regnum tuum*, ut ſignificaret omnia opera noſtra in Deum eſſe referenda. Cenſuram illorum diluit Doctor Angelicus 2.2. q. 83. a. 9. ubi ait: *In oratione Dominica, non tantùm peti omnia, quæ rectè deſiderare poſſumus, ſed etiam eo ordine, quo deſideranda ſunt. Manifeſtum eſt autem, quod primò cadit in deſiderio noſtro, finis, deinde ea quæ ſunt ad finem. Finis autem noſter Deus eſt, in quem noſter affectus tendit dupliciter: uno quidem modo, prout volumus gloriam Dei: alio modo, ſecundùm quod volumus frui gloriâ ejus, quorum primum pertinet ad dilectionem, quâ diligimus nos in Deo: & ideo prima petitio ponitur,* Sanctificetur Nomen tuum, *per quam petimus gloriam Dei.* Huic adde S. Bernardum, qui ſcribens in eamdem orationem in actuario ita habet: Sanctificetur Nomen tuum; *poſt invocationem petitiones adjungit: & quia plus gloriam Dei, quam utilitatem noſtram quærere nos oporteat, (hic quippe finis debet eſſe in omnibus quæ agimus, ſcilicet ut glorificetur Deus) tres iſtæ ut dixi petitiones, glorificationem ejus expoſtulant.* His conformia habet Catechiſmus Romanus, D. Franciſcus & alii, quos brevitatis causâ prætereo. Unde patet, omnia bona tam animæ, quam corporis rectè appeti & orari poſſe, ſed ut primùm in intentione ſemper ſit finis ultimus, qui eſt Deus.

Oratio in peccatum. Cavendum verò ſummoperè ne precemur aliorum mortes, puta inimicorum, niſi notabiliter Eccleſiæ aut bono communi nocerent; aliàs fiet oratio noſtra in peccatum.

Dicendum 2. Etſi omnes orare teneantur, ut ante di-

e dictum eſt, peculiari tamen ratione orare debent ʋiri Eccleſiaſtici, qui pro populo Hoſtias Deo offerre & preces ſunt obligati, & conſtituuntur tamquam interceſſores inter Deum & homines. *Qui ſpecialiter teneantur ad orationem.*

Dicendum 3. Orari debet ille, qui neceſſitati noſtræ potens eſt ſubvenire: hinc quia Deus ratione ſummæ bonitatis ac potentiæ, cuilibet neceſſitati ſuccurrere paratus eſt, dum ait Pſalm. 49. *Invoca me in die tribulationis*, ad ipſum ante omnia noſtra oratio eſt dirigenda. Ab ipſo enim, & per ipſum ſunt omnia, & omne donum ac datum bonum deſcendit à Patre luminum, adeo ut quando Sanctos rogamus, tamen per Chriſtum rogemus, quod innuit Eccleſia in omnibus collectis concludens, *per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, &c. Quod etiam in Litaniis ſubindicat, dum dicitur Deo, *miſerere nobis, propitius eſto, parce nobis, libera nos, te rogamus audi nos.* &c. Sanctis verò: *Intercedite pro nobis, orate pro nobis*, &c. Unde & ipſe Chriſtus Joan. 14. ait, *ſi quid petieritis Patrem* IN NOMINE MEO. Vide quæ ad propoſitum dixi de cultu SS. *A quo ſit orandum.* *A Sanctis per Chriſtum.*

Dicendum 4. Rationem, quare aliquando preces ſuo effectu fruſtrantur indicat Jacobus c. 4. ubi ait: *Petitis & non accipitis, eo quod malè petatis.* Unde multi ut ait Auguſtinus in Pſalmo 85. dicunt: *Quantum rogavi, quam ſæpe rogavi, & non ſum auditus*: Quibus idem reſpondet ibidem: *Si verè Deum invocaſti, certus eſto, quia id forte, quod volebas temporaliter, ideo non dedit, quia non tibi proderat. Ædificetur in hoc cor veſtrum Fratres, cor Chriſtianum, cor fidele: Ne incipiatis triſtes facti, veluti fraudati deſideriis veſtris, ire in indignationem contra Deum & non expediat.* Malè inſuper petunt, qui aliquando petunt non in nomine Domini, ſed ſæpe in nomine diaboli: Qui non petunt in veritate; *Propè* quidem *eſt Dominus* omnibus invocantibus eum, ſed *in veritate*, id eſt, qui internum affectum externis precibus adjungunt. Deinde notabile eſt, quod adfert S. Auguſt. Serm. 4. *Quare preces ſuo effectu fruſtrentur.*

de verbis Domini, ubi ait: *Sæpe ſervat tibi Deus, quod non vult citò dare: Ut & tu diſcas, magna magè deſiderare. Cùm aliquando tardiùs dat, commendat dona ſua, non negat. Diu deſiderata, dulcius obtinentur, cito autem data vileſcunt.*

Similis medico, de quo idem S. Præſul in Pſalm. 85. *Æger multa petit à medico, quæ non dat vel non ſtatim dat medicus: Sed non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad ſanitatem.*

Orandum in templis. Dicendum 5. Etſi Deus ſit ubique præſens, tamen peculiariter invocari vult in locis ſacris: Hac de cauſa loca quædam ſibi ſacrari voluit, promittens 2. Paralip. 6. & 7. *Erunt oculi mei aperti, & aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco iſto oraverit.* Hinc etiam ex illo loco ejecit vendentes, nummularios, &c. dicens Matth. 21. *Domus mea, Domus orationis vocabitur.* Ad quod ita Vener. Beda hom. 7. in Evang. *Si ergo Dominus nec ea volebat venumdari in templo, quæ in templo, volebat offerri, videlicet propter ſtudium avaritiæ ſive fraudis, quod proprium ſolet eſſe negotiantium facinus; Quanta putas animadverſione puniret, ſi inveniſſet ibi aliquos riſui, vel vaniloquio vacantes, aut alii cuilibet vitio mancipatos? Si enim ea, quæ alibi liberè geri poterant, Dominus in domo ſua temporalia negotia geri non patitur: Quantò magis ea, quæ nuſquam fieri licet, plus cæleſtis iræ merentur, ſi in ædibus Deo ſacratis agantur?* Alia ad hanc rem pertinentia dabo agendo de Miſſa, in Sacramento Euchariſtiæ.

Oratio ad omnia eſt utilis. Dicendum ultimò, oratio ſicut pietas ad omnia utilis eſt, hominem Deo unit, ejus affectum ad Deum tranſmittit, contra omnia infauſta & adverſa ſubſidium adfert, pro peccatis ſatisfacit, meretur gratiam, fidem, ſpem, & charitatem renovat & exercet, mentem illuminat, humilitatem cauſat & conſervat, pacem & animi delectationem gignit, &c.

SE-

SECTIO XI.

De Decimis.

Dicendum primò, Decimas eſſe decimam partem fructuum quæ quotannis Eccleſiæ Miniſtris perſolvitur. Solet in jure Can. ſtatui triplex decima, ſcilicet *Prædialis, perſonalis* & *mixta*. *Prædialis*, eſt decima pars, quæ ſolvitur ex fructibus, qui proveniunt ex prædiis, v. g. ex vino, oleo, frumento, &c. *Perſonalis* eſt, quæ perſolvitur ex fructibus provenientibus ex induſtria ſive opera perſonæ, v. g. ex venatione, mercatura, opificio, &c. Hæc tamen in diſſuetudinem abiit. *Mixta* eſt, quæ dari debet ex fructibus provenientibus partim ex induſtria hominum, partim ex prædiis, quales ſunt decimæ animalium, v. g. pecorum, ovium, &c. Animalium, uti & illorum fructuum, puta lactis, caſei, butyri, lanæ, &c. Ad paſcenda enim & alenda pecora requiritur hominum cura & induſtria, uti & ipſa prædia, ex quibus ſolent ſuſtentari. *Quid decima & quotuplices.*

Dicendum 2. Certum eſſe decimas abſolutè jure deberi Miniſtris Eccleſiæ, idque ex verâ juſtitiâ, adeo ut Miniſtri illi eaſdem exigere poſſint tamquam ex juſtitiâ ſibi debitas. Aliud docebat Wiclef in Concilio Conſtant. Articulo 18. damnatus, dicens: *Decimæ ſunt puræ eleëmoſynæ, & Parochiani poſſunt propter peccata ſuorum Prælatorum ad libitum ſuum eas auferre.* Probatur tamen Concluſio, quia cum jura, ſive divinum, ſive naturale, ſive etiam eccleſiaſticum (de quo ſtatim) injungant & præſcribant decimarum perſolutionem; Tribuunt Miniſtris Eccleſiæ jus exigendi & percipiendi decimas. Inde ſicuti ex verâ juſtitiâ debentur tributa principibus, adeo ut eadem defraudans peccaret contra juſtitiam: Ita & peccaret contra juſtitiam, qui decimas *Decimæ debentur miniſtris Eccleſiæ ex juſtitia.*

cimas nollet perſolvere, detinendo & uſurpando ſibi rem alienam, puta rem Miniſtris Eccleſiæ debitam. Probat idem communis loquendi modus tum SS. PP. tum Canoniſtarum & aliorum, qui unanimiter docent defraudare Miniſtros Eccleſiæ illos, qui decimas nolunt perſolvere; Per fraudem verò retinere rem alteri debitam, indubiè importat violationem juſtitiæ. Idem ſatis innuunt alii loquendi modi ſatis uſitati, dum dicitur decimas Miniſtris eſſe debitas, & qui eas dare noluerint aut dantes impediunt, res alienas invadere, prout loquitur Conc. Trid. Seſ. 25. cap. 12. ex quibus ſequitur ex juſtitiâ commutativâ decimas eſſe perſolvendas, imò & aliquatenus ex juſtitiâ diſtributiva, prout clarè oſtendit Card. Bellarmin. de Clericis l. 1. c. 25. dub. 4. Deus enim primitus injunxit decimam partem fructuum dari Levitis tamquam Dei Miniſtris, qui erant ex tribu Levi ex aliis 12. tribus, ſive 13. cum tribus Joſeph in duas eſſet diviſa, ſcilicèt Ephraim & Manaſſe. Quòd verò decimam partem injunxerit, non verò decimam tertiam, ideo fortè magis proportionaliter fecit, quia non defuturi eſſent decimarum retentores, qui decimas vel non æquo vel nullo modo ſolverent, & conſequenter decimam partem injunxit, ut ita veniretùr ad æqualitatem. Nec tamen objici poteſt; Clerum in N. L. vix eſſe partem ſexageſimam, ubi Levitæ in V. T. erant pars decima tertia, adeoque non illis, uti Levitis competere partem decimam fructuum: Quia ut notat idem Author loco citato, Miniſtri N. T. majoribus laboribus ſunt obnoxii quam erant Levitæ Sacerdotes, qui ex ſolâ familiâ Aäronis aſſumebantur, alii erant turba famulorum: Adde, unicum in L. V. fuiſſe templum, modo verò innumera Eccleſiaſticis ſumptibus conſervanda, uti etiam modo plurimos à ſolvendis decimis eſſe liberos, vel ex malitiâ nolentes ſolvere, vel ex conceſſione Eccleſiæ, v. g. Reges & principes, qui in ſubſidium belli earumdem

Ex quâ juſtitiâ debeantur decimæ.

dem

lem condonationem ab Eccleſiâ impetrant; Unde oncludit Doctor Angelicus quod omnibus ritè per- enſis, determinatio decimarum ab Eccleſia facta, enignior ſit & humanior quam patiatur rigor abſo- utæ juſtitiæ.

Dicendum 3. Tametſi diuturna & minus aſpera uerit diſceptatio inter Canoniſtas & Theologos, uo jure debitæ ſint decimæ, verior tamen opinio enet decimas ſecundùm id, quod ſunt miniſtro- um ſtipendia, jure naturali divino eſſe debitas, um jus naturæ & divinum dictent operarios di- nos eſſe ſuâ mercede. Hoc dictamine naturæ ob- ilit Abraham ante Legem Scriptam decimas Mel- hiſedech Regi Salem, de ſpoliis 5. Regum devi- orum Geneſ. 14. Eâdem lege, legimus iſtos gen- les, ſuis Sacerdotibus & idolorum miniſtris cer- ſtipendia aſſignaſſe, tamquam iiſdem ex juſtitia bita. De divino jure res eſt clara ex Levit. ulti- o num. 18. & alibi paſſim, ubi Deus jubet Le- tis dari decimam fructuum partem, quæ lex qua- nus eſt moralis, etiam obligat Chriſtianos, cùm oralia fundentur in lege naturæ, quæ omnes & mper obligat.

Quo jure decimæ ſint debitæ.

Quatenus verò ſtipendia Miniſtrorum Eccleſiæ xata ſunt & determinata ad partem decimam, verior eſt Theologorum ſententia, decimas eſſe lùm ex jure Eccleſiæ. Ratio eſt, quia præceptum cimarum, quantùm ad illam determinationem, n eſt legis naturæ, quæ ſolùm generaliter dictat, iniſtris Eccleſiæ deberi ſtipendium, non determi- ndo partem decimam aut vigeſimam: nec etiam æceptum illud quoad illam determinationem eſt ris divini, cùm nullibi in lege novâ illud extet quo- illam determinationem: neque etiam in L. V. quia quantùm morale eſt nos obligans, non importat em determinationem, ſed ut ita determinatum partem 10., eſt propriè judiciale prout docet Thomas 2. 2. qu. 88. art. 1. Quod cum ſuâ lege eva-

evanuit, prout & Cæremonialia L. V. præcepta.

Quid Eccleſia poſſit circa decimas? Dicendum 4. Ex dictis ſequi Eccleſiam poſſe legem de dandis decimis vel extendere vel minuere, nullo modo tamen eam totaliter abrogare. Prius patet ex eo, quòd lex illa ſit lex Eccleſiaſtica in quâ proinde poteſt Eccleſia diſpenſare, & pro ſuo beneplacito eam invariare. Unde poteſt Papa juſtâ de causâ præcipere, ut qui modo dant decimam partem fructuum, dent de cætero tantùm vigeſimam, & è contra. Poſterius etiam videtur certum: ſi enim legem decimarum tollere Eccleſia poſſet, poſſet tollere legem naturalem divinam, quæ dictat ſtipendia debita eſſe Sacerdotibus, quæ lex utique auferretur, ſi omnino lex decimarum ſupponeretur ablata aut abrogata. Fatendum tamen, poſſe Eccleſiam juſtis de cauſis aliquos abſolvere à ſolvendis decimis, uti ſæpè fit, ſic tamen ut ſemper ſuis Miniſtris ſufficienter provideat, nec in eo legem decimarum totaliter aufert, ſed ſolùm cum aliquo diſpenſat, relinquendo legem illam in ſuo vigore quoad alios. Dicta quoque intelligenda ſunt de lege decimarum conſideratâ ut eſt lex dandi ſtipendia Miniſtris Eccleſiæ, ſive ut eſt lex moralis, cùm certum ſit, legem illam, ut eſt determinata ad decimam partem, poſſe ab Eccleſiâ abrogari eo ipſo, quo in univerſum præſcriberet ſolvi partem vigeſimam.

Quæ in hac concluſione dicta ſunt de lege, etiam dicenda ſunt de conſuetudine, quæ habet vim legis, ac proinde ſi poſſit lex decimas immutare vel etiam abrogare modo mox dicto; ita poteſt & conſuetudo legitimè præſcripta. Inſuper, ſicut conſuetudo tollit legem, ita & è converſo lex poteſt tollere conſuetudinem: & conſequenter ubi conſuetudo obtinuit vel nullas decimas dare vel ſolùm vigeſimam, poteſt Eccleſia juſtis de cauſis ferre legem de dandâ parte decimâ, priorem conſuetudinem abrogando. Poſtremò circa jam dicta notari poteſt

oteſt, ſæpè apud SS. PP. & DD. legi, decimas eberi ex jure divino, vel quia intelligunt decimas rout ſunt ſtipendia Miniſtrorum Eccleſiæ; vel quia olunt eas eſſe de jure divino additâ determinatio-e Eccleſiæ, prout eſt lex de ſanctificando Feſto jus divini, vel denique, quòd illa determinatio ad ecimam habeatur jure divino, quam Eccleſia innovavit, etſi quoad determinationem illam abſolutè ſint juris poſitivi Eccleſiaſtici, ut ex dictis conat.

Quomodò debeantur decimæ jure divino.

SECTIO XII.

uinam decimas dare debeant, quibus quando & quâ de cauſa?

DICENDUM primò, omnes omnino, qui propria poſſident, debent dare decimas, ſive ille bilis ſit ſive ignobilis: dives ſive pauper: laïcus e Clericus, Chriſtianus ſive hæreticus, dummo propria poſſideant Chriſtianis ſubjecta. Ita ſtatur in jure C. *à nobis*, de decimis, & alibi paſ: lex enim hæc Eccleſiæ eſt generalis omnes nino obligans, niſi ſpecialiter ab eâdem, juſtâ causâ quis eximatur. Quòd verò ad nobiles ſpet, non ſolùm ii ad dandas decimas obligantur, etiam ad jus decimarum pro Eccleſiæ miniſtris endendum, contra illud jus violantes. Cùm enim bilium maximè Regum ac Principum munus marium ſit jus ſuum cuique tueri: maximè obliitur ad tuenda jura miniſtrorum Eccleſiæ. Imò n Regnis ſuis ac Dominiis inaugurantur, non ìm tactis Sacroſanctis Evangeliis jurant ſe Ecſiæ jura obſervaturos, ſed etiam, quòd ea obſeri facient. Deinde, ad perſolvendas decimas cæs arctiùs obligantur, vel eâ ſolâ ratione, quòd ecimas violent, ſubditi eorum exemplo facilè indu-

Nobiles debent decimas dare & conſervare.

inducentur ad eaſdem violandas, nam ſecundùm judicem populi, ſic & miniſtri ejus, ait ſapiens Eccli. 10. & *qualis rector eſt civitatis tales & inhabitantes in eâ.* Denique, ſi nec Principes à ſolutione decimarum ſint exempti: multò minùs quoque alios ab iiſdem perſolvendis poſſunt eximere, cùm Laïca poteſtas, nihil diſponere poſſit de rebus ad Eccleſiam pertinentibus, ſine conſenſu Eccleſiæ. Unde graviter peccant ii, qui principum agros elocant ſub conditione non ſolvendi decimas, illos ſcilicèt agros, qui defectu ſolutionis cenſualis evincuntur, etſi hucuſque decimas perſolverint, quod aliquando Regii miniſtri inſciis Regibus non ſine magno ſcandalo & Eccleſiæ damno & injuria practicant ad propriam utilitatem, & ipſius Regiæ Majeſtatis vilipendium. Hinc tam ſollicitè admonet Conc. Trid. ſeſ. ult. c. 20. Reges & Principes Catholicos ut ſubditos ſuos ad debitam Eccleſiæ reverentiam vocent: nec permittant, ut officiales aut inferiores Magiſtratus, Eccleſiæ & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem Dei ordinatione & Canonicis ſanctionibus conſtitutam, aliquo cupiditatis ſtudio ſeu inconſideratione violent aut infringant, ſed unà cum ipſis principibus debitam ſacris ſummorum Pontificum & Conciliorum conſtitutionibus obſervantiam præſtent.

Etiam pauperes debent dare decimas.

Quòd verò non ſolùm divites ſed & pauperes teneantur dare decimas etiam Clerico diviti, declarat S. Thomas quodlibeto 6. art. 10. ex eo, quòd obligatio decimarum ſpectet ad juſtitiam commutativam, in quâ non conſideratur conditio perſonæ, ſed æqualitas rei ad rem: ſicut qui emit rem aliquam, tenetur ſolvere pretium rei, ſive ille dives ſit ſive pauper.

Etiam Clerici.

Nec ſolùm Laïci, ſed & Clerici tenentur ſolvere decimas, non quidem decimas decimarum, quas ipſi percipiunt, ſed de prædiis patrimonialibus, quæ poſſident, cùm decimæ ſint onera prædiis annexa, niſi

ilſi fortè inſerviant Eccleſiæ, cui debentur tales de-
:imæ, cùm eo caſu ſint Parochi adjutores, & ſo-
ùm de illis debeant decimas, quando in poſſeſſione
orumdem ſe habent ut Laïci, qui in aliena Paro-
hia bona poſſident. Si verò Clericus prædium ha-
ieat, quod pertinet ad Eccleſiæ dotem, ſive quod
iabet ratione Eccleſiaſtici beneficii in aliena Paro-
hia, variant Authores, an teneatur de illo præ-
io Clericus dare decimas, aliis negantibus, eo
uòd ſimilia prædia poſſideat ut Clericus, adeoque
b obligatione decimarum ſit abſolutus: aliis ta-
ıen abſolutè affirmantibus, etiam ſimilia prædia
le decimis obſtricta: Etſi enim dotalia ſint Eccle
æ prædia, ſunt tamen cum onere decimarum ad
ccleſiam tranſlata, neque aliter tranſferri potue-
ınt, cùm una Eccleſia non poſſit cum damno alte-
us extrui, dotari, &c. Unde etiam prædia ad
ndanda monaſteria data, eo ipſo non ſunt libera
› obligatione decimarum: Quod & videtur ra-
ɔni conformius & æquitati, quamquam in hâc re
uilibet legitimæ conſuetudini poſſit adhæreri.

De hæreticis quoque res eſt clara; cùm & illi
bjiciantur legibus Eccleſiæ, uti declaravimus in
ıterioribus agendo de hæreticis. *Etiam hæreticis.*

Dicendum 2. Decimæ debentur Clericis ſive Ec-
:ſiæ Miniſtris, ac Primario quidem Parocho loci,
quo eſt prædium, etſi prædii Dominus in aliâ
rochiâ audiat Divina ſive Sacramenta percipiat.
einde Epiſcopo loci, qui eſt Parochus Superior,
cui Primariò incumbit paſcere gregem ſuum in
ritualibus. Quod verò ad Laïcos ſpectat, quos
pè decimas percipere & exigere videmus, in
mis notandum eſt, Laïcum per ſe & nomine ſuo
n poſſe obtinere jus decimarum, quod cum ſit
rituale, in Laïcum cadere non poteſt. Unde,
i Poſſeſſionis eſt incapax, rem illam uſucapere
:uit aut præſcribere. Poterit tamen nomine Ec-
ſiæ concedentis ipſi decimas, exigere eaſdem,
prout

Quibus debeantur decimæ.

An Laïci poſſint percipere decimas.

prout ille, qui decimas à Parocho conducere ſolet. Solet autem Eccleſia perſonis Laïcis, ſimilem facere facultatem propter obſequium aliquod Eccleſiæ præſtitum, quare ſæpè in feudum Principibus decimas ab Eccleſia datas videmus; vel etiam decimas concedit propter aliquod munus in Eccleſiâ, v. g. cantûs aut quid ſimile; Ita tamen ut ſemper ratione & nomine Eccleſiæ decimæ à Laïco exigantur. Ex quo colligi poteſt, quo ſenſu varii Pontifices anathemate feriri curaverint Laïcos varios, qui jure hæreditario decimas prætendebant, puta jure proprio, nec ab Eccleſiâ ſibi communicato. Cùm verò in Concilio Lateranenſi habito 1179. ſit interdictum Laïcis dare decimas in feudum in perpetuum: Sequitur Epiſcopi authoritate decimas non poſſe Laïco dari in feudum idque in perpetuum, ſed ſolâ ſummi Pontificis authoritate, cùm hoc jure communi ſit interdictum, in quo Epiſcopus nequit diſpenſare. Poſſunt tamen authoritate Epiſcopi decimæ Laïco vendi, elocâri aut concedi ad breve tempus juſtâ de causâ, cùm in Clement. I. *De rebus Eccleſ. non alienandis*, dicitur, quod res Eccleſiæ ad breve tempus poſſint alienari. Modicum verò tempus in jure ſolet eſſe intra decennium; ſub quo tamen non videtur poſſe comprehendi elocatio vel conceſſio ad vitam. Ubi tamen uſu recepta eſt conſtitutio Pauli III. quæ incipit *Ambitioſæ*: de rebus Eccleſ. non alienandis, deçimæ ultra triennium alienari non poſſunt.

De quibus debeant dari decimæ.

Dicendum 3. Etſi in jure perſolutio decimarum facienda ſit ex omnibus fructibus prædii, ex omni lucro negotiationis, aut alterius induſtriæ, uti & ex omnibus animantibus eorumque fructibus, & ſatis concordet lex divina de omnibus bonis decimas præſcribens: tamen in hac parte plurimùm valet & attendi debet, cujuſque loci conſuetudo. Hinc

in

in quibuſdam locis videmus decimas fœni ſolvi; in aliis minimè, uti & in aliis multis, tam fructibus prædiorum, quam animalium. Hoc tamen notandum eſt, quòd ſi prædicti fructus non ſolvant ex conſuetudine decimas, ſi fructus illi à Domino mutentur, v. g. ſi prius fœnum erat, poſtea aretur & fiat frumentum, de eodem decimas eſſe perſolvendas: uti & è contra à decimis ſunt exempti, ſi fructus ex conſuetudine non debeant decimas, etſi fructus interiores prædii debuerunt. Inſuper, ſi prædium bis terve in anno ferat fructus, ex jure de omnibus dandæ ſunt decimæ, quamquam conſuetudo hîc ſæpè aliud præſcribat.

Dicendum 4. Decimam prædialem ſolvendam eſſe: quando fructus prædii ſunt collecti: ex fœtu verò animalium ſolvendæ ſunt, quando eſt tempus naſcendi pullorum; ex lanâ, quando pecudes ſolent tonderi; ex pellibus, butyro, &c. quando huſmodi res ſolent præparari. Cum verò decimæ ſint oblatio de jure debita Eccleſiæ miniſtris, clarum eſt decimas dandas eſſe etiam antequàm petantur. Hinc apud Eſdram l. 2. c. 10. *Legimus; primitias Ciborum noſtrorum . . . . . afferemus Sacerdotibus, & decimam partem terræ noſtræ Levitis*. Et Deuteronomii 12. *in loco quem elegerit Dominus Deus veſter . . . . huc omnia quæ præcipio vobis conferetis; holocauſta & hoſtias ac decimas, &c.* Denique Malachiæ 3. *Afferte omnem decimam in horreum meum*: Et illud Eſdræ 2. c. 13. *Et omnis Juda apportabat decimam frumenti, vini & olei in horrea.* Ubi notari poſſunt illa verba, *afferre, conferre, inferre* & *apportare*. In hoc Judæi Chriſtianos confundunt, qui non ſolùm manipulos decimarum in agro relinquunt, ſed etiam eoſdem ab injuriâ aëris vel digito liberare dignantur, nec multum decimarum accederet ad rochos, ſi eorumdem curâ decimæ non colligerentur: adeo ut verum foret illud Chryſoſtom. in 2. Epheſ. hom. 4. *Mihi*, ait, *dicere ſolebat neſcio*

Quando decima ſint ſolvenda.

quis, miraculi loco referens, talis decimas dat. Addit que: *Quanti dedecoris plenum hoc eſt, quia quod Judaicæ legis tempore nihil præ ſe ferebat miraculi dignum, hoc ipſum inter Christianos cœpit videri mirabile?*

Quibus debeantur decimæ. Dicendum 5. Decimas deberi primò Deo ipſi ob ſupremum ejus dominium in omnes res creatas, cùm *Domini ſit terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & omnes qui habitant in eo*: Pſalm. 23. unde Eccl. 35. *In exultatione ſanctifica decimas tuas: da altiſſimo ſecundùm datum ejus.* Et Levit. 27. *Omnes decimæ terræ, de frugibus, ſive de pomis arborum, Domini ſunt.* Neque tamen inde liceat inferri, præceptum decimarum in L. V. fuiſſe Cæremoniale, quod tamen anteà negavimus, cùm tametſi decimæ dentur in proteſtationem ſummi Dominii, & conſequenter ad colendum Deum: non tamen immediatè & per ſe dantur ad illum finem, uti faciunt Sacerdotes in Sacrificiis: verùm Deo ſolùm mediatè dantur decimæ, puta Deo in ſuis miniſtris: ad cæremoniale præceptum autem requiritur, ut ſit immediatè & per ſe datum ad colendum Deum.

Secundò dantur decimæ miniſtris Eccleſiæ ad eoſdem ſuſtentandos propter eorumdem miniſterium, cùm dignus ſit operarius mercede ſuâ, & qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni ſint habendi, maximè qui laborant in verbo & doctrina, ut ait Apoſtolus 1. Tim. 5. porro decimarum perſolutio in comparatione tanti miniſterii, nulla eſt, ſive laborem ejus conſideres ſive dignitatem, etſi homines carnales ſeſe nimium debere aliquando opponant ſine fundamento.

Tertiò dantur decimæ propter pauperes nec ſolùm eæ dantur Clericis ut ſe paſcant, ſed etiam ut pauperum curam habeant, quorum ſunt Patres ſpirituales. Hinc S. Auguſt. Serm. 219. de temp. *Decimæ*, ait, *tributa ſunt egentium animarum: redde ergo tributa pauperibus: offer libamina, Sacerdotibus:*

&

& quanti pauperes in locis ubi ipſe habitat, illo decimas non dante, mortui fame fuerint, tantorum homicidiorum reus ante tribunal æterni Judicis apparebit, quia à Domino pauperibus delegatam ſuis uſibus reſervavit. Quæ ſententia meritò in jure Can. eſt olim inſerta. Ex quo etiam colligitur Epiſcoporum & aliorum Clericorum decimas recipientium obligatio quoad pauperes juvandos; cùm decimæ non ſolùm propriæ ſuſtentationi, ſed & pauperum ſint conceſſæ. Idem eſt de decimis Abbatiis & menſæ Prælatorum attributis: quaſi decimæ ſolùm ejuſmodi menſæ ſint appropriatæ & non ſimul debeantur egenis.

SECTIO XIII.

Quomodo decimæ ſint exigendæ.

Dicendum primò, decimæ exigendæ ſunt coram judice Eccleſiaſtico, cùm decimarum cauſa ſit planè ſpiritualis, quæ ad Laïcam poteſtatem non pertinet. Quæ concluſio etiam locum habet in iis quæſtionibus, quæ ex jure decimarum ortum habent: v. g. quando conductor decimarum non ſatisfacit, &c. Aliud eſſet, quando fructus decimi jam collecti ſunt aut ſoluti, ſi eoſdem quis furetur aut aliter invadat, tunc enim ejuſmodi cauſa coram judice Laïco poterit tractari, cùm ejuſmodi fructus jam ſoluti, non ſint quid ſpirituale, aut aliquam habere connexionem cum ſpirituali amplius cenſeantur.

Dicendum ſecundò, etſi Clerici teneantur ſollicitè tueri jura ſuarum reſpective Eccleſiarum; illudque juraverint; tamen aliquando expedit, extremo rigore in defendendis decimis non uti, maximè ſi ex illo rigore prævideatur grave ſcandalum aut aliud incommodum. Cùm enim juramentum non

Præſtat aliquando non uti ſummo rigore in exigendis decimis.

non ſit vinculum iniquitatis ; certum eſt, juramentum non habere locum in caſu gravis ſcandali aut Dei vel proximorum injuriæ : debet ergo juramentum intelligi, ſalvis honore Dei & ædificatione proximorum, & temporalia potiùs perdenda ſunt, quàm quòd nomen Dei propter noſtrum rigorem blaſphemetur aut proximi ſcandalizentur. Aliud foret, ſi ſolùm eſſet ſcandalum Phariſaïcum, uti dictum eſt de ſimili caſu, agendo de ſcandalo.

Dicendum 3. Etſi quoque Concilia & Eccleſiâ velint, ut jura decimarum maneant inviolata, tamen ſæpè propter commune bonum tum Eccleſiæ tum Reipubl. aliquid de jure illo adimitur, in quo ſeſe ſubditi & inferiores Clerici tenentur conformare conſenſui ſuperiorum. Sic Alexander Farneſius ab hinc circiter 100. annis partes noſtras Catholico regimini ſubdens, alibi convenit, ut decimas non ex integro deberent ſolvere, prout & alibi ab aliis eſt inſtitutum : Quod tamen nihil omninò conferre aliqui volunt, quo minùs ſubditi illi à ſolutione decimarum eximantur, cùm politica poteſtas nequeat illud relaxare; quòd generali Eccleſiæ conſtitutione eſt injunctum, puta decimas plenè & fideliter perſolvere. Verùm enimverò ſupponi hîc debet, in primis talia non ſine conſenſu ſuperioris Eccleſiaſtici facta & conventa eſſe idque ob boni publici neceſſitatem. Quâ cauſâ expedit rigorem legis Eccleſiaſticæ aliquando vel pro parte vel etiam in toto cedere & remitti: In quo proinde inferiores Clerici ſeſe tenentur conformare : Si tamen, quædam opponenda habeant, quaſi id neceſſitas boni communis, aut alia cauſa non exegiſſet, habent quo modeſtè appellent & judicetur de æquitate cauſæ, quæ prætenditur : In dubio tamen ſtandum erit judicio Epiſcopi aut alterius ſuperioris annuentis tali conventioni.

Dicen-

Dicendum 4. Tenetur quilibet Clericus decimas ſuas exactè obſervare & ſolvi procurare, nec poteſt pro ſuo libitu eaſdem remittere aut non exigere: Ad prius enim tenetur vi juramenti præſtiti, ad tuenda jura ſuæ Eccleſiæ. Ad poſterius quoque obligatur, quatenus non ſolùm ad ſe ipſum ſpectant decimæ, ſed & ad omnes alios ſubſequentes, quibus ſæpè condonando decimas graviter præjudicat. Hinc graviter delinquunt Parochi ditiores, qui decimarum curam negligunt, quo fit, ut alii ſuccedentes non niſi cum magno labore & damno decimas ſibi debitas recuperare poſſint, quas ſui prædeceſſores ſuâ incuriâ neglexerunt.

Tenetur Parochus jus decimarum exactè obſervare.

Dicendum 5. Graves eſſe pœnas conſtitutas iis, qui decimas non ſolvunt, aut eaſdem injurioſè invadunt. Primò enim Malachiæ 3. dicitur homo Deum veluti clavis affigere, qui decimas non ſolvit. Deinde variè exaggerat aliam pœnam eorumdem S. Aug. hom. 49. ad plebem Africanam, dum ait: *Majores noſtri ideo copiis omnibus affluebant, quia Deo decimas dabant, & Cæſari cenſum reddebant: Modo autem quia deceſſit devotio Dei, accreſcit indictio fiſci. Noluimus cum Deo partiri decimas, modo autem totum tollitur: Hoc tollit fiſcus, quod non accepit Chriſtus.* Et poſt pauca ex parte Dei ita ſubdit. *Fallerel me exiſtimaſtis, intus in thezauris veſtris, & in domibus veſtris erit direptio: Dabo impio militi, quod non vis dare Sacerdoti.* Certè experientiâ conſtat, pleroſque experiri hanc S. Auguſt. ſententiam, non aliâ de causâ, quam quia decimas Deo & Parocho non perſolvunt. Aliam pœnam ſtatuit Conc. Trid. Seſ. 25. c. 12. in eos, qui decimas ſubtrahunt aut impediunt, ſcilicet excommunicationem, nec quod ab hoc crimine abſolvi poſſunt, niſi plenâ reſtitutione ſecutâ. Quod ſi quidam decimas injuſtè uſurpatas, quietè eaſdem poſſidere pergant, nec in ſua poſſeſſione deturbentur, cogitent ſibi majorem in futuro remanere pœnam Sacrilegio ex æquo debitam.

Pœnæ non ſolventibus decimas.

Digitized by Google

Benedictiones ſolventium decimas.

Econtra verò, quanta benedictio maneat illos, qui exemplo Tob. c. 1. Decimas *Fideliter* offerunt, vel ipſi gentiles experti ſunt, quorum hoc erat adagium: *Dives fieri, qui vult, herculi decimam ſolvito.* Idem promiſit ipſe Deus per Prophetam Malachiam 3. ubi ait: *Inferte omnem decimam in horreum, & ſit cibus in domo mea: & probate me ſuper hoc dicit Dominus, ſi non aperuero vobis cataractas Cœli, & effudero vobis benedictionem uſque ad abundantiam, & increpabo pro vobis devorantem & non corrumpet fructum terræ veſtræ.* Hinc eodem juſto Dei judicio videmus, quaſdam terræ partes congruenti imbre perfundi, fructus dare uberrimos, alias autem ſatis contiguas areſcere, fructus grandine devaſtari, à prædonibus conculcari, &c. Undè ut ab hujuſmodi pœnis terræ liberentur, & è contra benedictionibus dictis repleantur: ſæpè à parochis obligatio ſubditorum quoad decimas perſolvendas erit exponenda & ad eamdem ſollicitè admonendi, non proprii lucri cupiditate, ſed deſiderio & zelo boni communis & gloriæ Dei & Eccleſiæ ac ſalutis ſubditorum.

Denique hîc advertendum eſt, ne Parochi juſtâ decimarum ſolutione defraudentur, & ſuperiores eiſdem ſine labore gaudeant: Fit enim ſubindè quod ii, qui ſuſtinent pondus diei & æſtûs minimam decimarum partem recipiant, quibus tamen primariò decimæ debentur. Hinc verbis Eximii D. Joán. Molani concludo, quæ habet in fine orationis ſuæ de decimis, ita finiens: *Illud poſtremum ſit, quod per viſcera miſericordiæ Dei rogo Canonicorum & Monachorum collegia, atque Capitula, ut decimas ſuas non defendant ſordidè contra Paſtores ſuos, ſed meminerint primo loco eas deberi Paſtoribus, ut videlicet exinde duplicem honorem, hoc eſt abundantem competentiam ac ſuſtentationem percipiant. Quare, quod eis canonicè debetur, qui præ reliquis portant pondus diei & æſtûs, hoc integrè ac ſine ullâ moleſtiâ*

perci-

percipiant. Imminuatur potius numerus Monachorum & Canonicorum. Nimia enim abſurditas eſt Paſtores canonicâ portione viros Eccleſiaſticos defraudare: Quod nemo vir bonus flagitare, neque ullus Epiſcopus tolerare poteſt. Hæc ille, qui & ſubdens laudat Colonienſem civitatem, quæ Eccleſias malè dotatas & ob hoc malè de Miniſtris proviſas, meliùs dotavit & viros Doctrinâ eminentes eiſdem acquiſivit, optans, ut & idem aliæ Civitates imitarentur.

CAPUT UNDECIMUM.

De Voto.

SECTIO PRIMA.

Quid ſit votum, & quotuplex.

DICENDUM I. Votum propriè nihil aliud ſignificat, quam *promiſſionem Deo factam.* Alii addunt, *de meliori bono*, ut objectum voti magis explicetur. Dicitur *promiſſio*, ſive externa, ſive interna: ſive explicita, ſive implicita: non enim ad votum requiritur, ut externo ſigno Deo quidpiam promittamus, v. g. ſcripto, verbo &c. ſed votum ſolo animo, & voluntate Deo offerri poteſt: quâ parte votum differt à promiſſione homini factâ, dum homines vident ea, quæ parent; Deus autem intuetur cor. Sic quoque non requiritur ad votum, ut explicitè ſe quis velit per votum obligare; ſed ſatis eſt, quod deliberatè aliquid ſuſcipiat, cui ſcit obligationem voti eſſe annexam: ſic qui ſuſcipit Ordinem ſacrum, cenſetur implicitè vovere caſtitatem, dum Ordini ſacro annexum eſt votum caſtitatis. *Quid votum.*

Differt à propoſito, in quo. Diſtinguitur autem promiſſio à propoſito, eo quod promiſſio obliget promittentem, non itidem propoſitum: unde etſi quis firmiſſimè proponat aliquid facere etiam in honorem Dei, non erit propriè votum, niſi accedat promiſſio: quare etiam propoſitum frangere, per ſe nullum eſt peccatum. Ratio eſt, quod qui proponit vovere, necdum voveat; ſed ſignificet ſolùm animum jam inclinatum, & paratum ad vovendum: hinc etiam natura propoſiti eſt de ſe variabilis; imò ſapientis aliquando eſt mutare conſilium, id eſt propoſitum. Ex quo conſequenter patet, per ſe ne quidem eſſe veniale peccatum propoſitum mutare. Si verò alibi in jure, vel SS. Patribus videatur contrarium innui, vel debet intelligi de verô votô, quod per propoſitum ſæpè ſignificatur: vel etiam, quod ille, qui propoſitum bonum mutat, occaſionem boni ſibi abripiat, non quod ideo verè peccet. Hinc etiam cap. litterarum de voto: docetur eum, qui ultrà propoſitum mutandæ vitæ non eſt progreſſus, in voto illo non teneri. Et Conc. Trid. ſeſ. 25. regul. c. 15. & 16. datur facultas Novitio dimittendi habitum, etſi eum aſſumpſiſſet cum firmo propoſito permanendi, aut promittendi.

Mutare propoſitum non eſt per ſe peccatum.

Nec etiam dici poteſt, quod ratione inconſtantiæ ille peccet, qui bonum propoſitum mutat, eo quod conſtantiæ obligatio ſolùm urgeat, ad perſeverandum in bono obligatorio, quamvis quidem inclinet ad perſeverandum in bono non obligatorio. Negandum tamen non eſt, ſi ſine causâ propoſitum boni mutetur, eſſe quandam in eo deordinationem, dum quis à viâ perfectionis declinat ſine causâ, unde ſaltem erit venialis culpa: & hâc ratione dictum eſt, non eſſe *per ſe* culpam, mutare propoſitum.

Promiſſio ſimulata. Quæres, an hic ſufficiat promiſſio ſimulata, v. g. ſi ſolo ore promittas, non animo: ſi promittas animo quidem promittendi, ſed non animo te obli-

obligandi: ſi promittas animo te obligandi, ſed non exequendi id, quod promittis. Reſp. prima, & ſecunda ſimulatio impedit efficaciam voti. Ratio eſt, quia talis non verè, ſed ſolùm quoad apparentiam promittit, ergo nec verè vovet. Deinde, cum habet quis animum ſe non obligandi, etiam eo ipſo habet animum non promittendi, dum promiſſio ſine obligatione eſſe non poteſt. Inſuper obligatio voti pendet ab intentione voventis; dum votum eſt lex privata, quam quiſque ſibi vovendo imponit: ergo ſi vovens nullam ſibi intendat imponere obligationem, nullam omninò votum habebit obligationem. Repugnat ergo velle vovere, & non velle ſe obligare.

Quod ad tertium ſimulandi modum attinet, verius videtur, tenere tale votum. Ratio eſt, quod obligatio ad opus exequendum, & executio operis ſit omninò diverſa, adeoque poſſit eſſe animus verè ſe obligandi, etſi deſit animus opus exequendi: ſic quoque habere quis poteſt animum verè alterum obligandi, ſic tamen, ut non habeat animum opus ab alio exequendi, uti in Deo patuit reſpectu Abraham quoad immolationem filii. Ergo etiam poterit quis ſibi injicere obligationem ad aliquid, etſi deſit animus id exequendi.

Dices S. Thomas q. 88. art. 1. docet ad votum tria eſſe neceſſaria, deliberationem, promiſſionem, & propoſitum faciendi rem promiſſam. Reſp. requiritur quidem tale propoſitum ad votum, prout ordinariè fit, ac etiam, dum fit licitè. Ita etiam intelligendum eſt, quod ait, *promiſſio procedit ex propoſito faciendi*, puta ordinariè, & ut licitè fiat promiſſio. *Objectio 1*

Dices 2. talis potius vult irridere, quam promittere, qui dicit ſe promittere, ſed ſtatim ait, ſe promiſſum non velle adimplere. Deinde, quod eſt de eſſentia voti; eſt etiam de eſſentiâ promiſſionis, de cujus ratione eſt voluntas faciendi, quod promit- *Objectio 2*

mittitur. Reſp. ad primum, ſi homini conſtaret; quod non obſtante eo, quod diceret ſe nolle promiſſum adimplere, haberet tamen animum ſe obligandi: maneret alter verè obligatus, nec ab obligatione promiſſionis abſolveretur, quod diceret ſe nolle promiſſum exequi. Ita & fit hoc caſu reſpectu Dei, cui omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet ſecretum. Ad aliud autem. Reſp. quod quamvis illud ad perfectionem promiſſionis ſpectat, tamen non ſpectet ad promiſſionis eſſentiam, ſed tantum conſecutive ſe ad illam habet. Animus enim promittendi requiritur ad eſſentiam promiſſionis, non verò animus promiſſa exequendi, etſi illa ſoleant conjungi.

Simulatè vovere eſt peccatum. Hinc deducunt, ſimulato animo vovere eſſe peccatum mortale, in voto religionis, Ordinis ſacri, &c. etſi enim liberum ſit, ſe hìc obligare, vel non obligare: eo ipſo tamen, quo ſtatum illum aſſumis, obligaris aſſumere eo animo, & voluntate, quam Religio, vel Eccleſia præſcribit. Deinde, aliàs gravis fieret injuria religioni, aut etiam Eccleſiæ. Vide dicta de Apoſtaſiâ. Et quidem, ſi fictio ſit in propoſito exequendi promiſſum, erit peccatum veniale, aut mortale; prout eſt materia voti gravis, vel levis, quod non implere eſt peccatum mortale, vel veniale: adeoque propoſitum illud non implendi reſpectivè erit tale. Cum verò Deus optimè noſcat, animo non obligandi, aut non promittendi votum deſtrui, & illi hoc conſtet, ſi fiat: etſi ſit aliqua inordinatio, dum verba non conveniunt animo, non tamen videtur eſſe mortale, dum reſpectu Dei nulla poteſt fieri fictio, nec de cætero proximo ex illâ fictione ſit præjudicium, uti ſupponitur.

Diviſio voti. Dicendum 2. Votum dividitur in *abſolutum* & *conditionatum*, prout à conditione voto adjectâ pendet, vel non pendet. 2. In *ſimplex*, & *ſolemne*, de quo poſtea. 3. Ex parte materiæ, in *liberum*, & ne-

neceſſarium, prout res, quæ vovetur eſt libera, vel præcepta. 4. Ex parte objecti, in *perſonale*, dum vovetur actio perſonæ: *reale*, dum aliqua res, & *mixtum*, dum utrumque. 5. In *affirmativum*, dum res poſitiva promittitur, ut eleēmoſyna: & *negativum*, dum negatio, v.g. abſtinentia à cibo, &c. 6. In *temporale*, quod pro certo tempore fit: & *perpetuum*, quod pro ſemper. 7. In *reſervatum*, & *non reſervatum*.

SECTIO II.

Quænam ad valorem voti ſint neceſſaria.

DICENDUM 1. Ultrà promiſſionem dictam, neceſſaria eſt ad valorem voti deliberatio; ſive, quod animo deliberato emittatur: eſt enim votum lex privata, quam quis ſibi liberè vovendo imponit. Deliberatio autem hic requiſita eſt illa, quæ ſufficeret ad conſtituendum actum humanum, & ſimpliciter liberum, qualis quoque ſufficeret ad peccatum mortale. Illa enim libertas, quæ ſufficeret ad quempiam devovendum diabolo, etiam ſufficiens eſt ad vovendum Deo. Ad hoc autem non requiritur matura, & longa diſcuſſio eorum omnium, quæ conſiderari poſſent: ſed in inſtanti etiam ac breviſſimo tempore obligatio voti poteſt reperiri, uti in aliis contractibus idem locum habet. Poteſt enim perfecta deliberatio haberi in inſtanti, uti patet in delectatione moroſâ. *Deliberatio ad votum requiſita.*

Unde ſequitur ulterius, quod ſicuti quando aliquem ſtatim poſt contractum, aut poſt peccatum mortale pœnitet ſe illud feciſſe, non ſit ſufficiens ſignum indeliberationis præteritæ: ita & in pœnitentiâ voti. Ita etiam non arguit inſufficientem deliberationem, ſi poſtea maturius attentis circumſtantiis, noluiſſet voviſſe.

Di-

Sufficit intentio vovendi virtualis. Dicendum 2. ſufficit ad votum intentio virtualis, prout in aliis actibus humanis: hinc ſi te diſponas v. g. ad vovendum in profeſſione, & eo tempore, quo votum emittis diſtraharis animo, non ideo votum non tenet, eo quod actualis intentio, etſi præterita, virtute cenſeatur remanere in actu vovendi, & votum ex eâ provenire. Idem habet locum in aliis actibus moralibus, contractibus, &c.

Dicendum 3. quamquam juxtà dicta, non requiratur ad votum matura, ac diuturna circumſtantiarum diſcuſſio: tamen illa ſæpè eſt neceſſaria, ut votum licitè fiat, maximè in rebus arduis, v. g. voto religionis, ut videat maturè, ſi habeat ad perficiendum, de quo poſtea. Hinc, ſine ſufficienti deliberatione vovere, eſt peccatum: diſplicet enim Deo ſtulta promiſſio. Et quidem aliquando erit peccatum mortale, ſi præcipitanter vovendo, exponeret ſe quis periculo peccati mortalis, v. g. non implendi votum in materiâ gravi: promittendi Deo rem malam, &c. Veniale tamen erit, ſi ſolùm adſit defectus prudentiæ requiſitæ.

Obligatio voti ſub dubio. Quæres, quid faciendum in dubio, an deliberatio fuerit ad vovendum ſufficiens. Reſp. varium hic poteſt eſſe dubium, non ſolùm quoad deliberationem ſufficientem; ſed etiam quoad ſubſiſtentiam Voti. Hinc 1. ſi quis dubitet, an voverit, an verò ſolummodo propoſuerit aliquid ſine voto, attendi poſſunt ſequentes regulæ. Prima, quod ſi quis facto propoſito aliquid faciendi, dubitet, an verè voverit, præſumi poteſt eum non voviſſe: ratio eſt, quod quando quis vovit, intentio vovendi, & obligandi ſoleat inhærere memoriæ, nec tam citò evaneſcere. *Regulæ dignoſcendi an quis voverit.*

2. Si quis non habuerit animum opus propoſitum exequendi, poteſt in dubio præſumere, ſe non voviſſe; cum vix contingere ſoleat, quod animus vovendi abſit ab animo ſe obligandi.

3. Idem

3. Idem aliquo modo colligi poteſt ex modo dicendi, vel concipiendi; ſi enim quis nudè dixerit, vel conceperit, *faciam hoc* v. g. in dubio ſolent ea verba accipi pro nudo propoſito: ſi verò dixerit, aut concepetit hoc modo: *faciam hoc, ſi feceris illud*, ſolet præſumi fuiſſe verum votum, dum dicta verba important promiſſionem, ſeu pactum illud faciendi poſitâ conditione.

Deinde, dubium eſſe poteſt de eo, an voverit ſatis deliberatè, ita ut ſufficienter conſtet ſe voviſſe. Ad quod communiter ſatis docent Authores, quod votum teneat, cum præſumatur, quilibet egiſſe modo humano, adeoque cum ſufficienti advertentiâ, niſi contrarium aliundè conſtet.

Denique poteſt eſſe dubium, an quis voverit abſolutè, quod coïncidit cum priori dubio, quo caſu communis eſt opinio, eum voto non teneri. Ratio aſſignari ſolet, quod in dubio ſit melior conditio poſſidentis, quæ regula in materiâ juſtitiæ rectè admittitur: verum in hâc materiâ non videtur, quomodo libertatis poſſeſſio faciat aliquod indicium, aut præſumptionem eum votum non emiſiſſe, ut rectè obſervat Mercorus p. 2. art. 29. Unde juxtà eumdem, ratio hîc eſt, quod ideo non præſumatur voviſſe, quod emiſſio voti ſit res gravis, adeoque non ſine deliberatione vovere ſoleat, non perfunctoriè, & conſequenter obligationis intentio ſoleat memoriæ inhærere, adeoque in dubio, meritò præſumi poſſit eum non voviſſe, nec teneri ad ejus obſervantiam.

Dicendum 4. ſequitur ex dictis, ad votum requiri libertatem in vovente, nam ut ait D. Bonaventura in 3. diſt. 38. art. 3. q. 2. *Deus vult ſacrificia voluntaria, non coacta.* Ratio eſt, ne aliàs videretur Deus coactionis, aut injuriæ approbator. *Libertas ad votum requiſita.*

Hinc collige 1. votum gravi metu injuſtè extortum eſſe invalidum, ſaltem de jure Eccleſiaſtico: hujus autem juris conſtitutionem plus Doctorum tra- *Quis metus voto obſit.*

ditio

ditio firmat, quam jus poſitivum, ut ex Navarro tradit Sylvius. Vide, quæ diximus agendo de contractibus. Si verò votum metu levi extorqueatur, docent communiter votum tenere, nec ejus conſiderationem habendam eſſe, tam in foro conſcientiæ, quam foro externo: etſi conferre poſſit, ad facilius in voto tali diſpenſandum.

Error qui votum irritet. Collige 2. cum juxtà illud juris, *nihil ſit magis contrarium conſenſui, quam error*; etiam errorem circa ſubſtantiam voti, qui ſit antecedens, ſive qui eſt cauſa vovendi, irritare votum. Idem eſt, ſi error ille in materiam voti redundet; hoc autem fieri poteſt ex parte voventis, ſi neſciat votum obligare: ſi putet ſe vovere ordinem Præmonſt. ubi tamen eſt Carthuſianus: ſi erret circa materiam voti, v.g. ſi voveat dare pauperi nummum, quem tenet manibus, putans eſſe æneum, ubi tamen eſt aureus: ſi erret circà finem principalem voti, v.g. ſi voveat pro ſanitate Patris ire Romam, ubi tamen Pater eſt mortuus: & generaliter, quando eſt error circà talem circumſtantiam, quæ meritò judicetur pertinere ad ſubſtantiam hujus voti. Secus tamen eſt, ſi error ſit circà aliquam occaſionem, ſive cauſam impulſivam voti, eo quod error talis ſupponat voluntatem voventis abſolutè determinatam ad vovendum, etſi aliud ſit occaſio, cur voveat; adeo ut ejuſmodi cauſa ſolùm moveat, ut voluntas libentius voveat, non ut abſolutè voveat, adeo ut etiam occaſione illâ abſente, votum equidem fieret, etſi non eâ facilitate. Diſtinctio hæc dicta eſt in voto diligenter attendenda, dum ſi ſit occaſio vovendi, & non cauſa, etſi non exiſtat illud, cujus occaſione voves, equidem votum tenet: ſi verò illud ſit finis, ſeu cauſa vovendi, eâ deficiente, votum quoque deficit, juxtà ante dicta.

§ E.

SECTIO III.

An votum ſoli Deo fieri debeat.

DICENDUM 1. Votum eſt actus religionis, ut de Pſalmo 49. adjungitur ſacrificio, *immola Deo ſacrificium laudis; & redde altiſſimo vota tua.* Eſt enim votum, voluntas colendi Deum opere ipſi grato, firmata promiſſione Deo factâ. Hoc autem intellige de actu religionis proprio; etſi enim per votum poſſit quis promittere Deum amare, Deo obedire, &c. non quidem ex affectu Religionis, ſive colendi Deum, ſed affectu amoris, obedientiæ, &c. tamen ſemper equidem manet in voto ratio promiſſionis, quæ ex ſuâ ratione reſpicit bonum ejus, cui fit promiſſio: amare autem Deum, illi obedire ut talia, non cenſentur eſſe bonum Dei, adeoque nec materia propria promiſſionis, ſive voti. Deinde materia propria voti eſt ſupererogationis, etſi poſſit ſubindè eſſe præcepti, ut poſtea dicetur: amare autem Deum, illi obedire ſunt opera præcepti, adeoque nec materia propria voti. *Votum eſt actus religionis.*

Idem dicendum eſt de impletione voti, quod ſcilicet ſit actus Religionis; ſaltem imperatus. Patet hoc ex dicto pſalmo 47. ubi expletio voti, ſacrificio conjungitur. Actus enim ille, quatenus exercetur vi promiſſionis Deo factæ ad Deum colendum, pertinet ad religionem. Deinde, frangere votum eſt vitium irreligioſitatis, ergo ſervare pertinet ad religionem.

Quæres, quomodo ergo rectè emittantur vota ſanctis, v. g. quando alii dicunt, *voveo Deo, B. Mariæ, S. Dominico, S. Benedicto, & tibi Rde. Pater.* Reſp. juxtà aliquos hic dici, votum factum ſanctis cadere ſub votum materialiter, quatenus homo Deo vovet ſe adimpleturum, quod vovet ſan- *Vota facta SS. Prælato, &c.*

ſanctis, Alii dicunt, eo caſu ſanctos conſiderari, ut in illis per gratiam & gloriam Deus ſpecialiter habitat, adeo ut, dum vovetur ſanctis, etiam voveatur Deo, qui eſt in ſanctis ſuis. Alii verò dicunt, non fieri hic diverſa vota ad Deum, alia ad ſanctos: ſed tantùm Deo; ſanctos autem hìc aſſumi tamquàm teſtes promiſſionis Deo factæ, quod clarè ſignificatur, quando aliqui vovent ſub hac formâ: *voveo Deo, & coram B. Virgine*, &c. Quibus tamen non obſtantibus manet quæſtio, an non ſit verum votum, etiam cum ſolis ſanctis votum emittitur. Ut eorum interceſſione aliquid conſequamur. Unde dicendum hìc eſt, quod ſicuti actus colendi Deum, excepto ſacrificio, ſolent extendi quoque ad ſanctos, uti dictum eſt de adoratione, oratione, &c. ita fieri etiam in voto, quo etiam ſanctos honoramus tamquam cæli cives, & amicos Dei, qui interceſſione ſuâ nos poſſunt juvare, vel etiam quibus gratias referre poſſimus, & vota ob eamdem cauſam emittere.

Quod verò ad vota Prælatis facta attinet, dicendum ea eſſe vota ſimpliciter & propriè dicta, dum intentio promittentis implicitè cenſetur referri ad Deum, dum ea explicanda eſt juxtà communem acceptionem Eccleſiæ, & modum, quo communiter Prælatis vota emittuntur: Eccleſiæ verò ſenſus hic eſt, ut quando vovent Prælato, cenſeantur vovere Deo, à quo omnis poteſtas humana deſcendit.

Vovere eſt laudabile & opus ex voto eſt melius, quam ſine voto.

Dicendum 2. laudabile eſt, ac Deo gratum aliquid vovere: imò opus ex voto factum eſt magis meritorium, quam factum ſine voto. Prior pars patet ex dictis, quod votum ſit actus religionis, adeoque actus laudabilis, Deo gratus, & meritorius. Ratio eſt, quod per votum voluntas firmetur in bono opere exequendo; idque in honorem Dei: deinde, vota Deum offenſum placant, unde Prov. 15. *Vota juſtorum placabilia.* Neque hìc dici

ci poteſt, ex voto creari homini periculum pecca-ti, dum ſi non voviſſet, non peccaſſet, ſi votum non impleat: quia juxtà D. Thomam art. 4. q. 88. numquam ex voto creatur homini periculum pec-cati, ſed ex culpâ hominis votum voluntariè in-fringentis, vel ex temeritate imprudenter voven-tis, vel etiam ex negligentiâ non adhibentis ea, quæ neceſſariò adhibenda ſunt ad obſervantiam vo-ti emiſſi.

Quod verò opus ex voto ſit magis meritorium, probatur primò, quod cæteris paribus, opus ma-joris virtutis ſit magis meritorium, ſed votum eſt religionis actus, quæ eſt virtus inter morales præci-pua, ergo. 2. Qui ex voto aliquid facit, magis ſeſe Deo ſubjicit, & illi plus miniſtrat, quam qui idem facit ſine voto, dum non ſolùm Deo offert actum bonum, ſed etiam poteſtatem, ac libertatem, similis illi juxta SS. Patres, qui Deo offert fructus, & arborem ſimul. 3. Quia, quod fit ex voto, fit ex voluntate magis radicatâ, & ſtabilitâ in bono, ideoque intenſiori bonitate. Denique, quidquid bonitatis eſt in opere bono ſine voto, eſt in eo ope-re facto ex voto: & inſuper huic advenit bonitas voti, ſive promiſſionis Deo factæ.

Objicies 1. minoris meriti eſt facere aliquid ex debito, quam non debitum ſponte ſolvere. Dein-de, tantò magis aliquid eſt meritorium, quantò magis eſt voluntarium: ſed quantò aliquid magis eſt neceſſarium, tantò minus eſt voluntarium, er-go. Reſp. ad primum, verum quidem id eſt, quan-do illud eſt aliàs debitum ex juſtitia, neque alio ti-tulo fit, niſi quia alteri debetur: non verò quando a obligatio naſcitur ex voluntate obligati, uti c fit. Ad aliud Reſp. verum quoque id eſſe de neceſſitate, quæ ab alio imponitur contra volun-tem operantis, cum verò illam neceſſitatem quiſ-iam liberè ſibi imponit, eſt laudabilior, & ut ait Auguſtinus epiſt. 45. *Felix neceſſitas, quæ in me-* *Objectio 1.*

liora compellit. Hinc etiam quando dicitur ab Apoſtolo 2. Cor. 9. *Non ex triſtitiâ, aut ex neceſſitate, hilarem datorem, &c.* De ea neceſſitate intelligendum eſt, quâ quis ſuperiorum authoritate, vel aliorum exemplo impulſus, aut etiam pudore inductus aliquod bonum facit, aliàs non facturus: talis enim neceſſitas cauſat involuntarium aliquod, & conſequenter minuit meritum. Neceſſitas verò injecta à lege communi, aut etiam privata, qualis eſt votum, involuntarium non cauſat, neque etiam meritum diminuit.

Objectio 2. Objicies 2. non eſt melius agere aliquid ex juramento, quam ſine eo, ergo neque erit melius aliquid facere ex voto. Reſp. N. Conſeq. quia per votum ordinatur opus ad honorem Dei, ac ſic fit opus religionis: per juramentum verò, non fit opus, quod juratur, opus religionis: ſed nomen Dei aſſumitur in confirmationem operis, ac proinde per hoc non fit illud opus actus religionis.

Sectio IV.

De materiâ voti.

Materia voti debet eſſe poſſibilis, & quomodo.

Dicendum 1. Materia voti, ſive illud, quod vovetur, debet eſſe voventi poſſibile: ratio eſt, quia votum eſt quædam lex privata, ergo materia ejus debet eſſe poſſibilis, uti dictum eſt de legibus. Deinde, ad impoſſibile nemo tenetur; unde docet S. Thomas, ſtulta eſſe vota, quod quis volabit: quod morietur, quod etſi ſit certò futurum: tamen, quia non eſt in poteſtate voventis facere, vel non facere, cenſetur illi eſſe impoſſibile. Satis autem hîc eſt, ut votum non obliget, quod materia voti ſit voventi impoſſibilis, etſi fortè aliis eſſet poſſibilis. Denique ſatis hîc eſt, quod materia voti ſit moraliter impoſſibilis, etſi phyſicè ſit poſſibilis.

Hinc

Hinc collige 1. quod votum vitandi omnia peccata ſit invalidum; idem eſt de voto vitandi omnia venialia: eſt enim ejuſmodi votum de re moraliter, & per ordinaria Dei auxilia impoſſibili. Neque refert, quod lex naturæ præcipiat vitari omnia venialia; adeoque idem poſſit voveri, quia obligatio voti non oritur immediatè ex natura rationali, uti obligatio legis naturæ: ſed ex voluntate voventis; eâque prudenti, qualis non eſt, quâ quis ſe obligat ad id., quod eſt moraliter impoſſibile. Unde notant, quod obligatio naturæ in materia ad ſalutem non neceſſaria, poſſit habere tantùm poſſibilitatem phyſicam, prout eſt obligatio vitandi omnia venialia: obligatio autem ex voto exigat poſſibilitatem quoque moralem. Neque hîc obſtat votum S. Thereſiæ, quo ſe obligavit ad id, quod eſſet perfectius; cum votum illud fuerit ab illa emiſſum ex ſpeciali inſtinctu divino. *Votum vitandi omnia peccata, omnia venialia.*

Votum verò numquam peccandi mortaliter, validum eſt, cum ſit de re poſſibili, etſi non viribus naturæ, tamen viribus gratiæ ordinariæ: quia tamen rari admodum ſunt, maxime in ſæculo, qui in mortale numquam cadunt: Hinc alii cum Navarro rectè docent, tale votum non eſſe conſulendum. Idem fere docent de voto vitandi certi generis peccati venialis, quod regulariter eſſe poteſt de re poſſibili, v. g. de veniali plane deliberato, quod ſpectato curſu ordinariæ gratiæ poſſet vitari. Dixi *regulariter*, quia ſunt quædam ſpecies peccati venialis, quas attentâ fragilitate humanâ homo moraliter loquendo diu vitare non poteſt, v. g. diſtractionis voluntariæ, locutionis, auditionis otioſæ, in cogitationibus temerarii judicii, intemperantiæ, &c. Unde etiam conſulunt ejuſmodi vota non emittenda. *Votum numquam peccandi mortaliter.*

Si verò materia voti partim ſit poſſibilis, partim impoſſibilis, ſi ſit materiæ talis, quæ poſſit dividi, tenet votum quoad partem poſſibilem, non verò *Quid ſi materia voti ſit partim*

poſſibilis partim impoſſibilis. quoad impoſſibilem, v. g. voviſti dare 1000. in eleëmoſynam: toto anno jejunare, &c. ſi non poſſis dare, niſi 100. aut ſi tantum tertiò in hebdomadâ poſſis jejunare: teneris ad danda 100. ad tertiò jejunandum: quia etſi vota illa videantur indiviſa, ſunt tamen virtute plura, cum ſit de re diviſibili, quarum una non dependet ab aliâ: unde ceſſante obligatione unius rei, non ceſſat alia: unde reg. juris: *utile per inutile non vitiatur.* Et S. Thomas art. 3. ad 2. *quod ſi illud*, ait, *quod quis vovit, ex quacumque cauſa impoſſibile reddatur, debet hoc facere, quod in ſe eſt.* Hinc etiam inferunt, quod qui vovit ædificare Eccleſiam, & non poteſt niſi ædificare ſacellum, non teneatur ad ædificandum ſacellum. Ratio ex dictis eſt, quod Eccleſia, & ſacellum ſint res moraliter diverſæ, neque ad partem Eccleſiæ requiritur, & conſequenter Eccleſia eſt materia individua, quæ ſi ſit voventi impoſſibilis, non tenetur voto quoad conſtructionem Eccleſiæ, neque ad conſtructionem ſacelli, quam vovens nullo modo intendit.

Debet eſſe honeſta, & bona. Dicendum 2. materia voti debet eſſe honeſta, & bona, cum debeat eſſe promiſſio de re Deo gratâ. Hinc votum de re indifferenti manente tali, non eſt validum. Si verò res indifferens, bonâ circumſtantiâ veſtiatur, erit materia voti capax. Debet tamen objectum voti eo tempore eſſe bonum ac honeſtum, dum votum emittis, cum eo tempore debeat eſſe obligationis capax, dum per votum inducitur obligatio. Hinc collige 1. votum de re indifferenti ad bonum finem eſſe validum. 2. Votum de tali re ob finem malum eſſe invalidum. Collige 3. votum emiſſum ob finem planè indifferentem eſſe nullum; vanum enim eſt aliquid indifferens Deo vovere, quod non poteſt cedere in Dei honorem.

Collige 4. votum factum ob finem temporalem, eſſe validum, v. g. votum eleëmoſynæ, ut dives ma-

atrimonium ineat. Ratio eſt, quod quamvis videatur eſſe finis indifferens, tamen quatenus implitè importat, & ſignificat vovendo, ſe illum finem onſecuturum per Dei opem, finis ille ex eo honeatur.

Votum poſterius priori contrarium. Quæres, an votum poſterius, priori voto contrarium, dicendum ſit habere objectum honeſtum: v.g. voviſti numquam votum emittere, niſi de conſenſu Confeſſarii: interim voves illo inconſulto; quæritur an validè? Reſp. eſſe validum: ratio eſt, quod ontrarietas priori voto, vel præcepto ſolùm hoc acit, quod votum illicitè fiat, non tamen invalidè, ſi aliàs ſit de debita materia. Aliud quoque eſſet, ſi poſterius votum eſſet de objecto contrario riori voto, quo caſu eſſet & invalidum, dum eſſet de re iniqua, puta de voti prioris violatione. dem eſt de voto, quod eſt contra ſuperioris voluntatem, contra obedientiam, contra præceptum, &c. Deus enim non acceptat obligationem contrariam lli, quam ipſe per ſuperiores imponit.

Materia voti poteſt eſſe res præcepta. Dicendum 3. vota poſſunt pro objecto ſeu materia debita, habere rem ex præcepto debitam. Ratio eſt, quod res illa ſit bona, & honeſta, adeoque Deo grata, adeoque ad Dei honorem poterit Deo promitti. Neque ullatenus obſtat, quod res lla ſit præcepta: quia etiam dato præcepto, actus lle abſolutè eſt liber, neque repugnat obligationem addi obligationi, & rem diverſis titulis eſſe lebitam: per obligationem quippe legis non ita bligatur homo, ut reddatur immobiliter determinatus ad illud exequendum, unde ad hoc addi poteſt obligatio voti, prout aliquando adjicitur juramentum actui præcepto. Deinde, res præcepti voveri poteſt ad hoc, ut ſit majoris meriti, habeat plures honeſtates, &c. quod in opere ex voto acto fieri, ante eſt declaratum.

An homo peccans ob votum Neque hinc inferri meritò poteſt, hominem Chriſtianum peccando contrà legem, peccare duplici

baptiſmi peccet duplici peccato. peccato, puta ſimul peccando contra votum in baptiſmo emiſſum: quia etſi eo titulo Chriſtiani gravius peccent, quam infideles, nullo tamen modo duplici peccato: nec tamen verum eſt, quod nec baptizandus, nec alii ejus nomine cenſeantur hîc emittere verum votum explicitè, aut implicitè ut quidam volunt: non explicitè, quia dicendo, *credo, abrenuntio, volo*, nullam important propriè promiſſionem, etſi aliqualis illa verba ſubſequatur, dum per baptiſma fit baptiſatus debitor univerſæ legis Chriſtianæ; nec etiam implicitè, quaſi Eccleſia illud tamquam votum acceptaret, uti fit, quando quis accipit Ordinem ſacrum, de quâ lege nihil hactenus conſtat. Dicunt tamen, à SS. Patribus vocari votum, ac promiſſionem Deo datam, & eo titulo Chriſtianos ad legis Evangelicæ obſervantiam admoneri, quia dicta verba *abrenuntio, credo,* &c. præ ſe ferunt quamdam promiſſionis ſpeciem, quâ tamen non intendit baptizandus imponere ſibi novum vinculum, ſed ſolummodo declarare ſe velle fieri Chriſtianum, & ſimul ſeſe obligare generaliter ad facienda ea, quæ profeſſio Chriſtiana requirit: adeoque continet ſolummodo votum illud juxtà D. Th. in 4. diſt. 38. q. 1. art. 2. aliam deformitatem peccati, dum magis baptiſatus peccat in eodem genere peccati, quam non baptiſatus, etſi tranſgreſſio voti generalis, non faciat ſpeciale peccatum. Verùm, omnia illa parum concordant verbis, & ſententiis SS. Patrum, qui uno ore votum illud vocant verum, & propriè dictum votum. Imo, quod omnia voto eſſentialia hîc concurrant; dum eſt promiſſio deliberata, & ſpontanea de re Deo gratâ; puta de Deo adhærendo, diabolo, ejuſque pompis abjurando, idque cum animo ſeſe obligandi. Adde, quod SS. Patrum ſententiæ in proprio ſenſu ſint accipiendæ quando ex propriâ verborum acceptione nullum ſequitur incommodum, prouti fit in noſtro caſu. Quamquam igitur de rigore peccatum à bapti-

ſato

ſacto commiſſum poſſit vocari peccatum ſimplex, id tamen omnibus certum eſſe debet, quod etſi fortè transgreſſio voti illius non ſit ſpeciale peccatum, ſpecialem tamen addat peccato difformitatem, ut ibidem docet S. Thom. neque ex eo etiam inferri poteſt, quod ſi ſit duplex deformitas, opporteat eam in confeſſione explicare, de quo nullus anxiatur; dum Confeſſariis per ſe eſt ſatis apertum, pœnitentes ſuos eſſe baptiſatos, atque ideo gravioris culpæ, ac pœnæ eſſe reos ob voti in Baptiſmo emiſſi violationem.

De votis tertiariorum S. Franciſci, & aliorum Ordinum, emittentium vota de obſervandis præceptis Decalogi, &c. volunt ea vota non eſſe vota propriè dicta, ſed tantum impropriè, puta nova aliqua propoſita eorum; quo fit, ut illa violantes gravius quidem peccent, ſed intra eamdem ſpeciem peccati. Ita Portel dub. regul. V. *Tertiarii.* Addit Herinx de voto q. 2. in fine: tales ſolùm ſub veniali obligatos eſſe ad ſubeundam pœnitentiam à ſuperiore impoſitam. *De voto tertiariorum.*

Dicendum 4. votum debet eſſe de meliori bono, quam ſit ejus oppoſitum: ratio eſt, quod votum ſit quædam gratificatio Deo facta: non poteſt autem Deo eſſe gratum obligari ad illud, cujus obligatio impedit majus bonum contrarium. Qui enim ſe obligat ad aliquid faciendum, obligat ſe ad omittendum contrarium. Hinc inferunt 1. votum impeditivum conſiliorum Evangelicorum non ſubſiſtere, v. g. votum non ſervandi caſtitatem, votum non ingrediendi Religionem. 2. Votum matrimonii ineundi regulariter eſſe nullum, dum impedit ſtatum Religioſum meliorem; neque etiam exiſtimandum eſt illud Deo placere, cujus oppoſitum ipſe Deus conſulit. Neque refert, quod matrimonium ſit Sacramentum, adeoque res bona & ſacra, & conſequenter Deo accepta: dum tamen oppoſitum ejus eſt melius: votum autem debet fieri de meliori bono: unde Apoſtolus 1. Cor. 7. *Votum debet eſſe de meliori bono.*

Qui matrimonio jungit virginem ſuam bene facit: & qui non jungit, melius facit. Nec etiam refert, quod quis jurare poſſit ſe matrimonium initurum, dum votum ſit de illo, quod Deo eſt acceptius, prout non eſt, quod impedit majus bonum: juramentum verò fit homini in ejus utilitatem, quæ aliquando exigit juramenti firmitatem.

Aliud eſſet, ſi aliunde neceſſe eſſet nubere, v. g. ad conſervandam in Regno pacem, ad puellam defloratam ducendam; uti etiam, ſi quis ſeſe imparem noſcat tentationibus carnis ſuſtinendis, quo caſu erit melius nubere, quam uri. Si tamen talis, aliis remediis ſpiritualibus continere poſſet, verius videtur ejuſmodi votum non valere, dum melius eſt per talia media ſpiritualia continere, quam nubere.

Votum non vovendi. Inferunt 2. votum non vovendi generaliter loquendo, non valere. Ratio eſt, quod impediat majus bonum quod eſt vovere, quod Deus conſulit. Dixi, *generaliter loquendo*, quia aliquando adeſſe poſſent tales circumſtantiæ, quod non vovere eſſet melius, ſaltem niſi de conſilio confeſſarii, quam vovere, ſi ſcilicet ſoleat præcipitanter, & temerè vovere: quo caſu votum non vovendi tali modo valeret.

Votum non petendi diſpenſationem. Quæres, quid dicendum ſit de voto, nullo caſu petendi diſpenſationem ab aliquâ lege. Reſp. Valere, ſed non obligare, quando utilius eſſet animæ eam petere, qui caſus in tali voto cenſetur exceptus. Ratio eſt, quod votum illud ſit de meliori bono, cum Deo placeat magis rem exactè obſervare, & adimplere, relicto jure ab eo ſeſe eximendi, quando non eſt utilius animæ illud poſtulare. Deinde, eſt de materiâ bonâ, & apta communiter loquendo, cum ille caſus, quo utilius eſſet animæ petere diſpenſationem non ſit communis, obſervare verò exactè legem eſt caſus ordinariè bonus, & conſequenter apta materia voti. Hoc tamen hic addo, ſi

talis

alis poſtea non obſtante eo voto, ex aliquâ causâ egitimâ peteret diſpenſationem, eadem data omninò foret valida : dum votum illud non aufert ſuperiori poteſtatem ex causâ rationabili diſpenſandi: quâ diſpenſatione datâ poterit alter uti, niſi etiam voviſſet eâ diſpenſatione ſe non uſurum.

Cum verò diſpenſatio, commutatio & irritatio, int modi diverſi, quibus vinculum legis aufertur, non ideo, qui vovit non petere diſpenſationem, debet dici promiſiſſe non petere commutationem, niſi de tali expreſsâ intentione voventis conſtaret. Quod verò ſint modi diverſi, nec unus includatur in alio, patet ex eo, quod qui poſſit diſpenſare, non poſſit irritare : nec omnis qui poteſt commutare, poteſt diſpenſare, &c.

Dicendum 4. non poteſt votum eſſe de re peccaminosâ : debet enim votum eſſe de re Deo gratâ; bona autem impiorum non probat Altiſſimus. Deinde, nemo obligari poteſt ad peccatum, alias votum eſſet vinculum iniquitatis. *Materia voti non poteſt eſſe res peccaminoſa.*

Objicies 1. Jephte ponitur ab Apoſtolo ad Hæb. 11. inter ſanctos, qui tamen filiam ſuam contra jus naturæ occidit innocentem, ut ſatisfaceret voto. *Votum Jephte.*
Reſp. Aliqui dicunt, Jephte id voviſſe, & feciſſe inſtinctu divino, adeoque licitè. Alii cum S. Thoma, docent eum indiſcretè voviſſe, & occidendo peccaſſe, idque innuit S. Hieronymus dicens, Jephte in vovendo fuiſſe ſtultum, & in reddendo impium. Quod autem ab Apoſtolo computetur inter ſanctos, potuit ſcelus ſuum pœnitentiâ diluiſſe. Neque etiam refert, quod Judic. 11. dicatur Spiritus Domini ſuper Jephte fuiſſe, quia dici poteſt, Spiritum Domini impuliſſe Jephte ad vovendum quidem, ſed indeterminatè, quod autem voverit primum occurrens à cæde filiorum Ammon occidere, fuit imprudens. Addunt alii, voviſſe Jephte immolare phyſicè, aut ſaltem moraliter, prout potuiſſet facere occurrenti : quod etiam fecit, quando hortatu patris

vovit

vovit virginitatem, quod & textus aliquo modo innuit, dum dicitur 2. menſibus fleviſſe virginitatem, expletiſque illis reverſa dicitur ad Patrem, qui fecit ei, ſicut voverat, quæ ignorabat virum. Ex quo colligunt, eam myſticè potius immolatam, quia aliàs magis flere debuiſſet mortem ſuam, quam virginitatem. Illud etiam innuunt dicta verba, *quæ ignorabat virum*, quibus ſignificatur, à Patre ad ſervandam virginitatem eſſe adactam. Neque obſtat etiam, quod dicantur ibid. filias Iſraël exinde conſueviſſe plangere filiam Jephte 4. diebus: quia *plangere* ibi accipi poteſt pro *conſolari*.

SECTIO V.

Quinam vovere poſſint.

Generaliter vovere poſſunt omnes homines ratione utentes, niſi ſpeciali lege ſint impediti. Talis enim poteſt Deo promittere rem bonam, nec melioris boni impeditivam. Unde de jure naturæ à vovendo ſolùm excluduntur amentes, furioſi, & alii ratione non utentes. Jure autem Eccleſiaſtico quædam vota interdicuntur, uti Conc. Trid ſeſ. 25. Reg. cap. 15. non acceptat votum Religionis ſolemne ante 16. annos completos, aut etiam non expleto novitiatu, de quo poſtea latius. Poteſt enim Eccleſia, vice Dei nolle acceptare vota ſuorum fidelium, niſi ſub hâc, vel illâ formâ facta.

Vota inferiorum. Dicendum ergo 1. votum de materiâ præceptâ validum eſt, à quocumque ſubdito emittatur, neque ullus ſuperior poteſt illud impedire. Neque ideò derogatur juri ſuperioris, quaſi per hoc voluntas Religioſi non plenè ſubderetur voluntati ſuperioris, dum ſine eâ poſſit vovere aliquid, quod non poſſit ſuperior impedire: cum ſubjectio Religioſi, aut etiam impuberis, non impedit illis liberum uſum ſuæ volun-

oluntatis circà res licitas, & honeſtas, nec juri
uperiorum præjudicantes: talis enim ſubjectio eſſet
rationabilis., & ad exequendum, difficillima.
atis ergo eſt, quod Religioſus ita liberè non uta-
ır ſuo arbitrio, quin poſtea à ſuperiore poſſit im-
ediri.

Si tamen materia aliqua Religioſo, impuberi,
el aliter ſubdito ſit interdicta, votum de eâdem re
on tenet, non defectu capacitatis ad vovendum;
:d quia materia illa eſt incapax obligationis: poſito
nim rei interdicto, redditur materia illa mala, &
rohibita.

Si autem votum ſit de re honeſtâ, & ſolùm pro-
ibitâ quoad modum, eſt validum, v.g. votum de
:junio die Sabbatho, quod ſuperior prohibuit eo
ie obſervari, validum eſt, ſi ſubintelligatur illa
onditio, *ſi ſuperior conſenſerit*; cum jejunium il-
ıd, cum eo conſenſu ſit licitum, & bonum. Un-
e S. Thomas q. 88. art. 8. ad 1. ita ait: *& ideo non
oteſt ſalvari ratio voti, cum quis in poteſtate alterius
onſtitutus vovet id, quod eſt in poteſtate alterius, niſi
ıb conditione, ſi ille, ad cujus poteſtatem pertinet,
on contradicat.* Unde etiam, quia ſimilis conditio
olet in ſimilibus votis ſubintelligi, docet ad 4. ſimilia
ota non eſſe abſolutè firma. Tenetur interim Reli-
ioſus eo caſu licentiam petere, dum res ſine illâ eſt
licita, & vovendo ſe ad hoc obligaſſe cenſetur, ne
naniter cenſeatur voviſſe.

Idem dicendum eſt de voto uxoris, filii-famil, ſervi, &c. ſi ſit de bonis, illis perſonis propriis, & quorum liberam habeant diſpoſitionem, erit vali- *Vota filio-rum, uxo-rum, &c.*
lum, ità ut etiam contradicente marito, patre,
&c. obligatio teneat, Si verò votum ſit de re mari-
i, patris, &c. vel cujus adminiſtratio ad illos per-
inet, ſolùm obligabit votum ſub eâ conditione, *Si
naritus, vel pater conſenſerint.*

SECTIO VI.

De obligatione voti.

Votum obligat in conſcientiâ.

DICENDUM 1. votum emiſſum in conſcientia obligat: patet ex S. Scriptura Deuteron. 23. ubi dicitur: *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus: etſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum: ſi nolueris polliceri, abſque peccato eris.* Ex quo loco patet, quod quamvis homini liberum ſit vovere, vel non vovere: poſito tamen voto in conſcientia obligatur: ſi enim promiſſio facta homini in conſcientiâ liget, quid nî promiſſio facta Deo? obligatio autem hæc, eſt obligatio fidelitatis, quæ reſpectu Dei eſt Religio, adeo ut de ſe obligatio illa ſit gravis, & ſibi damnationem habeant, quia fidem Deo datam irritam faciunt.

Graviter in materiâ gravi.

Dicendum 2. non poteſt ſola voventis intentio facere, ut votum in materiâ gravi, leviter obliget, vel è contrà. Ratio eſt, quod votum ſit lex privata, atqui lex obligans in materiâ gravi, graviter obligat, neque per intentionem legiſlatoris fieri poteſt, quod in eâ materiâ leviter obligat, ergo. Vide de legibus p. 1. quæ huic concluſioni reſpectivè accommoda. In materiâ autem levi, votum etiam leviter obligat, cum obligatio fidelitatis ex parte materiæ habeat ſuos gradus. Neque hic dici poteſt, omnem materiam ex eo, quod ſub votum cadat, eſſe gravem, uti mendacium leve, cui annectitur juramentum, erit grave: quia eo caſu mendacium Deo tribuitur, dum invocatur in teſtem falſi: unde exſurgit gravis Deo injuria. In voto autem ſolummodo frangis fidem datam, quod ſi in materiâ levi fiat, erat levis culpa. Quænam autem materia dicenda

ſit

it gravis, prudenti judicio eſt diſjudicandum, ut lias dictum eſt.

Dicendum 2. ſæpè contingit materiam voti non ſſe ſatis determinatam, ad quam determinandam ſſignant aliqui has regulas. 1. Ante omnia conſu-enda eſt voventis intentio, ex quâ oritur voti obli-atio. Unde Deuteron. 23. *Facies, ſicut promiſiſti Domino Deo tuo, & propriâ voluntate, & ore tuo lo-utus es.* 2. Si de expreſsâ voventis intentione non onſtet, attendenda eſt voti materia, juxtà cujus aturam eſt de voto judicandum, cum quilibet præ-umatur velle ſubire obligationem illam, quam exi-it materiæ natura. 3. Si materiâ ſpectatâ, dubium naneat, accipienda ſunt vota, prout juxtà com-nunem ſenſum verba ſunt accipienda, & juxta illud bligatio voti regulanda: ſemper enim præſumitur uis velle, id quod verbis ſuis ſignificat: unde di-itur Deuteron. 23. *illaqueatus es verbis oris tui.* Quod ſi omnibus iis attentis, etiamnum dubia naneat obligatio voti, votum quoad fieri po-eſt, benignè erit interpretandum. Ex dictis colli-unt. *Quomodò vota ſint determinanda.*

1. Quod, qui omni die vovit audire ſacrum, aciat ſatis, ſi die feſto unicum audiat, etſi enim llud ex præcepto Eccleſiæ etiam ſit debitum: tamen bligatio voti advenire poteſt, nec eſt præſumen-lum ex modo vovendi voluiſſe voventem ſe obliga-e ad duplex ſacrum.

2. Si quis voverit virginitatem, ſit obligatus ad bſtinendum ab omni re venereâ, quod illa impor-at. Si quis voverit ingredi Religionem, non tene-i vi voti ad ſervandam caſtitatem.

3. Si quis voverit legere pſalterium, ſatisfiat, ſi egatur cum ſocio alternatim, quia id habet conſue-udo legendi. Si quis voveat ire Romam, ſatisfa-iat, ſi vadat equo, aut curru.

4. Si quis voverit jejunium, debeat jejunare jux-a modum jejunii Eccleſiaſtici. Si voverit omni die anni

anni jejunare, non debeat jejunare die Dominico; quia hoc uſus Eccleſiæ non habet.

Quando votum obliget. Dicendum 3. in voto poteſt apponi tempus executionis, & poteſt non apponi: ſi non apponatur, obligat votum, quam primum commodè poſſit, ad ejus executionem, niſi ſit ratio eam differendi. Unde Eccleſ. 5. *Si quid vovisti Deo, ne tardaveris reddere.* Deinde, debitum quodlibet ſine termino, poteſt creditor pro beneplacito ſuo exigere. Neque hîc verum eſt, quod aliqui docent, tunc tantum tale votum eſſe ſolvendum, quando voventem ſua conſcientia mordendo admonet: quo caſu homines conſcientiæ laxioris, rarò votis ſuis tenerentur.

Porrò, hoc caſu commoditas exequendi poterit expectari, cum hoc vovendo cenſeatur vovens intendiſſe: unde, ſi probabilis ſit ſpes, quod poſtea voto poterit utilius ſatisfieri, poterit eatenus executio voti extendi. Hoc tamen notandum eſt, ne nimiâ aliquando dilatione, adimpletio voti reddatur impoſſibilis. Quænam autem negligentia differendi votum ſit peccatum grave, non ita mathematicè poteſt definiri. Hoc tamen certum videtur, eam eſſe mortaliter malam, dum ex voluntariâ dilatione, redditur quis impotens ad implendum votum, quod ſub mortali obligat. Si verò vovendo ſimul determinetur tempus executionis, v. g. in voto jejunandi Sabbatho, ingrediendi Religionem infra annum, &c. obligat votum, dum tempus præfixum advenerit: hoc enim reſpicit voventis intentio. Si verò tempore præfixo prævideas ſecuturum eſſe impedimentum, non debet illud prævenire, cum intentio voventis fuerit pro tali tempore. Idem habet locum in eo, qui prævidens ſeſe die Dominico non poſſe audire ſacrum: non debet illud audire die Sabbathi. Si autem tempus voto annexum habeat ſuam latitudinem, v. g. ingrediendi Religionem infra annum, jejunandi duobus diebus in menſe: teneris prævenire, ſi in termino temporis præfixi prævideas

videas futurum eſſe impedimentum. Sic ille, qui prævidet ſe poſt nonam non poſſe audire ſacrum die feſto tenetur illud prævenire. Et ratio eſt, quod votum, & lex dicta obliget pro toto eo tempore, quo impleri non poteſt, niſi præveniendo.

Dicendum 4. ſi votum deſignato tempore non potuerit obſervari, ſi intentio non fuerit, ultrà illud tempus voti executionem non differendi, v. g. vovendo eleëmoſynam intra menſem, ſi menſe elapſo eam non dederis, non ideo finitur obligatio. Idem patet in debitis aliis. Debet Petrus Joanni 10. flor. intra menſem: menſe elapſo non ſolvit, manet Petrus equidem obligatus. Si autem tempus ità annexum ſit voto, ut ſimul cum tempore velis finiri voti obligationem, tempore finito obligatio voti ceſſat, ſicuti obligatio jejunii, die jejunii elapſo. Quando tamen obligatio voti ita tempori eſt annexa, ſatis conſtat, ſi vovens ultrà tale tempus intenderit ſe non obligare. Quando autem de tali intentione non conſtat, conſiderandum eſt, an circumſtantia temporis ad vovendum impulerit, v. g. voves jejunium in honorem alicujus ſancti, ipſius vigiliâ obſervandum: ſi tali vigiliâ voto non ſatisfiat, cenſetur obligatio voti, cum tempore elapſa.

Dicendum 5. obligatio voti de ſe eſt perſonalis, afficiens ipſum voventem: cum promittendo nullus alterum poſſit obligare. Unde quando emiſſo voto à populo, v. g. ſupplicationis, omnes de communitate tenentur ad ſupplicationem, hoc non fit vi voti ab aliis emiſſi, ſed vi legis Eccleſiaſticæ, quæ hoc omnibus de communitate injungit, quæ lex occaſione voti emiſſi proficiſcitur. Nec etiam refert, quod quis teneatur voto per ſuum procuratorem emiſſo: quia votum illud non cenſetur procuratoris, ſed mandantis; cujus voluntatem, & votum declarat procurator. *Qualis ſit obligatio voti.*

Quod ſi votum ſit perſonale, cum illud exigat actionem perſonæ voventis, ſequitur, quod obli-

get voventem, eumque ſolum: adeo ut, eo reddito impotente, obligatio voti ad alium tranſire non poſſit, dum obligatio illa ſequitur perſonam. Si autem votum ſit reale, poteſt adimpleri per alium, cum hic perinde ſit à quo res, quæ vovetur, adimpleatur. Ad hujus voti ſatisfactionem ſatis eſt, quod feceris illa, quæ ejus executioni ſunt ſufficientia: ſic v.g. Prælatus vovit orationes ſubditorum, ſatis erit, quod debitè hoc illis injunxerit, & ſic de cæteris. Conformiter ad dicta de voto perſonali, & reali, intelligi debent de voto mixto, quod ex utroque coaleſcit.

Sequitur ex dictis 1. quod obligatio voti perſonalis, cum perſonâ extinguatur, neque ad hæredes tranſeat, niſi hæredes id ipſum, vel ſimile promiſerint, aut ex præcepto teſtatoris, quo caſu obligantur hæredes ad executionem voti, ſicuti ad exequenda legata pia: quod intelligi debet de hærede voluntario, non neceſſario, cui hæreditas abſolutè, & ſine conditione advenit.

Quomodo hæredes teneantur voto. Sequitur 2. votum reale tranſire ad hæredes, ſive neceſſarios, ſive voluntarios, idque juxtà vires hæreditatis, & ſalvâ ſemper legitimâ. Ratio eſt, quod obligatio voti realis afficiat bona voventis: ergo illis ſuccedens hæres tenetur adimplere obligationem illis annexam: ſicut enim ſuccedit in juribus, & emolumentis defuncti: ſic etiam ſuccedit in onera. Qui ſentit commodum, ſentit & incommodum. Tenetur autem hæres ad hoc ex juſtitiâ, dum adeundo hæreditatem, virtuali contractu ſe obſtrinxit, ad executionem obligationum, & votorum.

Dictum eſt *juxtà vires hæreditatis*: quia ratione hæreditatis perceptæ dicta obligatio naſcitur, ergo non extenditur ultrà vires hæreditatis. Hoc quoque verum eſt, etſi hæres non fecerit inventarium: lex enim injungens hæredibus non conficientibus inventarium, ut etiam ultrà vires hæreditatis debita defuncti ſolvant: fundatur in præſumptione fraudis

illo-

illorum hæredum : quâ non ſubſiſtente ceſſat obligatio. Imo, ſi ad hoc condemnetur, docent eum hoc caſu in conſcientiâ non obligari.

Dictum etiam eſt, *ſalvâ ſemper legitimâ* : quia legitima à teſtatore gravari non poteſt ex debito voluntario, quale eſt votum : quamvis enim eam donatione v. g. potuiſſet teſtator minuere, cum dum viveret, eſſet ejus Dominus : non tamen id poteſt poſt mortem, quando ejus dominium ceſſat.

Debet autem hæres vota realia ſolvere poſt debita juſtitiæ, etiam ante legata pia. Ratio eſt, quod Deus non acceptet vota cum præjudicio tertii, qui jus ad illud acquiſivit. Deinde, non cenſentur eſſe bona teſtatoris pro votis, niſi quæ deducto ære alieno ſuperſunt. Ratio alterius eſt, quod vota obligent defunctum, legata non item. Quod ſi hîc multi ſint hæredes, debent ſinguli pro ratâ, niſi teſtator hæredem aliquem in particulari obligaſſet, qui illam obligationem in ſe ſuſcepiſſet : vel etiam, ſi res promiſſa apud unum exiſteret, adeo tamen, ut habeat actionem contrà alios hæredes, ut partem contribuant. Si verò alii contribuere nolint, videtur, quod alius hæres teneatur in ſolidum, dum quilibet hæres legatis, ac votis ſolvendis eſt obligatus. Aliud docent, ſi fiant alii impotentes, quo caſu pro ratâ hæreditatis alium hæredem volunt eſſe obligatum.

Non debet donatarius ſolvere vota donantis.

Quæres, an donatarius obligetur vota donantis exſolvere. Reſp. Quod non, etſi etiam donans per donationem fiat impotens ad ſolvendum votum. Ratio eſt, quod rem illam ſine ullo onere acceperit à vero Domino : deinde, etſi fortè peccaverit rem illam accipiendo, non ſequitur, quod eam debeat reſtituere, cum obligatio reſtitutionis oriatur, vel ratione injuſtæ acceptionis, quæ hîc non eſt injuſta, etſi ſit peccaminoſa, quia contra Religionem : vel ratione rei acceptæ, quæ hîc eſt facta donatarii per

veram donationem. Aliud docent de legatario, qui dominium legati acquirit per promiſſionem, in teſtamento factam, quæ cum ſit de re illicitâ, & Deo debitâ, eſt invalida, adeoque & legatum: unde ſi legatarius habeat rem Deo promiſſam, tenetur eam Deo reddere, cum nullo juſto titulo eam poſſideat. Aliud eſt in donatario, qui rem habet per donationem, quæ etſi ſit illicita, eſt tamen valida.

SECTIO VII.

De obligatione voti conditionalis, & pœnalis.

Quando conditio appoſita voto, ſuſpendat ejus obligationem.

DICENDUM I. ſi conditio voto appoſita ſit de præſenti, aut præterito, non ſuſpendit executionem voti, adeoque nec reddit votum propriè conditionale. Conditio de futuro neceſſariò idem facit. Conditio impoſſibilis, reddit votum invalidum, etſi juris diſpoſitione in matrimonio, & teſtamento habeatur pro non adjectâ. Conditio turpis regulariter reddit votum invalidum, juxta ante dicta.

Conditio autem de futuro contingenti honeſta, ſuſpendit executionem voti, donec conditio ſit adimpleta. Ratio eſt, quod talis cenſeatur voventis intentio. Quando autem eſt impleta, ſtatim obligat votum, tamquam ſi fuiſſet abſolutum, quia conditionale poſitâ conditione tranſit in abſolutum. Conditio hæc poterit ſubinde eſſe multiplex, quo caſu conſiderandum eſt, an conditiones ſint copulativè, an verò disjunctivè connexæ: ſi copulativè, expectandum eſt, donec utraque ſit impleta: ſi disjunctivè, ſatis eſt, ut votum obliget, quod alterutra ſit adimpleta. Hoc autem ex verbis voventium erit disjudicandum. Deinde, ad judicandum, an conditio adimpleta ſit; attendendum quoque eſt ad voventium intentionem: v. g. ſi filius voveat Religio-

ligionem, ſi pater conſenſerit: etſi verba hæc videantur exigere poſitivum conſenſum Patris tamen quia filius eâ conditione cenſetur ſolùm declinare offenſam Patris, ſufficere, hic cenſendum eſt, ſi pater non repugnet, ſi pater moriatur, &c.

Quæres, an peccet vovens, ſi per eum ſtet, quo minus conditio adimpleatur. Reſp. In primis qui vovet aliquid ſub conditione, non poteſt ſe reddere impotentem, ne poſitâ conditione poſſit votum adimplere. Ratio eſt, quod etſi non teneatur votum adimplere ante conditionem, tenetur tamen illâ poſitâ: non poteſt autem eâ poſitâ votum adimplere, ſi ſe reddat impotentem. Aliud eſſet, ſi conditio adjecta penderet à voluntate voventis, ſic ut ſibi liberum reſervaverit, conditionem ponere, vel non ponere; unde ſi quis voveat dicens: *ſi fiam Religioſus, ero Benedictinus*, poterit ille inire matrimonium, eo quod ab ejus libertate pendeat fieri Religioſum, vel non fieri. *Vovens qui reddit ſibi votum impoſſibile.*

Secundò, ſi conditio non pendeat à libera ejus voluntate, ſi per eum ſtet, quo minus ea impleatur, tenebitur voto: unde, ſi quis voverit dare eleëmoſynam, ſi Deus eum præſervet à peccato mortali, ſi dederit ei ſanitatem: teneri ad eleëmoſynam, ſi ſuâ ſponte peccatum mortale committat: ſi cibo vetito ſe ægrotum reddat. Ratio iſtius eſt, tum quod illi cenſeatur adimpleta eſſe conditio, qui impedit, quo minus poſſit adimpleri *L. in execut.* 85 § finali *ff. de verb. oblig.* tum; quod fraus nemini debeat patrocinari.

Dicendum 2. votum pœnale eſt, quando quis aliquam pœnam vovet, ut efficacius retrahatur à crimine, vel inducatur ad bonum. Poteſt dupliciter fieri; ſemel ut voveat non ludere v. g. & ſi luſerit, voveat dare eleëmoſynam: quo caſu eſt quaſi duplex votum. Alio modo poteſt vovere pœnam, ſi luſerit, quod magis videtur accedere ad votum conditionale, de quo mox ante. Si materia hujus

voti principalis fiat impoſſibilis, Deo ingrata, aut aliunde deſinat eſſe materia voti, etiam perit obligatio pœnæ, quæ eſt ſolummodo ſecundaria, & acceſſoria; quæ proinde perit, dum perit principale. Idem eſt, ſi diſpenſetur in voto, quia tunc nulla tranſgreſſio voti, & conſequenter nulla pœna. Imo, ſi quis involuntariè, v. g. per ignorantiam rem principalem voti fecerit, vel omiſerit, non tenetur pœnâ, quia pœna non habet locum, ubi non eſt voluntaria tranſgreſſio.

Quanta ſit obligatio voti. Dicendum 3. obligatio voti per ſe eſt gravis, niſi materiæ levitas, aut inadvertentia excuſet. Si enim promiſſio in re gravi facta homini obliget ſub gravi; multò magis talis promiſſio facta Deo. Quænam autem materia ſit gravis, aut levis, etſi ut ante eſt dictum, hoc potiſſimum dependeat à morali æſtimatione, tamen poterit hoc colligi ex eo, quod aliquid gravius, vel levius redundet in honorem Dei, & reſpectivè voti violatio erit dicenda gravis, vel levis. Deinde, hoc etiam colligi poteſt ex comparatione materiæ ad legem: ſi enim res lege aliquâ præcepta, aut prohibita eſſet materia, & ſufficeret ad mortale: voti violatio ex parte talis materiæ erit gravis.

SECTIO VIII.

De diſſolutione votorum.

Votum ſolvitur, ſi fiat impoſſibile. EX antedictis conſtat, quomodo votum obligare deſinat, ſi materia voti fiat, impoſſibilis, Deo ingrata, ac denique ita alteretur, ut voventis intentio ad eam non cenſeatur meritò ſe extendiſſe. Unde S.Thomas q. 110. art. 3. ad 5. *Ad hoc, ut homo teneatur facere, quod promiſit, requiritur, quod omnia immutata permaneant, alioquin non fuit mendax in promittendo: quia promiſit, quod habebat in mente ſub-*

ſubintellectis debitis conditionibus. Nec etiam eſt infidelis non implendo, quod promiſit, quia eadem conditiones non extant. Debet ergo mutatio materiæ eſſe notabilis, ſic ut materia ſtatuatur in ſtatu moraliter diverſo ob aliquas circumſtantias. In dubio autem, an ſit ita mutata, cenſetur mutata non eſſe, & votum obligare, quia obligatio voti certa, non debet tolli ob dubiam excuſationem.

Hoc quoque ante inſinuavimus, non rectè colligi votum ex dicta ratione non obligare, ſi tales advenerint circumſtantiæ, ut ſi eas ante cognoviſſet, noluiſſet vovere, diceretve, *ſi id noviſſem, non voviſſem.* Si enim illud admitteretur, nullus ferè eſſet firmus contractus in humanis, dum ſimiles circumſtantiæ ſæpiſſimè adveniunt. Deinde, promiſſionis obligatio non pendet à futurâ, ſed præſenti promiſſione.

Objiciunt alii D. Thomam in 4. diſt. 38. q. 1. ad 1. dicentem: *id liberare à voti, vel juramenti obligatione, quod ſi à principio accidiſſet, aut notum fuiſſet, ea fieri impediret.* Nec enim promiſſio extenditur ultra intentionem promittentis. Adde, quod votum ſit lex privata, in qua locum habet Epyckia, ſi ſit caſus, quem legiſlator cenſetur non reſpexiſſe. Reſp. S. Thomas agit de eo, quod à principio reddidiſſet votum invalidum, quale ſi poſtea adveniat, liberat à voti, vel juramenti obligatione. Deinde, quando quis vovet, cenſetur ſe velle obligare etiam ad eum eventum, quo materia non reddatur moraliter alia, etſi aliquouſque alteretur. Denique, legiſlator præſumi poteſt, ſufficienter reflexiſſe ad caſus frequenter contingentes, in quibus proinde locum non habet Epyckia, ne lex eſſet admodum infirma.

Dicendum 2. *irritatio* voti eſt annullatio voti facta ab habente poteſtatem: id enim dicitur *irritum*, quod non eſt ratum irritatio dicta non ſpectat ad poteſtatem Eccleſiaſticam, multò minus ad civilem: ſed *Quid ſit irritatio voti.*

ad poteſtatem dominativam, eo quod voluntas voventis, irritantis voluntati in eo ſit ſubjecta, ſaltem quoad materiam voti. Hinc vota ſubditorum facta in illis, in quibus ſunt ſubditi, poſſunt à ſuperiore irritari; non tamen facta in iis, in quibus non ſunt ſubditi. Porrò, irritare vota ſubditorum ſine causâ, juxta aliquos eſt peccatum ſaltem veniale, dum eſt abuſus poteſtatis ſine causâ impedire alium in bono obfirmatum. Alii negant eſſe per ſe peccatum, eo quod omnia ſubditorum vota emittantur cum hâc conditione, *ſi ſuperior non diſſentiat*, qui proinde diſſentiens irritat, & eo facto utitur ſuo jure. Prior tamen ſententia verior apparet, dum nullam habet cauſam irritandi, qui actus tali caſu ſaltem videtur eſſe otioſus.

Neque hic opus eſt, quod ſuperior cognoſcat in individuo votum ſubditi, ut illud poſſit irritare, ſed ſatis eſt, quod ſubditus dicat ſe in conſcientiâ eſſe gravatum, quâ ratione habet ſuperior cauſam ſufficientem votum illud irritandi. Imo, etiam nolente ſubdito poteſt ea irritare, dum votum hoc dependet à voluntate ſuperioris, ejuſque conſenſu, ſub quâ conditione eſt emiſſum.

Qui poſſint aliorum vota irritare.

Ex dictis ſequitur omnia Religioſorum vota non ſubſtantialia poſſe à ſuperiore irritari, eâque parte vota eorumdem non eſſe abſolutè firma. Sub nomine ſuperiorum intellige etiam Abbatiſſas, & Prioriſſas reſpectu ſuarum Monialium. Cum verò Novitii ſint ſui juris, neque ſubſint poteſtati dominativæ ſuperiorum, non poterit ſuperior eorumdem vota irritare, quamvis poſſit eorum vota, quæ novitiatum impediunt, ſuſpendere; adeo ut, ſi exeat Religionem, vota illa reviviſcant: Vel etiam poſſunt ſuperiores vota eorumdem in alia opera novitiatûs commutare. An verò poſſint in illis diſpenſare, dicam poſtea.

Sequitur 2. vota filiorum facta in iis, quæ obſunt patriæ poteſtati, aut gubernationi domeſticæ, à paren-

parente poſſe irritari, quamdiu non eſt emancipatus. Si tamen facta eſſent, ut implenda eſſent poſt emancipationem; ſic minimè poterunt irritari, quia nihil obſunt patriæ poteſtati.

Sequitur 3. maritum poſſe irritare vota uxoris, quatenus eadem obſunt juri maritali; dum ejuſmodi uxoris vota cenſentur emitti cum eâ conditione, *ſi maritus conſentiat.* Jus autem maritale, complectitur, jus conjugale, educationem prolium, & gubernationem domeſticam. In his enim ſubeſt uxor viro, & dominativam in uxorem habet poteſtatem. Unde non poteſt maritus irritare votum uxoris de non peccando, de orando, &c. idem aliqui extendunt ad omnia vota uxoris, non ſecus, ac de votis Religioſorum eſt dictum, eo quod D. Thomas art. 8. ad 3. aſſimilet ſubjectionem uxoris erga virum, cum ſubjectione Religioſi erga ſuperiorem: cui conſentire videtur jus in *cap. finali* 33. q. 5. ex D. Ambroſ. cap. 10. *de Paradiſo*, ubi dicitur: *Evidentiſſimè apparet, ita virum eſſe caput mulieris, ut nulla vota abſtinentiæ, vel Religioſæ converſationis, liceat ſibi ſine ejus licentiâ Deo offerre.* Hinc volunt, omnia uxorum vota includere hanc conditionem, *ſi maritus conſenſerit.*

Aliud eſt, ſi uterque continentiam voverit, aut Religionem de conſenſu mutuo, cum virtualiter eo caſu quiſque cedit juri ſuo promiſſionem datam revocandi, aut irritandi. Poſſunt tamen eam promiſſionem mutuo conſenſu diſſolvere, etſi non ſine gravi peccato, niſi adeſſet graviſſima cauſa.

Similiter & uxor poterit irritare vota mariti, quæ uxoris juri præjudicant, uti & ea, quæ cedunt in præjudicium dotis. Tale autem eſt votum mariti de non petendo debito, eo quod hoc ob verecundiam uxori ſit grave, & illi præjudicet: ſecus eſt de voto uxoris non petendi debitum, quod maritus irritare non poteſt: quamvis de priori voto hoc neget Baſilius Pontius l. 10. c. 17. §. 2.

Dicendum 3. conſtat in Eccleſiâ eſſe poteſtatem diſpenſandi in votis à Chriſto datam Matthæi 16. *Tibi dabo claves regni, &c.* hic enim datur poteſtas abſolvendi ab omni vinculo ad ſpiritualem animæ ſalutem, quale eſt vinculum voti. Deinde, Deus poteſt cedere per Eccleſiam promiſſioni ſibi factæ, tamquam per ſuum vicegerentem: unde S. Thom. q. 88. art. 12. *Prælatus in Eccleſiâ gerit vicem Dei.* Quomodo hoc non ſit diſpenſare in lege naturali, aut divino, dictum eſt de legibus. Cui adde illud ſancti Thomæ in 4. diſt. 38. q. 1. art. 4. *Obſervare votum,* ait, *durante voti obligatione eſt de lege naturali: ſed ceſſante obligatione voti, non eſt obſervatio ejus de lege naturali.* Idem extendunt ad vota facta alicui Sancto, ſic ut non adſit acceptatio voti ab homine, eo quod ſit ejuſdem authoritatis diſpenſare in voto facto Deo, & facto Sanctis, cùm non ſit minor Eccleſiæ authoritas in iis, quæ ſpectant ad Sanctos, quam in iis, quæ ſpectant ad Regem Sanctorum. Si verò adjungatur promiſſio ab homine acceptata, non poterit tunc in eo diſpenſari in præjudicium tertii.

Ex dictis ſequitur, ad diſpenſandum in voto neceſſariam eſſe juriſdictionem ſpiritualem, adeoque ſolos Eccleſiaſticos id poſſe, adeò ut illud non poſſint, nec Abbatiſſæ, nec Prioriſſæ, neque alii ſæculares, etſi poſſint vota irritare. Pleniſſimè verò hæc poteſtas reſidet in Summo Pontifice, Chriſti Vicario per totum orbem: deinde, in Concilio Generali, Summo Pœnitentiario Rom. Pontif. in Archiëpiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, &c. reſpectu ſuorum reſpectivè ſubditorum.

Et quamvis antedictum ſit, non poſſe ſuperiores irritare novitiorum vota, quia non habent in eos poteſtatem dominativam: poſſunt tamen cum illis diſpenſare in votis, quia habent in illos juriſdictionem ſpiritualem ad eoſdem plenè regendos in materia ſpirituali, Imò & Epiſcopi in eorumdem votis poſ-

Digitized by Google

poſſunt diſpenſare, cùm ab ejus juriſdictione non ſint plenè exempti.

Dicta intelligenda ſunt de votis non ſubſtantialibus, aut ſubſtantialibus non annexis, quale eſt abſtinentiæ quadrag. apud Minimos, miſſionis apud Societ. rationem dat Synodus Trid. ſeſſ. 25. cap. 1. *Etenim ſi illa, quæ baſes ſunt, & fundamenta totius regularis diſciplinæ, exactè non fuerint conſervata & cuſtodita, totum ſtatim corruat ædificium, neceſſe eſt.*

Vota quoque aliqua Pontifex ſibi ſpecialiter reſervat, quæ communiter dicuntur eſſe 5. *Caſtitatis perpetuæ, religionis approbatæ, peregrinationis ad limina Apoſtolorum, Compoſtellanæ, & ultra marinæ, ſive Jeroſolymitanæ.* Duo tantùm hîc numerat S. Thomas q. 184. art. 6. ſcilicet votum continentiæ, & ad terrram S. ſed ſub priori comprehendit votum Religionis: ſub poſteriori autem Compoſtellanam, & Romanam. Alii credunt, alia tria tempore D. Thomæ non fuiſſe reſervata. *Vota reſervata Pontifici.*

Poſſet tamen Epiſcopus, præcipuè longè diſſitus Româ, in illis votis diſpenſare, ſi ſit periculum ſpiritualis ſalutis: quo caſu dari poſſet ea diſpenſatio ex præſumpta licentia Papæ, de qua prudenter credi poteſt, quod hoc caſu non velit ſibi eam diſpenſationem reſervare, ſed Epiſcopis illam pro eo caſu communicare: hocque videtur exigere ſuave Eccleſiæ regimen. Tale verò periculum cenſent periculum incontinentiæ, gravis ſcandali, gravis damni, &c. v. g. ſi hoc neceſſe ſit ad legitimandam prolem, poteſt Epiſcopus diſpenſare in voto caſtitatis perpetuæ, ſi ſit periculum in mora: ſi quis inſuper violaſſet virginem poſt ſimile votum emiſſum, & ad reparandum ejus honorem eam vellet ducere, poterit in eo Epiſcopus diſpenſare, ſi timeatur, quod interea dum petitur diſpenſatio, matrimonium per amicos impedietur. Hoc tamen hîc notandum eſt, quod diſpenſatio illa in tantum ſit concedenda, in quantum neceſſitas poſtulet, cùm neceſſitas eam

conce-

concedat. Hinc, ſi poſſit adiri ſuperior, aut ejus vices gerens, debet omninò adiri, nec dari poteſt diſpenſatio.

Cùm verò omnis reſervatio ſit odioſa, debet reſtringi, neque habet locum, niſi in votis perfectis; unde ſi talia vota ſint dubia, imperfecta v. g. ex metu, non ſunt habenda pro reſervatis. Idem eſt de voto caſtitatis non perpetuæ, ſuſcipiendi ſtatum Beginarum, Devotarum, non fornicandi, non nubendi, ſuſcipiendi ſacros ordines.

Quomodo Regulares poſſint diſpenſare in votis. Poſſunt etiam Regulares Confeſſarii, tam in confeſſione, quam extra eam diſpenſare in votis, in quibus jure ordinario diſpenſare poſſunt Epiſcopi cum ſuis Diœceſanis. Privilegia illa citant communiter Authores. Dico *jure ordinario*, quia non poſſunt diſpenſare in iis, in quibus poſſunt Epiſcopi diſpenſare ex jure ſibi delegato à Pontifice, quidquid aliqui contradicant ſine ſufficienti fundamento.

Ad validam, & licitam diſpenſationem requiritur juſta cauſa diſpenſandi; cùm ſit diſpenſatio in lege ſuperioris, quæ ſine cauſa juſta eſt nulla, cùm non cenſeatur ſuperior dediſſe facultatem ad irrationabiliter diſpenſandum, aliàs non eſſet diſpenſatio, ſed diſſipatio. Deinde, quis dicet, quod Deus velit promiſſionem ſibi factam ſine juſta cauſa remitti? porrò cauſa hæc, debet proportionari gravitati voti, ut quo votum eſt majoris ponderis, eò requiratur cauſa gravior. Ut autem prudenter hìc diſpenſetur, conſulunt Authores, quod quando de ſufficientia cauſæ non ita exactè conſtat, tunc non plenè ſit diſpenſandum, ſed aliquid commutationis adjungendum. *Cauſa diſpenſandi.* Cauſæ autem diſpenſandi ſunt, ſi votum non fuerit perfectè voluntarium, v. g. ex metu levi, ex errore aliquo, ira, aut alia paſſione? 2. periculum transgreſſionis, ejus difficultas, etſi illa provenirent ex voventis malitia, quia illâ poſitâ, abſolutè potius votum cederet in laqueum, adeoque

que foret inutile. Idem dic de ſcrupuloſitate, cùm vota ſcrupuloſorum ſæpe magis obſint, quam proſint. Idem eſt, ſi ex executione voti impediatur aliquo modo bonum commune, ſi cedat in damnum familiæ, &c.

Dicendum 4. Commutatio voti eſt, quando una materia voti mutatur in aliam, manente vinculo voti. Differt ab irritatione, quod ea tollat voti obligationem, non itidem commutatio. Diſpenſatio etiam obligationem voti aufert reſpectu ejus, quocum diſpenſatur. Commutatio voti poteſt fieri propriâ authoritate in aliud evidenter melius, ſi hoc melius in ſe contineat materiam promiſſam: Sic qui vovit calicem argenteum, poteſt illud votum commutare dando aureum: ubi non tam moraliter loquendo eſt commutatio, quam ſuperabundans ſolutio. Hinc, quando S. Thomas q. 82. art. 12. docet, ad commutationem voti requiri authoritatem Prælati, intelligendum eſt, quando non conſtat evidenter, an illud, in quod commutatur materia voti, ſit melius. Quapropter, ſi etiam illud ſit evidenter æquale, requiritur ad commutationem authoritas Prælati; nec enim poteſt aliud pro alio ſolvi, promiſſario non conſentiente: atqui Deus non præſumitur relinquere hoc libertati voventis; ſed potius, quod velit, ut conſtanter reddat id quod promiſit. *Quid commutatio voti.*

Cui datum eſt privilegium in votis diſpenſandi, videtur etiam datum eſſe privilegium commutandi, quia *cui, quod eſt plus, licet, licet utique, quod eſt minus*, regula 53. in 6. Adde, quod ſæpe in diſpenſatione neceſſarium ſit, adjungi commutationem, ſi non integrè conſtet de cauſæ juſtitia ad diſpenſandum. Ubi hoc Notandum, quod quando fit ejuſmodi commutatio cum diſpenſatione, poſſit fieri in rem longè inferiorem, cùm ſi cauſa ſufficiens adfuiſſet, potuiſſet materia voti tota auferri.

Si verò commutatio fiat in Jubilæo à Confeſſario, pote-

Commutatio voti in Jubilæo. poterit, & debet ea fieri in opus moraliter æquale. Hoc enim commutatio propriè exigit, puta æqualitatem rei ad rem. Dico *moraliter*, quia cùm commutatio ſit favorabilis, non eſt ſcrupulosè reſtringenda, ſed potius extendenda. Neque etiam ad rectam commutationem requiritur, ut votum perſonale, commutetur in perſonale: reale in reale: ſed poteſt reale commutari in perſonale, & contra, v.g. peregrinatio in eleëmoſynam, modò materia ſit æqualis.

Notari hîc poteſt primò, quod à commutatione votorum in Jubilæo ſoleat excipi votum religionis, & caſtitatis perpetuæ: quo ſignificatur, votum illorum perfectum, & quod, vel quale cenſetur eſſe reſervatum.

2. Quod illa commutatio fieri non debeat in confeſſione Sacramentali, ſed poſſit fieri extra eamdem; tale enim privilegium ad illam non reſtringitur.

3. Quod, qui lucratus Jubilæum, non fecit commutari vota ſua, quia fortè non recordabatur: poſſit eam commutationem poſtea in vim Jubilæi antea lucrati exigere, & obtinere. Etſi enim Jubilæum ſit tempori determinato affixum: non tamen privilegium commutandi.

4. Generaliter etiam ad commutationem notandum eſt, quod ſit ſtricta obligatio exequendi rem ſubrogatam, quia eſt materia voti facta per commutationem. Quod ſi, vel caſu, vel malitiâ factus ſis impotens ad exequendam rem ſubrogatam, non tenêris ad præſtandam priorem. Ratio eſt, quod per commutationem prioris obligatio ſit abſolutè ablata. Excipe tamen, niſi commutatio facta ſit propriâ authoritate, quo caſu, ſi res ſubrogata fiat impoſſibilis, tenetur ad priorem: ratio eſt, quod hoc caſu non tollatur vinculum prius, niſi per ſuperabundantem ſolutionem, quæ ſi non præſtetur, remanet prior obligatio. Si tamen commutatio facta

ſit

ſit in minus, aut æquale bonum, poterit vovens aſſumere priorem. Imò, etſi facta ea ſit in melius, poterit vovens redire ad priorem materiam voti, cùm quilibet poſſit renuntiare illi, quod in ejus favorem eſt ſtatutum; deinde commutatio omnis cenſetur hìc fieri cum hac tacita conditione, *niſi vovens voluerit adhærere primæ materiæ*: addunt, quod ſi rurſum placeat, poſſit redire ad ſubrogatam.

Cùm verò commutatio non ſit totalis ablatio voti, ſicuti eſt diſpenſatio, non requiritur hìc tanta cauſa commutandi, quàm diſpenſandi. Sic quando commutatur in evidenter melius, adeſt cauſa ſufficiens commutandi: idem eſt in Jubilæo, in quo non exigitur alia cauſa, quam exhibitio operis in Jubilæo injuncti, in cujus gratiam Pontifex eam indulgentiam, & gratiam concedit: Si tamen omnis cauſa hìc deſit, commutatio facta in minus bonum, erit invalida, quandoquidem commutatio eſt actus juriſdictionis, & quaſi partialis diſpenſatio, quæ ſine cauſa eſt invalida. *Non eſt opus tantâ cauſâ ad commutandum, quantâ ad diſpenſandum.*

SECTIO IX.

De Statu Religioſo.

Dicendum primò, Status religioſus generaliter nil aliud ſignificat, quàm ſtatum, quo aliqui conveniunt, ut totos ſe Dei obſequio conſecrent. Propriè autem eſt ſtatus, tribus votis, caſtitatis ſcilicet, paupertatis, & obedientiæ legitimè firmatus. Ortum habet, & inſtitutionem à Chriſto, quâ ratione à Chryſoſt. hom. 17. ad populum dicitur *Philoſophia à Chriſto introducta*. Dicitur quoque *ſtatus perfectionis*, non acquiſitæ, ſed acquirendæ: de quo ſtatim. Ad eſſentiam ſtatûs religioſi primò requiritur obſervantia trium votorum prædictorum, *Status religioſus.* *Requiſita ad ſtatum religioſum.*

quâ

quâ ratione ea vocari ſolent *vota ſubſtantialia*, tamquam ſine illis ſtatus religioſus nequeat ſubſiſtere. Cùm enim ſtatus ille ſit ſtatus perfectionis acquirendæ, per tria dicta vota redditur homo expeditus ad eam conſequendam: coërcetur enim per vota illa triplex concupiſcentia in mundo regnans, 1. Joan. 2. quæ potiſſimùm illi fini poteſt obſtare.

Requiritur 2. ut prædicta vota ſint verè vota, non nuda propoſita, quâ ratione requiritur, ut homo immobiliter talibus votis maneat obligatus.

Requiritur 3. traditio, quâ religioſus ſe tradat alteri, quæ etſi præcisè ex votis non oriatur, oritur tamen ex diſpoſitione Eccleſiæ, quæ aſſignat eſſentialia ad ſtatum religionis, prout illa traditio fit in emiſſione votorum. Unde docent in profeſſione fieri duos contractus; unum, quo per vota fit promiſſio Deo: alium, quo religioſus ſe donat religioni eam donationem acceptanti: ex quo etiam reſultat ſpecialis obligatio inter religionem, & religioſum, quâ religio obligatur ad religioſum alendum, conſervandum, &c. & religioſus obligatur ad ea omnia præſtanda, quæ ſunt religionis.

Requiritur 4. ut dicta vota emittantur in religione approbata ab Eccleſia, aliàs erit ſtatus merè laïcalis; adeò ut, etſi quis in tali ſtatu vota illa emitteret, nihil efficeret, & alter in voventem non acciperet ultra naturalem juriſdictionem. Non tamen requiritur ad ſtatum religioſum, quod à Papa ſit immediatè approbatus: nam religio S. Antonii, Baſilii, Auguſtini, Benedicti, non fuerunt ab initio à Papa approbatæ, ſed ſolùm ab Epiſcopis, quibus ſuberant, etſi ſenſim à Conciliis, & Pontificibus approbatæ ſint, & confirmatæ.

Ex dictis inferes 1. quod emiſſio duorum votorum ſubſtantialium non faciat religioſum. 2. Idem eſſe, ſi verè non voveant, ſed ſolùm eadem proponant, ſi eadem ſolùm internè voveant. 3. Quod obligatio religioſi ex parte ſua debeat eſſe perpetua, etſi non de-

debeat eſſe talis ex parte religionis acceptantis, uti patet in Scholaſticis Societatis Jeſu.

Inferes 4. quod Anachoretæ non ſint verè religioſi, prout modò ab Eccleſia eſt determinatum. Quantum tamen ad rationem ſtatûs religioſi, videtur non requiri eſſentialiter vita communis. Probatur priùs, quod jure Eccleſiæ debeant vota illa emitti in religione approbata, quæ certè communitas eſt ſub communi regula congregata. Probatur poſteriùs, quia ad rationem ſtatûs religioſi abſolutè loquendo ſolùm requiritur emiſſio votorum ſolemnium facta alicui Prælato eadem vice Dei accipientis, qui eoſdem ad perfectionem dirigat mediis opportunis, etſi non per vitam communem. Hinc Anachoretas illos, qui taliter vota emittebant, fuiſſe veros religioſos docet Rodriguez tom. 3. qq. Reg. q. 49. art. 4. hinc ulteriùs collige, neque vitam communem ad religionis ſtatum, abſolutè neceſſariam eſſe.

Dicendum 2. tenetur religioſus tendere ad perfectionem ex vi ſui ſtatûs. Hoc autem ita intellige, quod religio ſit quaſi ſchola perfectionis, in qua religioſorum ſtudium id unicè debet intendere, ut per profeſſionem ſui ſtatûs ad perfectionem perveniant. Obligatio hæc eſt ſub mortali, adeò ut dicat Navarrus in cap. *quia porrò* 12. q. 1. *terribilis eſt multis religioſis hæc ſententia, qui neque actu, ſeu actualiter: nec virtute, ſeu virtualiter habent animum ſe indies magis in charitate perficiendi: nec curant pluſquam boni Clerici ſæculares, vel laïci ad eam tendere.* Tendentia hæc debet eſſe continua, dicente S. Bernardo epiſt. 254. *nolle proficere, deficere eſt.* Dictam obligationem violat, quotieſcumque regulam violat ex contemptu, quæ etſi etiam ad pœnam tantùm obligaret, ex contemptu tamen ejus violatio eſt mortalis. Deinde eamdem violat, quando etiam minima regulæ tranſgreditur eo fine, ut perfectionem impediat: hoc enim directè tendentiæ ad per-

Tenetur religioſus tendere ad perfectionem.

perfectionem repugnat. Idem eſt, ſi apud ſe ſtatuat, nihil de perfectione curare, dicendo v. g. *ad quid ulterius de perfectione curandum?* idem docent de eo, qui aliis eſt malo exemplo ad regulæ laxitatem, vitam diſſolutam, &c.

Porrò, cùm perfectio potiſſimùm ſita ſit in exercitio charitatis, tenetur ex hoc capite religioſus ſpecialiter omnia ſua opera dirigere in finem charitatis, & in omnibus purâ intentione Deum quærere, prout monuit S. Ignatius: ut de illis dici meritò poſſit Pſ. 23. *Hæc eſt generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob.*

Vota ſolemnia non ſunt requiſita ad veros religioſos.

Dicendum 3. de eſſentia religionis non ſunt vota prædicta ſolemnia, ſed ſufficiunt ſimplicia in religione approbata emiſſa. Statuit illud Gregorius XIII. Bullâ, *Aſcendente Domino*, & alii Pontifices, dicentes Scholaſticos Societatis poſt biennium probationis, per vota ſimplicia prædictorum, eſſe veros religioſos. Imò Baſilius Pontius probare nititur l. 7. c. 12. de matrim. diu in Eccleſia morem fuiſſe religioſis emittendi vota ſimplicia: addens etiam c. 7. fore contra dictam conſtitutionem dicere, *Patres Societatis eſſe ſolùm religioſos ex privilegio*, dum debent abſolutè dici tales. Et quamvis S. Thomas 1. 2. q. 189. art. 2. ad 1. id videatur negare, & vota ſolemnia hîc neceſſariò requirere; dicendum tamen eſt S. Thomam, & alios locutos fuiſſe, de eo, quod eorum tempore contingebat. De voto ſolemni, & ſimplici dicam poſtea.

Dicendum 4. ex dictis ſufficienter colligi, non eſſe veros religioſos, illos, qui ſunt de illis ordinibus militaribus, in quibus ſolùm duo vota emittunt, ut caſtitatis conjugalis, & obedientiæ, prout fit ab iis, qui ſunt ordinis S. Mauritii, & S. Stephani: imò, quicumque etiam tria illa vota emittit, ſed imperfectè, v. g. caſtitatem conjugalem, &c. non ſunt veri religioſi, dicente S. Thomâ 2. 2. q. 186. art. 4. *quod illi modi vivendi, ſecundùm quos homi-*

homines matrimonio utuntur, non ſunt ſimpliciter, & abſolutè loquendo religiones; ſed ſecundùm quid: in quantum ſcilicet in aliquo participant quædam, quæ ad ſtatum religionis pertinent.

Sequitur etiam Beginas noſtras non eſſe verè religioſas, *Clement. 1. de relig. dom.* cùm votum obedientiæ, paupertatis, nec perfectæ caſtitatis promittant, nec regulam approbatam, etſi ſpecialem habitum deferant. Vide Zypæum *juris Pont. de regul. l.* 3. ubi idem tenet de Canoniſſis, etſi ambæ dicantur, & haberi ſoleant pro perſonis Eccleſiaſticis. *An Beginæ ſint religioſæ.* *An Canoniſſæ.*

Dicendum 5. eadem eſt in omni religione ſubſtantialis ratio, etſi accidentaliter differant ad ornatum Eccleſiæ. Diſtinguuntur autem potiſſimùm ex parte finis, ad quem religio aliqua eſt inſtituta: ſic aliæ inſtitutæ ſunt merè ad contemplationem, ut meri Monachi: aliæ ad activam vitam, v. g. ad inſeviendum proximis, aliæ ad utrumque. Perfectio tamen religionis rectè deſumi poteſt ex majori, vel minori conformitate cum modo vivendi Chriſti, & Apoſtolorum, à quibus omnis religionis perfectio dependet. Hinc non ſemper religio auſterior, eſt & perfectior; neque qui choro utitur, perfectior eſt eâ, quæ eo non utitur, etſi aliquibus viſum ſit, religionem choro non utentem, vix mereri nomen religionis. Cùm verò conſtet, & Chriſtum, & Apoſtolos coluiſſe vitam mixtam, ſequitur cæteris paribus religionem mixtam eſſe perfectiorem. Cùm enim perfectio in charitate Dei, & proximi principaliter ſita ſit, ſequitur religionem in exercitio illius ſitam eſſe de ſe perfectiorem. *Differentia religionum.* *Quæ præſtantior.*

SECTIO X.

De Ingredientibus, & Profitentibus Religionem.

DICENDUM primò, cum ſtatutis ordinis noſtri diſt. 1. cap. 15. de admiſſione Novitiorum: *Cùm magna prorſus ſit, & humanas vires longè excedat monaſticorum votorum ſublimitas, & excellens illa perfectio, ad quam religioſa vita contendit; ideo, quando aliqui ad ordinem noſtrum admitti petierint, ſingulariter à Superioribus advigiletur, ut omni amicitiæ, conſanguinitatis, aut quovis alio minus ordinato affectu prorſus excluſo, omnique paſſione ſepoſitâ, ſolus Deus, & communis Fratrum, & Eccleſiæ bonum ſpectetur. Ante omnia advertatur, an in iis inveniantur notabilia indicia, ob quæ meritò credantur à Spiritu Dei ad religionem agi.* Hoc autem hæc examinando poterunt perſcrutari: an purâ, & ſincerâ intentione ad Deum, religioſamque vitam aſpirent: quid ſit, quod hunc potiùs ordinem, quam alium prætendant, &c. ex quibus colligitur, non niſi electos, & ad religionem aptos eſſe admittendos.

Ingreſſus religionis debet eſſe liber. Dicendum 2. debet ingreſſus eſſe liber à vi, metu, vel fraude, quâ ratione excommunicantur à Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 18. de regul. qui fœminas cogunt ad ingreſſum religionis; quod etſi non loquatur de viris, tamen graviter peccant, qui id viris agunt. Hoc tamen notandum, quod gravis metus, etſi profeſſionem irritet, non tamen irritet religionis ingreſſum, quia id nullibi irritatur. Ex hac coactione tot in religionibus ſcandala, & infauſta.

Sine ſimonia. Debet ulteriùs ingreſſus eſſe liber ab omni labe ſimoniæ, aliàs incurritur excommunicatio Papæ reſervata: unde ſtatuta noſtra ibid. num. 8. *ſi examinati, & probati fini ordinis convenire putentur, excluſâ omni ſimoniâ, & conſtitutione Urbani Papæ, quæ taci-*

incipit, NE IN VINEA DOMINI, &c. *integrè obſervata admittantur.* Vide, quæ diximus de ſimonia.

3. Rectè quoque addunt ſtatuta advertendum eſſe, *an ſint doli capaces, & tam maturum habeant judicium, ut intelligere queant, quæ ſit profeſſionis illius obligatio, ad quam aſpirant.* Hinc impuberes generaliter (niſi malitia ſuppleat ætatem) ad novitiatum admitti nequeunt. Cùm enim novitiatus detur ad probandas auſteritates religionis, & maximè caſtitatis, eas impuberes perfectè nequeunt experiri. Quod, quamvis propriè ad profeſſionem irritetur à Concilio Trid. ſeſſ. 25. cap. 15. tamen ex dicta ſaltem ratione conveniens eſt, ac etiam in ordine ad profeſſionem ante pubertatem emittendam neceſſarium, ad annos pubertatis perveniſſe.

Ex dictis patet, ſenes, decrepitos, infirmos, illiteratos ad ingreſſum religionis eſſe inhabiles: idem dic de conjugatis, niſi de mutuo aſſenſu, fatuis, furioſis, &c. Idem eſt de iis, quorum ope parentes indigent: varia inſuper in admittendis novitiis obſervanda ſunt à variis religioſis.

Dicendum 3. expleto novitiatûs tempore, procedi ſolet ad profeſſionem, quâ quis ſeſe per tria ſubſtantialia vota immobiliter Deo offert, aut vice Dei offert ſe religioni, fitque verè, ac propriè religioſus. Alia eſt profeſſio expreſſa, alia tacita: hæc eſt, quæ ſignis, vel actionibus in jure ſtatutis inducitur, v. g. ſi quis per 3. dies geſtaverit religionis habitum poſt novitiatum, quod intellige de habitu profeſſis proprio. Cap. *ad noſtram* de regul. item, ſi exerceat in tali habitu actionem propriam profeſſis, v. g. dando ſuffragium in Capitulo. *Expreſſa* eſt, quæ verbo, ſcripto, vel etiam nutibus conſenſum ſufficienter exprimentibus ſolet fieri. Formula hæc promittendi, vel profitendi, in diverſis religionibus eſt varia: alibi ſolùm promittitur obedientia, in qua cætera vota includuntur: alibi ſolùm vovetur, vivere juxta regulam religionis, &c. Notandum tamen, quod *Quid profeſſio religioſa.*

Requiſita ad profeſſionem. quod qui tacitè profeſſus eſt, poſſit compelli, ut externè profiteatur, ut probari poſſit ejus profeſſio. Porro ad validam profeſſionem requiritur ætas competens, quæ à Concilio Trid. loco ib. ſupra, eſt poſt expletum annum 16. maturior quidem ætas à priſcis Pontificibus fuit requiſita ad emiſſionem votorum, & ſuperioribus juribus conſtat ſemper ætatem profitendi fuiſſe nubilem, non infantilem, nec ſatis eſſe viro, ſi portaverit ſolùm jugum ab adoleſcentia ſua: ſed oportere illud perferre. & perferendo perſeverare.

2. Requiritur ex eodem Concilio, quod annus probationis ſit expletus, aliàs profeſſio futura eſt nulla; nec ſolùm debet eſſe expletus, ſed continuus, abſque morali interruptione: & ratio eſt, quod novitius debeat potuiſſe perfectè expertus eſſe auſteritates religionis, ad quod maximè juvat eas ſine interruptione perferre. Debet autem hìc cenſeri eſſe interruptio moralis, completa, & perfecta, qualis non eſt, ſi quis petat habitum ſuum ſæcularem, eumque induat, ſed mox pœnitentia ductus eum dimittat, maximè ſi ex monaſterio necdum exierit. Imò quamvis etiam per 4. aut 5. dies monaſterio exiiſſet, & poſtea rediret, eo quod non cenſeatur pauco illo tempore interruptio moralis in novitiatu. Barboſa verò adfert declarationem Congregationis aſſerentem religioſum, qui per 24. horas habitum dimiſerat, non interupiſſe novitiatum. Idem eſt, ſi de licentia ſuperiorum, bonâ temporis parte extra monaſterium degiſſet, ut refert Zypæus *conſult. Can. lib.* 3. *conſ.* 28. Aliud eſſet, ſi juſtè fuiſſet expulſus, & poſtea admiſſus, quia ſicuti expellendo judicatus fuit ineptus ad religionem, ita & novitiatus pro tempore præterito judicatus fuit nullus. Si verò injuſtè fuiſſet expulſus, non deberet novitiatum repetere, ſi readmittatur, quia non debet innocens privari ſuo jure, quod habet ad proſequendum novitiatum: imò alii ad-

addunt, ratione talis juris, deberi computari tempus, quo fuit ejectus.

Denique non videtur, quomodo tempus novitiatûs immediatè debeat ſequi profeſſio, v. g. ſi expleto novitiatûs tempore anno 14. uſque ad annum 16. maneat ſæcularis: poterit ille ad profeſſionem admitti, cùm hîc habeatur annus probationis continuus, & integer, & fini Concilii eſt ſatisfactum, dum ſufficienter experiri potuit religionis auſteritates, & ipſum religio ſatis probavit. Quando ergo Conc. ibidem dicit, quod ſuperiores debeant novitios congruos admittere ad profeſſionem, & ineptos è monaſterio expellere, loquitur de eo, quod regulariter ſolet fieri, cùm juſta de cauſa profeſſio ſæpe poſſit poſt tempus novitiatûs differri. Addi hîc poteſt, quod ægritudo, etſi tempus novitiatûs non interrumpat, tamen ſit ſæpe cauſa ſufficiens illud prorogandi: Inſuper, ſi in novitiatu novitius habens 16. annos ſit in periculo vitæ, poterit etiam ante annum profeſſionem emittere, nec debet reſtans tempus explere, ſi convaleſcat, quia eſt verè profeſſus.

Requiritur inſuper ad valorem profeſſionis, ne ullum impedimentum Canonicum habeat Religioſus, quo ineptus eſſet ad ferenda religionis onera. Quod clarè patet in ordine noſtro, ubi Prælatus nomine Capituli proteſtatur, ſe nolle incorporare eum, qui ſciens, aut ignorans tali impedimento eſt obnoxius.

Requiritur etiam ad valorem ejus, ut profeſſio ſit libera, ut nullo gravi metu fiat, nullâ vi, vel fraude: v. g. ſi ei denegetur injuſtè ſuſtentatio, ut monaſterium peteret: & quamvis preces amicorum, aut metus reverentialis non cenſeantur irritare de ſe profeſſionem: veriùs tamen illam irritant, ſi metus ille, aut preces importunæ cenſeantur moraliter metui gravi æquivalere.

Quicumque autem regularis prætendit ſe per vim,

& metum ingreſſum eſſe religionem: aut etiam dicat ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile: velitque habitum dimittere quacumque de cauſa, aut etiam cum habitu diſcedere ſine licentia ſuperiorum, non audiatur, niſi intra quinquennium tantùm à die profeſſionis, & tunc non aliter, niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram ſuperiore ſuo, & ordinario. Quod ſi autem habitum ſponte demiſerit, nullatenus ad allegandam quamcumque cauſam admittatur, ſed ad monaſterium redire cogatur, & tamquam apoſtata puniatur. Interim verò nullo privilegio ſuæ religionis juvetur.

Quando poſſit Religioſus reclamare. Ex dicto Decreto habetur 1. Religioſo cuilibet invalidè quâcumque de cauſa profeſſo; competere jus reclamandi: ſi autem verè profeſſus eſſet, aut etiam profeſſionem ſuam ratificaſſet ſi potuiſſet ratificare, non poſſet ſine peccato mortali reclamare, qui ſi diſcedat, eſt verus apoſtata, uti patet ex dictis de Apoſtaſia.

Habetur 2. Quod audiri tantùm poſſit intra quinquennium à die profeſſionis, eo quod poſt illud tempus Eccleſia præſumat, religioſum profeſſionem ratificaſſe; unde colligitur, quod hoc ſolùm habeat locum pro foro externo: nam ſi ratificatio facta non ſit, in foro conſcientiæ profeſſio manebit invalida, nec per ſtatutum Eccleſiæ fit verus religioſus. Quinquennium hoc extenditur, ſi in illo fuerit impedimentum, aut impotentia moralis reclamandi, quam poſſet ſufficienter probare: quo caſu à S. Sede requiri poteſt, & debet reſcriptum, ut poſſit audiri, ſine quo docet Barboſa in Conc. Trid. c. 19. num. 19. & alii, ab Epiſcopis audiri non poſſe, quod & Romæ practicari ſcribit, cum ibidem eſſet anno 1630.

Habetur 3. Quod debeat reclamare coram Superiore, & Ordinario, etſi non deſint, qui per Ordinarium intelligant Superiorem, & regulares in hac parte ab Epiſcopi juriſdictione eſſe exemptos. Verùm

Verùm, quid ſi reclamet religio, an eo caſu debeat adiri quoque Ordinarius, expreſsè Concilium non dicit. Proſper Fagnanus tamen 3. Decret. in cap. *nullus* de regularibus, varios adfert docentes, poſſe Superiores per ſe ſine interventu Ordinarii alium expellere, eo quòd ſicuti religio non pendet ab Ordinario in eo admittendo, ſic nec ab eo pendet in eodem expellendo. Quo tamen, & aliis non obſtantibus, tenet etiam hic Ordinarium eſſe adeundum, eo quòd ratio hujus ſtatuti ſit, quod Superior non ſit hîc Judex uſquequaque integer, dum ex hâc causâ commodum ejus, vel incommodum poteſt pertinere: quia dum monaſterium deberet reddere bona à ſubdito allata, monaſterium ſubinde non eſſet facile ad ſententiam nullitatis ferendam: è contra verò procliviores eſſent ad judicium invaliditatis, ſi profeſſus eſſet rixoſus, pervicax, aut aliàs inutilis religioni: Ideoque Concilium hîc Superiori dat Ordinarium conjudicem, uti ſæpè aliàs, dum judex proprius eſt ſuſpectus. ita Fagnanus ibi.

Addit Bordon tom. 2. reſolut. 69. num. 32. & alii, religioſum reclamantem ali deberi à conventu uſque ad ſententiam definitivam, dum uſque talem terminum cenſeatur eſſe pars conventus: debet etiam illâ latâ, reddere monaſterium bona, quæ religioni attulit: ita tamen ut ipſe expenſas litis debeat exſolvere. Ita idem, qui ſupra. Addit Lauretus de Frances 1. parte num. 27. ad Conc. Trid. in hac reclamatione non eſſe audiendos parentes, fratres, aut amicos, eo quòd hîc eorum intereſſe ſit ſolummodo ſecundarium, quod hîc non attenditur. Videri etiam poteſt Donatus prax. regul. p 4. tract. 12. qu. 19.

Sectio XI.

De voto ſolemni.

Solemnitas voti eſt ex jure Eccleſiaſtico.

Dicendum primò, ſolemnitas voti eſt ex jure Eccleſiaſtico, dicente Bonifac. 8. *cap. unico de voto in* 6. ſolemnitatem votorum jure Eccleſiaſtico eſſe introductam. Idem ſignificat Gregorius XIII. Bulla *Adſcendente Domino. Hoc autem adeo certum debet eſſe:* ait Baſ. Pontius de matrimonio l. 7. cap. 7. *Ut quamvis prioribus ſæculis inter Veteres DD. nonnulla circà hoc extiterit controverſia: attamen hâc noſtrâ ætate ſine manifeſtâ Pontificiæ Sedis injuriâ, oppoſitum affirmari non poſſit.* Hanc autem ſolemnitatem dedit votis Eccleſia, ſtatuendo, ut vota, ex conjunctione cum religione approbata, haberent quoſdam effectus, quos non haberent ſine illa conjunctione: puta, quod dirimant matrimonium, privent omni dominio, &c. Deinde, quatenus Eccleſia, ſuâ authoritate poteſt plura, vel pauciora requirere ad voti ſolemnitatem, etiam ſolemnitas dici poteſt eſſe ex jure Eccleſiæ. Solemnitas autem voti ſita non eſt, in eo, quod inhabilitet ad matrimonium contrahendum, uti patet in ſcolaſtibus Societ. Jeſu, qui teſte Suarez à principio Societatis poterant inire matrimonium poſt primam profeſſionem: tamen poſt Greg. XIII. in bullâ dictâ, matrimonium de cætero inire non poſſunt. Nec etiam ſita eſt, quod publicè emittantur, quia id etiam fieri poteſt cum voto ſimplici. Neque etiam poteſt ea ſtatui in traditione voventis, & acceptatione Religionis, dum vota ſimplicia id quoque faciunt in Societate: multò minus ſita eſt, in quâdam benedictione, ſeu conſecratione voventis, dum in multorum profeſſione nulla benedictio perſonæ voventis concurrit, ſed ſolùm veſtium. Unde melius dicitur,

tur, ſolemnitatem voti ſitam eſſe in ritu vivendi cum perpetuitate extrinſecâ ex parte acceptantis; quâ fit, ut Prælatus non poſſit voventem liberare à ſua obligatione, nec Religioſus poſſit inire matrimonium, neque habere dominium: ita Pontius de matrim. l. 7. c. 9.

Dicendum 2. Poteſt Pontifex diſpenſare in voto ſolemni urgentiſſima de cauſa. De voto ſolemni annexo ordini ſacro, admittunt hoc plerique; eo quòd connexio illa ſit tantùm de jure Eccleſiaſtico: de voto autem continentiæ annexo religioni, Variant Authores, eo quòd eſſentialiter, & jure divino obligatio talis voti ſit ſtatui religionis annexa. Negat autem hoc, ut apparet, D. Thomas, Eſtius, Sylvius, & alii. Communior tamen opinio tenet contrarium. Ratio eſt, quod & illa voti ſolemnitas ſit de jure Eccleſiæ, ut ante dictum eſt: ergo poterit in ea Pontifex diſpenſare. Deinde, poteſt diſpenſare in ſolemni voto annexo ordini Sacro, qui tamen (initiatus ſcilicet) magis conſecratur per tale votum, ſuſcipiendo characterem, quam Religioſus tantùm profeſſus. Nec dicas, votum illud non eſſe tam eſſentialiter ordini Sacro annexum, ſicuti eſt votum ſolemne religioni: quia inde tantùm ſequitur, quod religioſus manens religioſus, non poſſit eſſe ſine voto, quod tamen tolli poteſt unâ cum ſtatu Religioſo. Adde, varias Pontificum diſpenſationes in hâc materia factas, quas etſi alii, ut fabuloſas paſſim rejiciant, de aliquibus tamen ſatis conſtat. Ex quo, etſi non habeatur omnimoda certitudo, cum ut notat Eſtius in 4. diſt. 38. §. 6. Pontifices in diſpenſationibus non ſequuntur ſemper ſententias certò veras; ſed eas, quæ vel ſimpliciter, vel apud eos, quorum utuntur conſilio, ſunt magis probabiles: vel pro tempore magis ad praxim utiles Eccleſiæ: tamen, videtur abſonum dicere Pontifices in data toties diſpenſatione erraſſe. Inſuper, cum hîc nihil obſtet, non eſt, cur Pontifici neganda ſit poteſtas diſpen-

Poteſt Pontifex diſpenſare in voto ſolemni.

diſpenſandi: nec enim quid obſtat ex parte voti; alias id fieri deberet in voto ſimplici: non ex parte ſolemnitatis, quæ eſt ex jure Eccleſiæ, non ex eſſentiali ordine talis voti ad ſtatum religioſum, dum votum ſimul cum tali ſtatu poſſit auferri. Quibus omnibus adjungit Proſper. Fagnanus in cap. *Cum ad Monaſterium* de ſtatu Monach. quod in quolibet voto cenſeatur eſſe adjuncta hæc conditio, *ſi Deo placeat*, aut, *niſi aliter Deo placeat*, ſed credendum eſt Deo aliter placere, ſi communis Eccleſiæ utilitas, aut alia urgens cauſa illud requirat. Unde & addit, *Hodie hanc ſententiam eſſe communem Theologorum, ac ferè omnium Canoniſtarum, quam etiam tacitè approbavit Eccleſia Romana, dum ſuper hoc diſpenſavit cum multis Religioſis.*

Addit meritò Wiggers dub. 29. num 180., non ſufficere hîc cauſam privatam, puta periculum incontinentiæ alicujus, ſed requiri cauſam publicam, eamque graviſſimam, v. g. conſervationem religionis, Regni, &c. privata enim cauſa non poterit compenſare incommoda ex tali diſpenſatione oritura, puta obloquia, ſcandala, &c. deinde, ſi ſufficeret privata cauſa, numquam, ait, in monaſteriis foret quies.

Argumenta in contrarium. Objicies 1. Cum D. Eſtio, S. Thomam q. 88. art. 11. apertè docere contrarium, addens quoſdam Juriſtas ignoranter tenere nobiſcum. Reſp. quod D. Thomas expreſsè doceat ſententiam à nobis datam, docet Fagnanus ſupra: ait enim in 4. diſt. 38. q. 1. art. 4. *Alii dicunt probabilius, ſi communis utilitas totius Eccleſiæ, aut unius Regni, vel Provinciæ expoſcerent, poſſet convenienter, & in voto religionis, & in voto continentiæ diſpenſare, quantumcumque eſſet ſolemnizatum.* Unde ad alium ejus locum ait Cajetanus, quod dicta ibidem opinio, non ſit S. Thomæ *Abſolutè*, ſed tantùm juxta Decretalem, quam ita ſenſit docere: Deinde ſolùm hoc ait opinativè: unde ſi vidiſſet aliter explicare

Eccle

Eccleſiam dictam Decretalem : diſpenſando cum variis Religioſis, etiam aliter eamdem explicaſſet. Inſuper, locus prior, utpote qui clarè, & directè quæſtioni reſpondeat, erit longè præferendus loco, de quo controvertitur.

Objicies 2. Ex eodem: quod in dictâ Decretali, de ſtatu Monach. dicatur, quod *Abdicatio proprietatis, & cuſtodia caſtitatis, adeo eſt annexa regulæ Monachali, ut contra eam, nec etiam Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere*. Cui adjungit rationem D. Thomæ, quod quidquid Deo ſemel eſt conſecratum, debeat illud ita perpetuo manere. Reſp. cum Fagnano ibid. num. 67. Illam Decretalem intelligendam eſſe ita, ut non poſſit diſpenſare Pontifex in tali voto, quin unà diſpenſet in ſtatu Religioſo, quia votum illud illi ſtatui eſt eſſentialiter annexum. Ubi etiam rectè notat, cum Decretalis illa fuerit edita ab Innocentio, quem non latebant geſta Cæleſtini Prædeceſſoris ſui, & à quo Cardinalis erat creatus, dum diſpenſavit cum Conſtantiâ filiâ Rugerii Regis, quæ erat in Panorma ſanctimonialis, & cujus matrimonium fuiſſet Romæ conſummatum: non eſt rationabile, ut voluerit Innocentius geſta prædeceſſoris damnare: per verba hanc damnationem non ſignificantia : Unde ex ipsâ ſucceſſione Innocentii Cæleſtino probari rectè poteſt, quod poſſit eo modo Pontifex diſpenſare, ex qua tamen Eſtius, & alii diſpenſationem illam volunt infirmare. Adde, quod ſi ita generaliter dictæ Decretalis verba intelligenda eſſent, ut volunt alii, jam neque poſſet Pontifex diſpenſare cum ſcholari Societatis Jeſu, qui cum verè ſit Religioſus, non poſſet tranſire ad matrimonium, quod tamen fieri potuit, juxta ante dicta.

Ad rationem verò D. Thomæ, dicendum eſt, quod Eccleſia non poſſit tollere conſecrationem rei ſemel conſecratæ, rem ipſam non immutando: bene tamen id poſſit eam immutando, & aliis uſibus appli-

applicando: patet in Calice conſecrato, qui dum frangitur, poteſt tolli conſecratio. Aliàs etiam id urgeret in ſcholari Soc. Jeſu, qui eſt etiam Deo conſecratus.

Objicit Eſtius 3. Quod ex noſtra opinione ſequeretur, quod qui poſt matrimonium ratum ante conſummationem eſſet religioſus, ſi cum eo poſt profeſſionem diſpenſaretur, poſſet alteri nubere, adhuc aliâ vivente uxore, imo & alteri nuptæ. Reſp. id poſſe eo caſu contingere, & contigiſſe potuit initio Societatis Jeſu; Ratio eſt, quod eo caſu prior uxor non eſſet amplius uxor alterius, dum profeſſio religioſa matrimonium illud diſſolvit, reddens hominem civiliter mortuum. Unde ipſe Eſtius obſervat hoc inconveniens non eſſe adeo firmum.

Objicies 4. Per votum ſolemne etiam nos ipſos tradimus Deo, & abdicamus à nobis poteſtatem in corpus noſtrum: ſed ex natura rei ſumus inhabiles ad diſponendum de re alteri tradita, maximè in uſus contrarios: neque, quod Deo traditum eſt, poterit per hominem revocari; ergo ex natura rei ſumus inhabiles poſt votum ſolemne ad matrimonium contrahendum. Reſp. etiam in votis ſcholarium fit traditio, item in eo, qui de conſenſu uxoris, cum qua conſummavit matrimonium profitetur: & tamen certum eſt, quod ſcholares Soc. ex natura rei non ſint inhabiles ad matrimonium: neque per profeſſionem ſolemnem matrimonium diſſolvitur ex natura rei. Hinc negandum eſt, quod per votum ſolemne fiat talis abdicatio poteſtatis in corpus noſtrum, quantum ad actum, nec tradimus religioni corpus noſtrum ſub tali ratione, ſed ad alios uſus; puta, ut nos demus juriſdictioni ſuperiorum, illorum obedientiæ, &c. Simul promittendo ab actu conjugali abſtinere, non per traditionem Deo factam, cum Deo nihil dare poſſimus: neque per traditionem talem factam ſuperiori,

ri, quia aliàs ille poſſet nos invitos cogere ad matrimonium. Unde patet, quomodo res promiſſa, aut etiam ita tradita, poſſit tradi alteri ad alios uſus: v.g. ſervus, etſi ſit Domino traditus, poterit tamen non obſtante illâ traditione, matrimonium contrahere, quia, quantum ad actum conjugalem non ſubjicitur Domino, ſed in ordine ad operandum. Deinde, etſi etiam daretur quod in voto ſolemni fieret dicta traditio in ordine ad actum conjugalem; quare dici non poteſt, quod traditioni Eccleſia vice Dei remittat obligationem, dum adeſt urgentiſſima cauſa, prout facit Eccleſia in aliis votis, ac juramentis?

Ex dictis ſequitur, quid dicendum ſit ad illud Concilii Trid. ſeſſ. 24. can. 9. *Si quis dixerit Clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, vel regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſticâ, anathema ſit.* Nec enim ibi Concilium tradit, quod ſuſceptio Ordinis S. inhabilitet ad matrimonium vi legis Eccleſiæ: profeſſio verò vi, & naturâ voti: cum hoc nullibi indicetur. Sed abſolutè abſtrahit ab opinione illa, an profeſſio ad matrimonium inhabilitet ratione voti, an ratione legis Eccleſiaſticæ.

Objicies 5. Abdias Babylonius in vita S. Matthæi Apoſtoli refert, quod maluerit mori, quam diſpenſare cum Iphigenia virgine Deo ſacrata, promittente Rege converſionem dimidii regni ad fidem. Reſp. juxta Cajetan. quod in exordio Religionis non expediebat per talem apparenter irreverentiam divinam fidem propagari, quæ prædicatione, & miraculis eſſet propaganda. Addit de Abdia Bellarminus de ſcript. Eccleſ. quod ea, quæ de vita Apoſtolorum ſcripſit, ſint magis fabuloſa, quam vera.

Quæres, an etiam Pontifex diſpenſare poſſit in voto paupertatis, & obedientiæ. Reſp. negant iterum

rum alii ex eodem fundamento, aſſeruntque, quod quando quis abſolvitur ab obedientia, vel paupertate, v. g. dum religioſus fit Epiſcopus; non diſpenſetur propriè, ſed per accidens obedire non teneatur, & potius dicenda ſit exemptio, quam diſpenſatio, prout ex B. Bonav. tradit Eſtius. Navarrus verò Comment. 2. de Regularibus num. 17. tradit poſſe eſſe cauſam diſpenſandi in voto Caſtitatis, non tamen eam eſſe poſſe in voto paupertatis quia matrimonium poteſt eſſe neceſſarium in filio Regis profeſſo, ut totius regni bonum conſervetur: & ita poteſt eſſe juſta cauſa diſpenſandi, ut uxorem ducat, at non ſit in voto paupertatis, quia monachus ex diſpenſatione Papæ poteſt eſſe Rex cum ſolâ adminiſtratione regni, nec ulla ſubeſſe poteſt neceſſitas, ut habeat dominium: & ideo ex defectu cauſæ non poterit diſpenſari, ut proprium habeat. Fagnanus tamen ibi ſupra num. 70. reſpondet, poſſe dari caſum, in quo publica ſalus ſalva eſſe non poſſit; niſi ipſum dominium regni in Monachum transferatur, ut præclarè docuit Innocentius.

Votum Caſtitatis in ſæculo laudabile.

Quæres an ſit laudabile caſtitatem vovere in ſæculo. Reſp. omninò laudabile eſſe & conſultum Apoſtolicum vovere caſtitatem etiam in ſæculo. Patet illud exemplo B. Virginis, item Philippus Diaconus domi ſuæ habebat 4. Filias Propheticas, de quo act. 21. has autem Virgines fuiſſe paſſim oſtendunt commentarii bibliorum. Inſuper 1. Tim. 5. ſatis oſtenditur, quaſdam viduas in ſæculo caſtitatem voviſſe. Deinde Matth. 9. commendantur eunuchi, qui ſeſe caſtraverunt propter Regnum Dei, unde admonetur, *qui poteſt capere, capiat.* Denique, ſi hoc ſit laudabile in Monaſterio, cur non etiam in ſæculo? cur in ſæculo non tam meritorium illud eſt, quam in ſæculo orare, jejunare, &c. Hinc commendantur tot Virgines ſæculares, quæ cogitaverunt quæ Domini ſunt, ut S. Agnes, S.Cæ-

S. Cæcilia, &c. Adde, non omnibus quadrare ingredi Religionem ob infirmitates vel aliâ de causâ, quæ indubiè non ſunt ad nuptias cogendæ, ſed laudabiliter poſſunt vovere caſtitatem in ſæculo.

SECTIO XII.

Ad quid teneatur Religioſus ex vi votorum, ac primò de voto paupertatis religioſæ.

Votum paupertatis, eſt voluntaria abdicatio rerum omnium temporalium, quâ Religioſus ſe privat omni Dominio independenti à nutu ſuperioris. Aliud eſt ſolemne, aliud eſt ſimplex; ſolemne eſt, quo redditur religioſus planè incapax omnis dominii, quòd & fit in profeſſione religioſa. Simplex eſt, quo vovens à ſe abdicat omnem uſum proprietarium, ſic tamen ut acquiſitio dominii vel alienatio ſit valida, etſi illicita. Votum ſolemne illud conſtituit ſtatum religionis, ita tamen, ut idem juxtà bullam Gregorii XIII. faciat votum ſimplex in Societate Jesu. Hoc tamen voto non obſtante. *Quid ſit Religioſa paupertas.*

Dicendum primò. Quod religio poſſit habere in communi aliqua bona, tam mobilia, quam immobilia, quod exceptis Capucinis & minoribus concedit Conc. Trid. ſeſ. 25. c. 2. de regul. Etiam quoad dominium, non ad uſum ſolùm, quem etiam habent Capucini & Minoritæ. Deinde, dominium eorumdem ad ſe recepit Eccleſia; quo facto patet dominium aliorum ordinum ſpectare ad communitatem: unde ſolet etiam dici, quòd quidquid acquirit monachus, acquirat monaſterio, tamquam Domino. *Poteſt Religio habere aliqua in communi.*

His dictis repugnat Navarrus & Marchant tribun. parte 3. Quaſi id non conveniret ſtatui religioſo, exigenti omnis dominii abdicationem, etiam in communi, juxtà illud Chriſti...... *Si vis perfectus*

fectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, &c. Quomodo enim, ait ille, omnia dimittit, qui ſæpè pinguiorem adit Monaſterii hæreditatem? quare docet, ſolam bonorum adminiſtrationem relictam monaſterio, dominium verò Chriſto Domino: undè & bona Monaſterii, dicuntur *patrimonium Chriſti.*

Verùm illa communi Doctorum ſenſui & doctrinæ repugnant, & aliquatenus errori fratricellorum videntur favere, qui teſte S. Antonino p. 4. tit. 12. c. 3. tempore Joannis XXII. circà annum 1324. non ſine magno Eccleſiæ ſchiſmate docebant, nec Chriſtum nec Apoſtolos habuiſſe aliquid in communi, non obſtante quòd Joannes docuiſſet oppoſitum: quod & falſum fuiſſe claret ex S. Textu, ex quo colligitur Apoſtolos emiſſe neceſſaria: primis Chriſtianis omnia fuiſſe communia, &c.

Qua propter dicendum, quòd dominium in communi non obſtet ſtatui religioſo, nec conſequenter paupertati à Chriſto inſtitutæ: cùm dictis verbis Chriſti, *ſi vis perfectus eſſe, &c.* nihil aliud innuatur, quàm omnem proprietatem abdicandam, quod & fieri omninò poteſt, etſi in communi teneatur dominium. Neque talis hæreditatem adit Monaſterii, niſi quoad uſum, cùm nihil juris independentis habeat religioſus ad aliqua bona, quorum omnium proprietatem per paupertatis votum à ſe abdicavit.

Excipitur tamen hîc ordo Minorum & Capucinorum. Ubi N. Minores conventuales habere poſſe immobilia & mobilia in communi: Minores verò de obſervantiâ non habere ejuſmodi bona in communi: Sed tamen uti quibuſdam declarationibus Pontificum circà eorumdem paupertatem factis. Capucinos verò profiteri ſe nudam obſervare regulam, & dictis declarationibus renuntiare. Ità P. Elliſarius c. 2. de voto paup. ſect. 2. num. 70. qui

qui & addit num. 116. Excipi quoque domos ſuas profeſſas, quæ quidem poſſunt habere bona mobilia etiam quoad dominium: non tamen reditus ullos, aut bona ſtabilia, neque in communi, præter ea, quæ ad habitationem aut uſum fuerint neceſſaria aut valdè convenientia: qualis eſt hortus, ad quem religioſi interdum ſe recipiant causâ recreationis. Ita ille.

Quæ paupertas ſit dignior & perfectior.

Quæret aliquis, an dicta illorum paupertas ſit dignior & magis perfecta quàm paupertas aliorum Religioſorum? Reſp. volunt alii quòd ſic, unde alii vocant eam paupertatem altiſſimam, perfectiſſimam, &c. Verùm aliter tradit S. Antoninus loco ſuprà citato §. 25. dicens: *Nec majoris perfectionis eſt renuntiare omnibus in proprio & in communi, ut Minores faciunt, quàm renuntiare omnibus in proprio ſolùm, & non in communi: licet ſit arctior renuntiatio.* Nec enim omnis arctior, eſt etiam perfectior, uti dicam in decurſu: neque Religio aliqua ex eo eſt perfectior, quòd nihil habet in communi, ut ibidem probat S. Doctor: addens tamen jure merito: *Utinam tales gloriationes & propoſitiones inter religioſos ceſſarent: quia multorum malorum ſunt cauſa, ſicut experientia docet.*

Si verò quiſpiam roget, quænam paupertas ſit perfectiſſima, Reſpondet Pelliſarius ſuprà num. 10. ſi loquamur de religionibus vitæ activæ, quales ſunt hoſpitales, militares, &c. iis melius erit habere bona in communi, & quidem copioſa, tamquam neceſſaria ad finem ſuum obtinendum. Si verò ſit ſermo de contemplativis, v. g. merè monaſticis: ſic etiam præſtat habere talia moderata in communi, ad tollendam ſollicitudinem nimiam temporalium. Si denique loquamur de mixtis, cujuſmodi ſunt modò mendicantes, erit melius non habere bona nec in communi, nec in particulari. Ità quidem ex S. Thoma dictus author: addens tamen numero ſeq. juxtà varios Thomiſtas, etiam

etiam accedente Cajetano, Religionibus vitam mixtam profitentibus, melius eſſe abſolutè loquendo, habere bona in communi: eo quòd hoc tempore frigeſcente charitate & Religionibus multiplicatis, non ita poſſint Religioſi ab aliis ſuſtentationem vitæ acquirere, niſi cum magnâ ſolicitudine & mentis diſtractione: idcircò convenientius eſt, ut habeant bona in communi. Imò huic favere addit Concilium Trid. quod ſeſ. 25. c. 3. de regul. concedit illis dominia in communi exceptis prædictis ordinibus; exiſtimantibus ſapientiſſimis hujus Concilii Patribus talem paupertatis ſtatum his temporibus maximè convenire. Idem probat ulterius variis rationibus: 1. Quòd, qui ſimile genus paupertatis obſervarint ordines, conſtet illos præ cæteris ſe conſervaſſe in diſciplinâ regulari. 2. Quòd alii ordines non habentes bona immobilia in communi, adinvenerint varios modos, quibus habere poſſent eadem in æquivalenti, quorum ait, plures adferre poſſet, ſi vellet: ſed juſtis de cauſis omittit. 3. Quòd alii ordines non poſſint adeò liberè ſua adminiſtrare, timentes amittere eleëmoſynas. 4. Quòd aliàs à prælatis non benè provideatur neceſſitatibus ſubditorum, quo fit, quòd quiſque ſibi aliunde procuret, ſive ab amicis, ſive ab aliis, non ſine damno religioſæ diſciplinæ: ad quod adducit illud S. Bonav. in Epiſtolâ ad Provinciales: *Occurrit importuna petitio, quâ omnes tranſeuntes per terras adeò abhorrent fratrum occurſum, ut eis timeant quaſi prædonibus obviare.* Et illud expoſit. ad Reg. S. Franciſci quæſt. 6. *Quando nimis urgemus homines ad dandum, perdunt devotionem prius ad nos habitam, quòd nec prædicatione, nec exemplis, neque aliis quæ facimus, ædificantur.* Certè Chriſti paupertas & Apoſtolorum fuit norma & exemplar omnis paupertatis Religioſæ, quibus tamen aliqua in communi dominio fuiſſe conſtat: quod locum etiam habet in ordinibus vitæ mixtæ, qualem coluerunt Apoſtoli.

Quæ

Quæres ulteriùs an ergo non ſit eadem religioſa paupertas in omnibus ordinibus ? Reſp. Quidam volunt aliam paupertatem eſſe Monachorum, aliam Canonicorum regularium : Aliam Ordinum mendicantium, aliam Societatis Jeſu, aliam Minorum : Aliam ordinum Militarium, prout vel conſuetudine vel conniventiâ facta eſt ſtrictior vel laxior paupertas : Quaſi paupertas variis religionibus poſſet accommodari : Quod non ſine bile ſe legiſſe ſcribit Petrus Marchant Trib. p. 3. tr. 11. tit. 1. quæſt. 1. in admonitione ſingulari, idque in quodam neoterico, fortè jam citato, qui paupertatem religioſam tempore Juſtiniani Imperatoris tradit eſſe introductam & conſenſu Romani Pontificis firmatam : & addit : *Eheu ! in quæ tempora devenimus ?* Unde melius dicitur eſſe omninò unam & eamdem paupertatem Evangelicam à Chriſto Domino inſtitutam, ab Apoſtolis excultam, à primis Religionum inſtitutoribus obſervatam & commendatam, quâ omnis proprietas independens Religioſo adimitur. Quidquid huic contrarium eſt, eſt omni paupertati adverſum : & ad ſummum illud ſequitur, quòd paupertas una, ſit aliâ ſtrictior, ab unâ tamen & Evangelicâ paupertate deſcendens, quâ omne proprium interdicitur in omni religione. *An ſit omnium ordinum eadem paupertas.*

Dicendum 2. Vi Voti paupertatis non poteſt aliquid religioſus ſine ullâ ſuperioris licentia accipere, etſi etiam illud cederet in bonum communitatis. Ratio illius eſt, quòd vi voti paupertatis religioſo omni ſit vetitus omnis actus proprietatis & dominii, qualis eſt actus ille, puta receptio nomine proprio. Excipi tamen hîc poſſet caſus, quo quidpiam acciperet, eo animo ut à Prælato datâ occaſione petat licentiam, quo caſu acceptio illa dicit ordinem ad nutum ſuperioris. *Qua acceptio Religioſi ſit contra paupertatem.*

Inſuper non poteſt religioſus ſine ullâ licentiâ ſu-

perioris accipere rei alicujus uſum , manente dominio apud datorem , cum utendo re illâ ſe gerat, ut Dominus & proprietarius ; uſus autem proprietarius æquè ac dominium inhibetur vi voti paupertatis. Deinde , cùm uſus ille ſit pretio æſtimabilis , ſequitur , quòd ſine licentia ſuperioris talem rem accipiendo ſit proprietarius.

Peccat itidem contrà votum paupertatis religioſus , ſi ſine licentiâ ſuperioris acquirat ſcedulam campſoriam, ſive obligationem , quâ poſſit pro ſuâ neceſſitate uti , cùm ſcedula illa pecuniæ æquivaleat. Idem eſt ſi eo modo accipiat mutuum aut commodatum : cùm per mutuum vi contractûs acquiratur dominium rei mutuatæ cum obligatione ſolvendi , quod (uti ſupponitur) ſit proprio nomine à religioſo. In commodato tamen includitur hoc caſu uſus proprietarius.

Qua donatio. Dicendum 3. Peccat contrà votum paupertatis religioſus , ſine licentiâ ſui ſuperioris donans alteri res ad uſum ſuum conceſſas. Ratio eſt , quòd religioſus ſit merus uſuarius , & quidem precariò , id eſt , ad voluntatem & nutum alterius , ſcilicèt ſuperioris , qui rem ſuo uſui conceſſam nequit ſuâ authoritate eam alteri donare. Notant tamen DD. in donatione rerum parvi momenti , præſumi facilè poſſe licentiam ſuperioris.

Si verò unus religioſus rem aliquam majoris momenti det alteri religioſo ſine tali licentiâ , diſputant an talis violet votum paupertatis : & quidem Caramuël in reg. S. Bened. docet eo caſu non violari , eo quòd conventus non ſentiat inde damnum, manente dominio talis rei apud conventum , cui conſentiunt plures alii. Verùm rectiùs videtur etiam eo caſu illud votum violari , exercendo actum proprietatis , ſine authoritate ſuperioris dando alteri uſum rei ſibi conceſſæ. Non ſolùm enim peccatur contrà paupertatem , quòd communitas damnificetur , uti patet ex eo , quòd peccari poſſit contrà pau-

paupertatem ubi communitas ſentit commodum, v. g. accipiendo aliquid ſine ſuperioris licentiâ. Hoc addi poteſt, faciliùs hîc quidem excuſari poſſe de præſumptâ ſuperioris licentiâ ex eo, quòd res maneat ſub dominio communitatis, quam in aliis donationibus externo factis.

Petet aliquis, an ſaltem religioſus non poſſit alteri donare ſua manuſcripta. Reſp. plerique Caſuiſtæ quod ſic, idque ex eo quòd illa non ſint pretio æſtimabilia, cùm ſint partus ſcientiæ, quæ de naturâ ſuâ ſunt talia, uti & ipſa ſcientia, cum acceſſorium ſequitur ſuum principale. Si verò opponas, quòd ejuſmodi vendi poſſint: Reſpondent alii, non omnia quæ vendi poſſunt, prohiberi voto paupertatis, ſed ſolùm bona temporalia & corporalia, quæ vendi poſſunt & divitem faciunt: Non verò ſpiritualia, qualis eſt ſcientia, ob quam libri pretio digni ſunt. Verùm parum infundatè illa procedunt: partim, quòd ſi quis manuſcripta aliqua ab alio accepiſſet, non poſſet illa ita alteri donare: Indifferens autem eſt, an ipſe ea fecerit, an ab alio acceperit, cùm quidquid acquirit, acquirat illud monaſterio. Deinde, ſequeretur inde, nec alios libros eſſe pretio dignos, cùm non niſi ratione ſcientiæ contentæ ſint tales. Imò manuſcripta ſolent ſæpè excuſis eſſe rariora & cariora. *Quid ſi donet ſic ſua manuſcripta.*

Dicendùm 4. Peccat religioſus contra votum paupertatis res aliquas ſuperiori occultando, cùm hoc fiat intentione utendi re aliquâ independenter à diſpoſitione ſuperioris, quòd nolit eam ab illo poſſe auferri. Excuſant alii illos, qui ea occultant eâ ſolùm intentione, ne ſubeant confuſionem, aut reprehenſionem, de cætero parati illa relinquere diſpoſitioni ſuperioris. Idem pariformiter dicendum eſt, de occultatione rerum apud ſæculares. *Quæ occultatio ſit contra votum paup.*

Dicendum 5. Peccat Religioſus contrà idem votum, ſi ſuâ culpâ res Monaſterii corrumpat, eis negligenter utendo, &c. Ratio eſt, quòd habeat ſolum *Peccat contra paupert. res Monaſterii corrumpens.*

ſolum uſum facti rerum Monaſterii, non verò quòd poſſit illas pro ſuo libitu diſſipare & conſumere. Unde quivis Religioſus eſt quaſi particularis diſpenſator, qui nequit de rebus ſuo uſui conceſſis aliter diſponere quàm juxtà mentem ſuperioris, id eſt, modo paupertati congruo.

SECTIO XIII.

Quandonam violatio paupertais ſit gravis.

In violatione paupert. eſt ratio furti & ſacrilegii.

NOTANDUM hìc primò, in violatione voti paupertatis reperiri duplicem malitiam, unam furti, aliam ſacrilegii; furti quidem, quod uſurpet rem alterius, Domino rationabiliter invito, ſcilicet Monaſterio, in quo ſita eſt ratio furti: ſacrilegii verò, quatenus eſt contrà votum, & conſequenter contrà Religionem. In utroque autem vitio, dari parvitatem materiæ, eſt manifeſtum.

Notandum 2. Ex illo ſequi, dari quoque parvitatem materiæ in violatione voti paupertatis, cujus contrarium docuit Gerſon. Quibus poſitis.

Quæ materia hìc ſit gravis.

Dico primò, in deſignandâ materiâ gravi in violatione voti paupertatis, alii volunt pariformiter loquendum eſſe, ſicut de furtis filiorum, quibus pro materiâ gravi illud ſtatui debet, ad quod penſatis circumſtantiis cenſeretur pater eſſe graviter invitus; adeo ut illud ex morali potius judicio judicandum ſit, aut determinandum, quàm generali determinatione. Cùm ergo alia ſit ratio filiorum pauperum, alia ditiorum in hâc materiâ, etiam varia poſſet ſtatui ratio quoad Religioſos ditioris vel indigentioris Monaſterii: adeo quod in unâ Religione eſſet materia gravis non itidem eſſet in aliâ. Unde determinatio illius deſumi poſſet, vel à quantitate circà quam ſuperior hujus religionis eſſet graviter invitus, quod ex aliis circumſtantiis eſt diſjudican-

dicandum. Solet alibi illa quantitas determinari, prout feciſſe dicunt P. Aquavivam Generalem Societ. ſtatuentem eam quantitatem gravem quæ eſſet gravis in ſæcularibus in furto: quod alii extendunt ad ſæculares filios, de quo Fagundez & alii.

SECTIO XIV.

Quomodo ceſſet obligatio voti paupertatis Religioſæ.

Quotuplex ſit licentia ſuperioris.

CUM violatio voti in eo ſita ſit, ut ex dictis patet, quòd aliquid accipiatur, donetur, &c. Independenter à nutu ſuperioris: certum eſt, quòd non violetur, ſi adſit licentia ſuperioris legitima. Talis verò licentia eſt quadruplex, ſcil. generalis. ſpecialis; tacita & expreſſa. *Generalis* eſt, quæ datur omnibus in generali. *Specialis* eſt, quæ alicui particulariter conceditur. *Tacita* eſt, quæ etſi expreſsè non habeatur, præſumitur tamen illa adeſſe, vel illam dandam, ſi peteretur. *Expreſſa* eſt, quæ datur expreſsè, id eſt, aliquo ſigno externo, puta verbo aut ſcripto, &c.

Notandum tamen, ad tacitam requiri fundatam præſumptionem, non verò ſufficere inanem & infundatam ſuſpicionem aut opinionem, aliàs cenſeretur eſſe nulla.

Poteſt ſufficere tacita.

Dicendum ergò 1. Etſi ſecuriſſima hîc ſit licentia expreſſa, quæ dum haberi poteſt, maximè expedit eam procurari: tamen ſi illa non ità commodè haberi poſſit, & aliqua neceſſitas urgeat, poteſt ſufficere tacita licentia ſuperioris, ne contra votum paupertatis peccet. Ratio eſt, quòd in moralibus, ſit eadem ratio taciti & expreſſi, uti dicitur cap. 2. *de reſcriptis*. Ut autem ſciatur, quandò prudenter præſumi poſſit adeſſe tacitam licentiam ſuperioris, aſſignant aliqui ſequentes regulas.

Quid eam poſſit fundare.

1. Dum conſtat in ſimili caſu Prælatum facilè licentiam tribuere.

2. Si ſit talis conſuetudo tolerata in eâdem Religione.

3. Si ſubditus de affectu ſui Prælati ergà ſe prudenter præſumens, aliquid accipiat, donet, &c. Quòd eam licentiam ſibi dediſſet, ſi petiviſſet.

Excipiunt tamen alii caſum, quo in aliquâ communitate eſſet lex, ne quis uteretur licentiâ præſumptâ: niſi fortè adeſſet urgens neceſſitas, neque adiri poſſit ſuperior: quo caſu vel lex illa poſſet dici irrationabilis: vel non habere locum: adeoque per Epykiam excuſari. Hoc tamen addo, quòd in uno caſu, etiam quoad quantitatem majorem, magis poſſit præſumi licentia ſuperioris, quàm in alio, v. g. Quoad receptionem, quàm quoad donationem, magis quoad donationem factam huic, quàm alteri, &c.

Licentia debet data eſſe liberè.

Dicendum 2. Licentia illa debet eſſe libera: undè, ſi obtenta ſit dolo, metu aut precibus importunis, cenſetur eſſe nulla, cùm eo caſu, ut ait S. Bern. magis ſit *violentia*, quàm *licentia*. Deinde, non eſt ſatis ad licentiam præſumendam, quòd ſuperior de eâdem rogatus taceat: quamvis enim plerumque juxta commune dictum, qui tacet, conſentire videtur: poſſet præſumi illa licentia: tamen, ſæpè occurrere poſſunt tales circumſtantiæ, in quibus non adeò cenſendus eſt ſuperior conſentire, quàm permittere, quod rogatur: v. g. ſi rogatus ob graves rationes tacet, quæ ſi abeſſent contradiceret: nuda autem permiſſio non excuſat à culpâ.

Licentia ad uſus ſuperfluos eſt nulla.

Dicendum 3. Non poteſt ſuperior dare licentiam expendendi aliqua in uſus ſuperfluos, idque nec validè, nec licitè. Ratio eſt, quòd ſuperiori nulla ſit poteſtas data ad deſtructionem Religionis, qualis eſſet in hoc caſu. Non enim hoc caſu adeò eſſet diſpenſator, quàm diſſipator. Imò tacitè illis ablata eſt poteſtas talis per Conc. Trid. ſeſ. 25. c. 2. de Reg. ſtrictè præcipiens, ne aliquid ſuperfluum ſit in

in Religione. Unde mirum viros alioqui graves in hac re adeò clara, ob aliquas rationes merè quæſitas velle contrarium.

Hinc ſequitur, quòd ſi ſuperior det licentiam Religioſo, expendendi aliqua in generali, cenſeatur ſolùm dare licentiam ad uſus licitos, non vanos, turpes aut ſuperfluos, qualem dare non poteſt.

Dicendum 4. Excuſari quoque poteſt Religioſus à violatione voti paupertatis, per Epyckiam, conſuetudinem & diſpenſationem, uti aliarum legum prævaricationes: quæ tamen ultimatè fundantur in præſumptâ licentiâ. Etſi enim ſubindè injuſtè negare poſſit ſuperior licentiam, poteſt tamen urgenti caſu hîc per Epyckiam Religioſus agere contra voluntatem ſuperioris illius; quatenus eo caſu ipſa æquitas naturalis cenſetur conſentire. Hoc tamen ſollicitè notandum eſt, debere certò conſtare de injuſtitiâ negationis, vel de ſubſiſtentiâ neceſſitatis, ut per Epyckiam excuſentur.

SECTIO XV.

An, & quandò teneatur Religioſus reſtituere ob violatum votum paupertatis Religioſæ.

Dico primò; cum reſtitutio ſit de jure divino naturali, uti alibi probatur, ſequitur quòd Religioſus violando votum paupertatis, & faciendo furtum, teneatur ad reſtitutionem. Sæpè quidem ratione inopiæ ab obligatione illâ excuſari poterit, cùm nihil habet proprii, ubi tamen ex propriis debet fieri reſtitutio. Cùm tamen eo non obſtante de licentiâ ſui ſuperioris poſſit habere aliquos reditus & uſum aliorum, quibus poſſet carere, & iis carendo Monaſterio ſubvenire: ſequitur, quòd eatenus poſſet Religioſus aliqua reſtituere Religioni, v. g. peculium *Quomodo poſſit Religioſus reſtituere.*

lium ſuo uſui conceſſum, in utilitatem Monaſterii convertendo, rebus aliis ad ſuum uſum aliàs conceſſis carendo, &c. Cùm reſtitutio fieri debeat omni modo, quo poſſibilis, &c.

Dicendum 2. ſi dictis modis Religioſus nequeat reſtituère, aſſignant alii varios modos, non quibus ceſſet obligatio reſtituendi, ſed quibus fit reſtitutio in æquivalenti: v.g. ſi Religioſus pro communi bono procuret vel ab amicis, vel àliunde aliqua bona v. g. libros, ornamenta, &c. item, ſi ille, qui aliquid à Religioſo contra paupertatem accepit, tantumdem Religioni reddat ex liberalitate. Denique, ceſſat illa obligatio, ſi ſuperior illam remittat: ſicuti enim ex juſtâ causâ poteſt ſuperior alicui Religioſo aliquid dare ad privatum uſum; ita etiam ex juſtâ causâ poterit illi remittere aliquid illi æquivalens.

Dicendum 3. ſi Religioſus rem mutuò acceptam malè conſumat, tenetur reſtituere illud, quod ſupereſt de ea re, uti & illud, de quo factus eſt ditior, Si verò nihil de illâ re ſuperſit, variant DD. an teneatur illud ſolvere. Varii quidem volunt eo caſu Religionem gaudere privilegio Macedoniano, quod à lege; *& ſequentibus* ff. & C. *Ad Macedonianum*, tale dicitur, quo filiis familias ſic mutuum expendentibus, conceditur non ſolvere: eo quod Religioſus in his, quæ utilitatem Monaſterii concernunt æquiparetur filio-familias, & ſicut ille eſt in poteſtate Patris, ita iſte eſt in poteſtate Prælati. Denique, quod quoad utrumque ſit æqualis ratio, puta ut ita refrænetur avaritia fœneratorum. Alii tamen rectiùs docent, Religioſos non gaudere tali privilegio: cùm ratio ejuſdem ceſſet in Religioſo, ob quam illud datum eſt filiis-familias, puta ne filii machinarentur mortem Patris, ut poſſent ſolvere mutuum conſumptum, quod ceſſat in Religioſo, qui bonis Prælati non ſuccedit. Deinde, etſi eſſet eadem in utriſque ratio, nihil inde poſſet firmiter concludi, cùm in poſiti-

poſitivis non valeat argumentatio à paritate rationis. Adde, hoc privilegium valdè deviare à jure naturæ, quod præcipit ſolvere mutuum: & conſequenter majori jure eſſet reſtringendum, quàm extendendum.

Dicendum 4. ſi depoſitum apud Religioſum pereat, per culpam Religioſi, non tenetur ad illud conventus, idque verum eſt, etſi ad illud habuerit licentiam ſuperioris. Ratio eſt, quod delictum Religioſi particularis non debet præjudicare communitati: aliud eſt, ſi Monaſterium indè factum ſit locupletius, ſi v. g. in illius communitatem illud ſit converſum, quo caſu, ſicuti ſentit commodum, debet & ſentire incommodum. Ipſe verò Religioſus tenetur modo poſſibili illud reſtituere, uti & alias res per injuſtitiam ablatas. Prudenter tamen ob varias inconvenientias ex depoſito naſci ſolitas, in variis Religionibus interdicitur Religioſis habere depoſita, maximè ſine ſcitu ſuperioris.

Religioſus an poſſit fidejubere.

Dicendum 5. Religioſis interdicta eſt fidejuſſio ſine legitimâ licentiâ, adeò ut taliter facta ſit omninò irrita. Primum clarè habet Cap. *penult. de fidejuſſ.* Ratio poſterioris eſt, quod Religioſi nihil habeant proprii, quod fide jubendo alteri obligent: adeoque quod ſine debitâ licentiâ obligant, eſt nullum, eo modo ac ſi quidpiam ſine debitâ licentiâ alteri donarent. Clericis quidem etiam interdicta eſt fidejuſſio, ita tamen ut ſi fide jubeant valeat eorum fidejuſſio, uti ſtatuitur c. 1. & 2. *de fidejuſſ.* tamen alia eſt ratio Clericorum quoad hunc caſum, alia Monachorum: Clericis enim fidejuſſio eſt interdicta pro Laïcis, eo quod illa illorum ſtatum dedeceat: Religioſis verò interdicitur fidejuſſio quæcumque, non quod illa eorum ſtatum dedeceat ſolùm: ſed etiam, quod nihil habeant proprii, quod alteri obligent: quo pacto eſt nulla illorum fidejuſſio.

An contractus Religioſi ſint irriti,

Dicendum 6. etſi Religioſis ſine debitâ licentiâ ſuperioris ſit vetitum contrahere: tamen contractus

ctus ita initi ſunt omninò irriti, quatenus cedunt in præjudicium Monaſterii: quatenus verò cedunt in utilitatem ejus ſunt validi, adeò ut in Monaſterii voluntate ſit, vel eos acceptare vel rejicere. Hoc enim privilegium competit Eccleſiæ, ſicut pupillo, ut contractus ſine debitâ licentiâ cum illâ facti ita claudicent, ut non ſit integrum alteri reſilire, & Eccleſia poſſit vel ſtare vel non ſtare tali contractui. Ita communiter Canoniſtæ. Ex quo deducunt, Religioſum peccare ita contrahendo cum ſæculari, cùm illum ſic contrahendo decipiat, niſi illius privilegii eſſet conſcius, aut ipſe Religioſus ob ignorantiam ejuſdem excuſetur. Supponitur autem Parochos Religioſos habere licentiam ſuperioris ad contrahendum, uti & ad alia beneficii bona licitè & liberè adminiſtranda: niſi contrarium declaraſſet.

Corrolaria. Ex dictis deſumi poteſt, ſi prælatus limites ſuæ adminiſtrationis excedens contrahat obligationem,

1. non teneri Monaſterium, eo quòd eatenus privetur jure adminiſtrandi à communitate conceſſo, neque perſonæ delictum debet præjudicare communitati: Aliud eſſet, ſi communi conſilio capituli & prælati obligatio illa eſſet contracta, quæ in jure nocet Eccleſiæ.

2. Secundò, ſi Prælatus aliqua bona mutuò acceperit, ut illa expendat in uſus vanos, non verò in utilitatem Monaſterii, non teneri Monaſterium. Aliud eſſet, ſi ille accepiſſet ad utilitatem Monaſterii, etſi poſteà mutatâ mente illa vanè expendiſſet: cum ex legitimâ acceptione mutui teneatur Monaſterium, cui præjudicare nequit, quod poſteà Prælatus illa malè expenderit.

3. Tertiò, ſi cuipiam commiſſa ſit aliqua adminiſtratio, & limites illos non excedendo contrahat, teneri Monaſterium obligationi à tali contractæ, cùm cenſeatur ipſum Monaſterium per talem contraxiſſe.

4. Quartò, ſi quiſpiam à Prælato mittatur foras,

vel

vel ad ſtudia, vel aliò, ſi ille in viâ faciat obligationes neceſſarias, teneri Prælatum, qui dando licentiam ad aliquid, cenſetur dare licentiam ad illud, quod ad alterum eſt neceſſarium: aliud eſt, ſi obligatio illa fuiſſet ſuperflua: vel ſi expenſæ ab ipſo Prælato eſſent taxatæ, quas ſi excederet, non teneretur Prælatus, niſi iterum in viâ quid extraordinarii occurreret; vel etiam, niſi quis vel ad ſtudia, vel aliò à ſuperiore miſſus eſſet, eâ conditione, quòd alter daret expenſas neceſſarias.

Ex quibus omnibus patet, quam periculoſum ſæpè ſit cum Religioſis paciſci & contrahere.

SECTIO XVI.

Ad quid teneatur Religioſus vi voti obedientiæ & caſtitatis.

DICENDUM 1. juxta D. Thomam 2. 2. q. 186. art. 8. votum obedientiæ aliis votis ſubſtantialibus Religionis, eſt eminentius, *Quia*, ait, *per votum obedientiæ aliquid majus homo offert Deo, ſcilicet ipſam voluntatem, quæ eſt potior, quam corpus proprium, quod offert homo Deo per continentiam, & quam res exteriores, quas offert homo Deo per votum paupertatis.* Adde, quod votum obedientiæ virtualiter alia vota in ſe contineat, dum qui vovet obedientiam, etiam voveat caſtitatem, & paupertatem, quæ obedientia imponit. Vi hujus voti, tenetur ſubditus obedire Prælato tamquam Deo, juxta illud Apoſtoli: 2. Cor. 5. *Pro Chriſto legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos.*

Votum obedientiæ eſt aliis eminentius.

Dicendum 2. generaliter obedire debet ſubditus ſecundum regulam, & conſtitutiones, ac conſuetudines legitimas ſuæ Religionis. Specialiter tamen alibi modus obediendi determinatur, ut in ſocietate Jeſu conſtit. p. 3. c. 1. dicitur, eſſe obediendum *in om-*

In quibus debet ſubditus obedire.

omnibus quæ non ſunt manifeſtè peccatum. In Regulâ S. Franciſci, *in omnibus, quæ non ſunt contrà animam, & regulam*: Cap. 10. Reg. in Ordine Carmelit. Diſcalt. *in omnibus.* In noſtro promittitur *obedientia perfecta in Chriſto, ſecundùm Evangelium Chriſti, & Regulam S. Auguſtini.* Neque hîc opus eſt, quod illud quod ſuperior præcipit, expreſsè contineatur in Regulâ, aut ſtatutis: ſed ſatis eſt, quod implicitè contineatur; ut puta, quod illud neceſſarium ſit ad regularem obſervantiam, quæ omnia cenſentur eſſe juxtà, vel ſecundùm regulam.

In quibus non tenetur ſubditus obedire. Dicendum 3. non tenetur ſuperiori ſubditus obedire, ſi præcipiat aliquid ſuprà regulam, niſi fortè imponatur in pœnam delicti, aut neceſſarium ſit ad ſervanda vota. Ratio eſt, quod votum obedientiæ emiſſum ad illud ſe non cenſeatur extendere, & poteſtas ſuperioris juxtà regulam ſit limitata, juxtà illud S. Bernardi de diſpenſ. & præcept. *Prælati juſſio, vel prohibitio non prætereat terminos profeſſionis, nec ultra extendi poteſt, nec contrahi citrà. Nihil me Prælatus prohibeat horum, quæ promiſi, nec plus exigat, quam promiſi. Vota mea, nec augeat ſine meâ voluntate, nec minuat ſine neceſſitate.* Ubi nota, in diverſis Religionibus, quædam eſſe ſuprà regulam, quæ in aliis ſunt juxtà regulam, prout aliquid alicujus Ordinis regulam excedit, aut in alio continetur. Sic in noſtro Ordine impoſita animarum cura, eſt juxtà regulam, ut patet ex ſtatutis diſt. 2. c. 23. n. 8. quod in aliis eſt ſuprà regulam. Dicta verò adeo intelligenda ſunt, ut nec Capitulum generale aliquid ſuprà regulam imponere poſſit, niſi omnes illius ordinis in illud conſentiant, dum omnes de novo tangit, quidquid de novo ſupra regulam proponitur. Hoc itidem verum eſt, ſi Religioſi cogerentur vivere juxta primævum Ordinis rigorem, ſi rigor ille per Pontificem fuiſſet mitigatus: ſiç nec nos obligare poſſunt ad perpetuam à carnibus abſtinentiam, eo quod modò pro nobis ſit regula ità legitimè mitigata, ut

talem

talem auſteritatem non contineat. Idem eſt de iis, quæ legitimâ conſuetudine ſunt introducta; ut puta, quæ habeat vim legis; qualis eſt, ſi ſit juſta, nullum ſcandalum pariat; non ſit contra decorem Religionis; quod tolerata ſit diu à ſuperiore; quod à pleriſque obſervetur, &c.

Aliud eſt de eo, quod pravâ conſuetudine in Religione fuerit introductum, vel abrogatum; eo quod profeſſus regulam, cenſeatur eam voviſſe, ut debet obſervari, id eſt integrè, & exactè, non ut corruptam pravâ conſuetudine; quod clarum eſt in profeſſione noſtrâ, ubi vovetur vivere ſecundùm regulam S. Auguſtini, & Evangelium Chriſti.

Dicendum 4. non tenetur quoque ſubditus obedire, ſi ſuperior aliquid præcipiat contrà regulam, ut ſunt ea, quæ vel ſunt contrà præcepta regulæ, vel contrà ſtatuta ad regulæ obſervantiam neceſſaria. Patet ex S. Bernardo ſuprà. Idem eſt, ſi quid jubeat contrà legem Dei, aut Eccleſiæ. 3. Non tenetur obedire in illis, quæ pertinent ad naturam corporis, eo quod ſecundùm ea, homo homini non ſit ſubditus: ſic non poteſt præcipere à cibo abſtinentiam tantam, ut deficiat, &c.

Quid ſi ſubditus de præcepti validitate dubitet.

Dicendum 5. poteſt ſubditus tripliciter eſſe dubius de re præcepta. 1. An ſit præcepta. 2. An ſit juſta, juxta regulam, &c. 3. An ſit lata à legitimo ſuperiore. Si dubitet primo modo, ſi factâ ſufficienti inquiſitione, dubium perſeveret, tenetur opus exequi. Ratio eſt, quod in dubio tutior pars ſit eligenda; tenenda certa, dimittenda incerta, neque periculum ullo modo ſit diligendum. Si dubitet ſecundo modo, tenetur ſubditus obedire, niſi ſit in illis rebus, in quibus ignorantia non excuſat, puta juris naturæ, aut divini. Ratio eſt, quod hîc præſumendum ſit pro ſuperiore, quod omnia adhibuerit, quæ requiſita ſunt ad juſtam legem. Hoc autem caſu, deponi debet dubium practicum, etſi ſpeculativum perſeveret; cum numquam liceat cum conſcien-

ſcientiâ practicè dubiâ operari. Si denique dubitet de authoritate ſuperioris, ſi ſit in pacifica poſſeſſione, tenetur obedire, cum eo caſu ſtet poſſeſſio pro ſuperioris authoritate.

Quomodo intelligi debeat præceptum ſuperioris. Dicendum 6. quando generaliter ſuperior imperat, cenſetur imperare juxtà obligationem regulæ & ſtatutorum, id eſt, ſub pœna, vel ſub culpa. Si verò imperet *ſub virtute S. Obedientiæ, Spiritûs ſancti, in quantum poteſt, &c.* cenſetur velle obligare ſubditum ſub mortali, ſi de cætero materiâ ſit gravis: nec enim poteſt ſuperior obligare graviter in materiâ levi; vide dicta de legibus. Aliud eſt, ſi nolit etiam in materiâ levi non obedire ex contemptu, quia etſi materia hîc levis ſit, nolle tamen ſubjici ſuperiori, ejus legem vilipendere, & contemnere, eſt abſolutè grave, dum directè eſt deſtruere votum obedientiæ.

Porrò, etſi obedientia ſubditorum debeat eſſe in Religione perfectiſſima, tamen ex parte ſuperiorum debet impoſitio præceptorum eſſe moderata, juſta, & regulæ conformis. Hinc communiter notant cum Curſu Salmanticenſi, Doctores, quod multitudo *Nimietas præceptorum vitanda.* præceptorum nimia magis obſit, quam proſit qui nimis emungit, elicit ſanguinem. Arcus nimium diſtentus, facile rumpitur. Nullum violentum perpetuum. Sat legum, ſi leges propriæ rectè obſerventur. Videris hac in lege plurimum peccare Scribarum & Phariſæorum more illos, qui imponunt onera gravia, quæ numquam voluerunt digito movere. Solent etenim indiſciplinati acrius inclamare diſciplinam.

Caſtitas Religioſa. Dicendum 7. ex vi voti caſtitatis, tenetur ſe Religioſus cuſtodire ab omni impudicitia tam interna, quam externa, aliàs ultra vitium luxuriæ, committet peccatum ſacrilegii. Quænam verò ad luxuriæ peccatum pertineant dicetur infra. Hinc etiam Conc. Trid. ſeſ. 25. c. 14. ne fœminam Clerici ſuſpectam ullo modo penes ſe retineant, aut viſitent, &c. verè enim S. Aug. 250. ſerm. *Inter omnia Chriſtiano-*

ſtianorum certamina, ſola duriora ſunt prælia caſtitatis, ubi quotidiana eſt pugna & rara victoria. Nam ut habet l. de Cohab. Clericorum : *Experto crede, expertus loquor, coram Deo non mentior : Cedros libani, duces gregum, ſub hâc peſte cecidiſſe reperi, de quorum caſu non magis ſuſpicabar, quam de Ambroſii vel Hieronymi impudica turpitudine.* Deinde notandum illud S. Bernardi ſerm. 65. in Cantica : *Cum fœmina ſemper eſſe, & non cognoſcere fœminam, nonne plus eſt, quam mortuum ſuſcitare?*

Dicendum 8. cum tota ſtatûs Religioſi conſtitutio debita pendeat à bono rectore, ante omnia opus eſt, ut caput præcedat, in obſervantiâ Religioſâ : longum iter eſt per præcepta, breve & efficax per exempla ait Seneca 7. Epiſt. 6. *Meminiſci debent*, ut ait D. Bern. Epiſt. 201. ad Balduinum Abbatem, *ut voci ſuæ dent vocem virtutis. Quid illud inquis? Ut opera tua verbis concinant, imò verba operibus, ut cures videlicèt prius facere, quam docere. Pulcherrimus ordo eſt, ut onus quod portandum imponis, tu portes prior, & ex te diſcas qualiter oporteat aliis moderari. Alioqui ſubſannabit te ſapiens, utpote pigrum illum, cui labor ſit manum porrigere ad os. Arguet & Apoſtolus dicens : tu qui alios doces, te ipſum non doces? ſed & notaberis vitio Phariſæorum, qui alligant onera gravia & importabilia, & imponunt ea in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea movere. Sermo quidem vivus & efficax exemplum eſt operis : faciens facilè ſuadibile, quod dicitur, dum monſtrat factibile, quod ſuadetur.* Sciant hoc ſapientis Eccl. 12. *Secundùm judicem populi, ſic & miniſtri ejus, & qualis eſt rector civitatis, tales & habitantes in eâ.* Sciant hoc Gregorii in Paſt. ad Caium ſeverum: *Cum majores voluptati deſerviunt, minoribus laſciviæ fræna relaxant.* Et ibidem 3. parte admon. 5. *Prælati ſi perverſa umquam perpetrant, tot mortibus digni ſunt, quot ad ſubditos ſuos perditionis exempla tranſmittunt.* Neque excuſantur illi, eo quòd totum Religionis

Rectoris bonitas eſt bonum Religionis.

Dare debent voci ſuæ vocem virtutis.

onus, ſuperiorum ſubordinatorum humeris impo- nant, nam ut ait Epiſt. 4. S. Damaſcenus: *Pro talibus enim animæ negliguntur, oves pereunt, morbi creſcunt, hæreſes & ſchiſmata prodeunt, Eccleſiæ deſtruuntur, Sacerdotes vitiantur, & reliqua mala proveniunt, quia ii, quibus hanc provinciam demandatis plerumque ut mercenarii, ovium curam nullam gerunt.*

Novitiorum Magiſter. Dicendum 9. cùm verò Sapientiâ teſte, *Adoleſcens juxta viam ſuam ambulans, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea*, tenetur ſuperior in primis ſub gravi peccato providere noviciis de magiſtro noviciorum ad id munus maximè idoneo. Unde ſtatuta Præmonſt. diſp. 1. c. 19. *In deligendo magiſtro magna adhibeatur ſollicitudo, ut is eligatur, qui excellit pietate & ad juventutem diſcretè regendam, pietatem ſollicitè inſtillandam, & ad omnem regularis vitæ perfectionem formandam, ſit commodiſſimus.*

Pietas & Doctrina. Dicendum 10. tenetur ſub gravi culpa ſuperior in Religione non ſolùm promovere pietatem, ſed & doctrinam. Ratio ejus eſt, quòd pietas ſine doctrinâ ſæpè cæcutiat: exemplum ejus præbet Trithemius l. 1. de viris illuſt. benedict. dum ait: *Nihil principes terræ in ordine noſtro venerabantur, niſi vitæ meritum & ſcientiæ doctrinam: quibus neglectis ordo devenit in contemptum; mox enim, ut ſe negotiis ſæcularibus immerſerunt, lectiones ſcripturarum neglexerunt, mutari cepit color diſciplinæ optimus, devotio tota expiravit.* Sciendum eſt quod ait Greg. l. 1. regiſt. *apertè*, ait, *dæmones ſciunt, quia dum literis inſtruimur, in ſpiritualibus adjuvamur: cùm ergo eas nos diſcere diſſuadent, quid aliud, quam ne lanceam aut gladium faciamus, præcavent? à nonnullorum enim cordibus diſcendi deſiderium maligni ſpiritus tollunt, ut & ſæcularia neſciant, & ad ſublimitatem ſpiritualium non pertingant.* Ex quo patet, quòd ii obligentur graviùs ad ſtudia litterarum promovenda, quorum Religio de ſe eſt activa, qui aliorum directioni aliquan-

do

do deſtinantur: ſi ea negligant, pecuniis inhiando eaſque capacitati præponendo, noverint ſe interitûs Religionis præbere cauſam.

SECTIO XVII.

De Juramento.

JURAMENTUM juxta D. Thomam, *eſt invocatio divini nominis ad fidem faciendam, vel promiſſionem ſervandam. Quid enim aliud jurare* quærit, S. Auguſtinus ſerm. 18. de verb. Apoſt. *niſi teſtis eſt mihi Deus?* finis juramenti, ut docet Apoſtolus ad Hæb. 6. eſt omnis controverſiæ finis. Cùm verò ad illud inſufficiens ſit teſtimonium humanum, hinc ad illud requiritur teſtimonium infallibile, puta divinum, quod per juramentum invocatur confirmandæ veritati. Dicitur ſæpe in jure Canonico, & alibi, *Sacramentum*, ob invocationem rei ſacræ, puta nominis divini. Eſt actus latriæ, juxta illud Deut. 6. *Dominum Deum tuum timebis, & ipſi ſoli ſervies, ac per nomen ejus jurabis.* *Quid ſit juramentum.* *Finis juramenti.* *Eſt actus latriæ.*

Cenſetur autem Deus invocari in teſtem, non quaſi in inſtanti miraculosè veritatem debeat confirmare, ſed quod id faciet hîc, vel in futuro. Fit hoc quoque ab eo, qui jurat per falſos Deos, imò & per creatûras, dum illorum teſtimonium imploratur, qui putantur eſſe Deus, aut in quibus putatur eſſe Deus. Unde & S. Aug. ſerm. 28. *Prorſus perjurus es, quia per id, quod ſanctum putas, falſum juras.* Subinde invocatur expreſsè divinum nomen, ſubinde implicitè, prout aliquando ſignis æquivalentibus expreſſæ invocationi invocatur. Unde etiam mutus nutu tactis Evangeliis jurare poteſt. Imò, etiam quis merè internè Deo jurare poterit.

Variè dividi ſolet juramentum, in implicitum, & expreſſum, jux mox dicta. 2. In ſolemne, quod *Diviſiones juramenti.*

 fit

fit debitâ ſolemnitate, & ſimplex, quod ſine illis. 3. Judiciale, quod fit in judicio, & extrajudiciale. 4. In abſolutum & conditionatum. 5. In ſincerum, & doloſum. 6. In ſimplex, & execratorium. 7. Liberum, & coactum. 8. In aſſertorium, & promiſſorium. Quæ diviſiones ex notione ſatis intelliguntur. His poſitis,

Jurare licet. Dicendum 1. Juramentum eſt actus de ſe licitus, neque in S. eloquio alibi damnatus. Eſt de fide contra Anabaptiſtas, & alios. Patet, quia Geneſ. 22. dicitur: *Per memetipſum juravi, dicit Dominus.* Deut. 6. *Dominum Deum tuum timebis, & per Nomen ejus jurabis.* Idem habet ſacer Textus locis plurimis. Item Concilia varia, & unanimis Eccleſiæ ſenſus juramenta recipit. Denique actus ille eſt bonus, cujus origo, & finis eſt bonus: origo enim ejus eſt fides, quâ creditur Deum habere infallibilem veritatem, & omnium providentiam: finis verò eſt omnis controverſiæ finis.

Tacita objectio. Neque obeſt illud Matthæi 5. *Ego autem dico vobis non jurare omninò*; ibi enim ſolùm vetatur juramentum factum ſine neceſſitate, & quantum in nobis eſt, ab eo eſſe abſtinendum, *quod tamen*, ait S. Auguſt. ad Gal. *Multi faciunt, in ore habentes jurationem, tamquam magnum, & ſuave aliquid.* Facilitas ergò, & conſuetudo hîc vetatur, non rectus jurandi uſus. Eodem modo intelligendum eſt, quod ait S. Hieron. in dictum Matthæi locum, *Evangelica veritas non recipit juramentum*, & ſi quid ejuſmodi dicant alii SS. PP.

Quomodo frequentandum. Quamvis autem ſit actus bonus juramentum, non ideo tamen per ſe appetendum eſt, aut frequentandum, ſed in ſola neceſſitate, cùm ſit tamquam medicina, quæ in neceſſitate ſolùm eſt ſumenda: eſt enim juramentum inventum ad ſubveniendum illi defectui, quo unus homo alteri credere renuit. Unde S. Aug. ſermone Domini in monte lib. 1. c. 17. docet in neceſſariis jurationem adhibendam, & non utendum eâ, niſi in neceſſitate.

Dicendum 2. Juramentum aliquando eſt in præcepto, v. g. dum quis publicâ poteſtate ad illud præſtandum adigitur legitimè, item quoties neceſſarium illud eſt proximo, eo graviter indigenti. Habet enim jus ſuperior poteſtas, eo medio procurandi pacem ſubditorum, & eorum lites componendi. Deinde, lex charitatis obligat quemcumque ad ſubveniendum proximo graviter indigenti, dum id ſine ſuo gravi incommodo poteſt, quod ſæpe poteſt jurejurando. *Aliquando eſt præceptum.*

Jure poſitivo requirebatur 1. ut jurans eſſet jejunus cap. *Honeſtum* 22. q. 5. quod ſolùm eſt conſilii, & honeſtum. 2. Ut debito tempore, non in die feſto, niſi pro bono pacis, aut causâ piâ, interdicitur *C. conqueſtus, de feriis.* Idem aliis temporibus inhibetur *C. decrevit* 22. *q.* 5. hoc tamen ultimum in diſſuetudinem abiit. 3. Requiritur, quod perſona poſſit jurare; excluduntur enim 1. perjuri *C. parvuli* 22. *q.* 5. qui enim ſemel pejeravit, præſumitur id facturus ſæpiùs: quod tamen intelligi ſolet de perjuro notorio. Eodem loco excluduntur pueri ante pubertatem: quo tempore necdum eo judicio pollent, ut debita cum reverentia jurare poſſint, ait S. Thom. 2. 2. q. 89. art 10. quæ ratio probat quoque eoſdem non ſolùm adigendos hîc eſſe, quod expreſsè dicit jus: ſed nec ſponte jurantes eſſe admittendos, quod tamen voluit Soto l 8. q. 1. art. 10. ſi tamen admittantur, etſi non faciant plenam fidem, faciunt tamen præſumptionem. *Quid ad juramentum requiratur.*

Interdicitur inſuper juramentum Sacerdotibus leviori de cauſa, *C. ſi quis presbyter* 2. *q.* 5. quo caſu, ait D. Thom. loco cit. dedecet Sacerdoti fidem non haberi id ſimpliciter aſſerenti. Licet tamen illis in neceſſitate gravi. Imò, ſi pro ſua cauſa litiget, poteſt ab eo peti juramentum calumniæ, quod tamen facere debent de licentia ſui ſuperioris. Demùm Sacerdos jurans, non debet ſacra tangere, ſed ſatis eſt ſi juret manu pectori admotâ, in cauſis tamen

gravioribus etiam ſolent ſacra tangere.

Comites juramenti. Dicendum 3. Ad hoc, ut juramentum licitè fiat, requiruntur 3. comites requiſiti Jeremiæ 4. *jurabis, vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in juſtitia.* *Veritas* hîc requiſita in eo ſita eſt, ut in juramento aſſertorio jurans credat id verum eſſe, quod jurando aſſerit: in promiſſorio, ut adſit animus implendi id, quod promittit, & res promiſſa ſuo tempore adimpleatur. Ex quo etiam colligere eſt diſcrimen inter ſimplicem aſſertionem, & juramentum promiſſorium, quod ad illius veritatem ſatis ſit, quod intentionem habeat quid adimplendi, etſi poſt mutatâ voluntate id non impleat, quo caſu nec erit ideò mendax: ad promiſſorium autem inſuper requiritur, ut res promiſſa impleatur.

Quid veritas hîc.

Juſtitia. *Juſtitia* in eo ſita eſt, ut actus jurandi ſit juſtus, & rectus, adeò ut id, quod juratur ſit bonum, non ſit majoris boni impeditivum, non indifferens, non vergens in malum.

Judicium. *Judicium* in eo conſiſtit, ut diſcretè juretur, id eſt, ut nemo juret, niſi legitimâ causâ: quod veritas non poſſit aliâ viâ legitimâ comprobari: ne patentiſſimam veritatem, aut dubia quis juret: ut non niſi prævio de veritate examine juretur; denique, ut juretur cum debita Divini nominis reverentia.

Ex dictis inferri poteſt, 1. mortale eſſe jurare falſum, etiam in exigua materia, neque excuſare hîc, niſi indeliberationem. Graviſſima enim eſt injuria Deo irrogata, Deum vocare in teſtem falſi. Unde rectè damnata hæc ab Innoc. XI. num. 24. *Vocare Deum in teſtem mendacii levis non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.* Nec hîc quid prodeſſe poteſt finis bonus: imò neque ex eo, quod joci causâ id juretur, ex quo potius gravitas creſcit, quam ſi id fieret ſeriò, dum unà eſt vanum. Ita D. Th. q. 98. art. 3.

2. mortale eſt jurare rem dubiam tamquam certam,

tam, vel è contra certam tamquam dubiam, ubi apertè juratur falſum.

3. Ad veritatem generaliter requiri, quod jurans bonâ fide credat rem ita ſe habere, ſicuti jurando aſſerit, ad quod ſatis eſt, quod moraliter de ea re ſit certus, ad quod præmitti oportet pro conditione rei diligens veritatis indagatio. Hinc volunt alii hîc ſatis eſſe, quod quis rem aliquam audierit à fide digno; quamvis in judicio non admitti ſoleant teſtes ex auditu, nec ſemiplenè probent.

4. Si quis falſum juret credens bonâ fide id eſſe verum, non peccat, nec niſi materialiter mentitur, dum jurat juxta mentem ſuam. Aliud eſſet, ſi non adhibuiſſet debitam diligentiam in perquirenda rei veritate, erit vel veniale, vel mortale pro ratione negligentiæ commiſſæ.

5. Mortaliter peccat, qui non habens animum implendi promiſſum, jurat ſe quidpiam eſſe facturum, cùm hîc deſit veritas hîc requiſita, jurans ſe habere animum adimplendi, quem verè non habet. Imò, mortale eſt id jurare cum animo dubio, cùm deſit certa veritas, ſicut dum quis in affirmatorio juret rem dubiam. Unde hîc requiritur animus firmus adimplendi promiſſa, quâ ratione mortaliter peccat jurans aliquid facturum, credens fore, quod id facere non poterit.

6. Defectu juſtitiæ peccat mortaliter promittens juramento rem mortaliter malam, dum ſub mortali tenetur efficere contrarium, & gravis Deo infertur injuria eum vocando in teſtem tanti criminis. Quod etiam locum habet, ſive habeat animum implendi, ſive non: ſi enim habeat, militat ratio jam dicta: ſi non habeat, erit juramentum mendax, ſine veritate. Jurans verò ſe facturum peccatum veniale, peccat venialiter, ſemel ob propoſitum venialiter malum, ſemel propter defectum juſtitiæ, qui tamen non eſt graviter Deo injurioſus juxta varios. Idem cenſent, ſi quis juret ſe non ſer-

vaturum conſilia Evangelica, quia Deus eadem non præcepit: alii tamen meritò cenſent eſſe mortale, ſi ſit de re gravi, v. g. de non ingrediendo religionem. Si tamen in his juramentis deſit animus exequendi, aut jurandi, erit mortale perjurium: unde rectè damnata eſt hæc ab Innoc. XI. *Cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.*

7. Defectu judicii peccatur in juramento pro negligentia, & defectu diſcretionis adhibendæ. Cùm verò defectus judicii maximè obſervetur in conſuetudine jurandi, multis obviâ, hinc ſit.

SECTIO XVIII.

De Conſuetudine jurandi.

MORTIFERA *jurandi conſuetudo*, ut ait S. Auguſtinus ſerm. 116. inter novos, non eſt per ſe peccatum diſtinctum ab ipſis jurandi actibus: vel enim ipſa eſt habitus jurandi, vel ipſi actus jurandi ſæpe repetiti. Quatenus tamen ex ea incurritur morale periculum perjurii, conſtituit negligentem in ea eradicanda mortaliter culpabilem. Unde rectè Soto de abuſu juram. c. 12. *quamvis propoſitum cavendi à multiloquio, & ab aliis venialibus culpis, non ſit ad ſalutem neceſſarium: tamen propoſitum cavendi ab aſſuetudine jurandi illi etiam neceſſarium eſt, qui non eſt vitio mentiendi corruptus. Nam ſicut multiloquio periculum conflatur mentiendi venialiter: ita in frequentatione jurandi, periculum exiſtit mentiendi cum juramento, quod ſemper eſt mortale. Qui amat periculum, peribit in illo.* Pro quo N. velle hunc Doctorem cum aliis multis, conſuetudinem jurandi, etiam mortalem eſſe in eo, qui non habet conſuetudinem mentiendi, ex qua ratione alii volunt eam jurandi conſuetudinem ſolummodò eſſe mortaliter

Quæ, & qualis conſuetudo jurandi ſit mortalis.

ma-

malam, eo quod talis non cenſeatur eſſe in morali, & proximo periculo pejerandi, ſed ſi pejeret, id erit merè per accidens. Ita Valentia 22. diſp. 6. q. 7. punct. 3.

Dicendum tamen 1. Conſuetudo jurandi, quâ fit, ut omninò indeliberatè juretur, non conſtituit hominem jurantem in peccato mortali: taliter jurat, qui ſtuduit eam extirpare pro viribus, & interim ex ea ex obreptione contingit jurare.

2. Qui ex ea conſuetudine jurat, ſufficienter attendens ad rei juratæ veritatem, non conſtituit hominem in ſtatu peccati mortalis, neque omiſſio ejus extirpandæ eſt mortalis. Ratio eſt, quod hîc ſolummodò ſit defectus judicii diſcretionis, neque de cætero adeſt periculum proximum pejerandi. Et hîc volunt idem eſſe, ſive talis ſolitus ſit mentiri, necne; ſi de cætero ſatis advertat, ne pejeret, idque ob eaſdem rationes: etſi fatendum ſit, eum aliquouſque periculo pejerandi eſſe proximiorem.

3. Conſuetudo jurandi indiſcriminatim, ſive verum, ſive falſum, conſtituit hominem in ſtatu peccati mortalis, & omiſſio ejus extirpandi, eſt mortalis. Ratio eſt, quod conſtituat hominem in periculo proximo, & morali committendi plurima perjuria.

4. Conſuetudo jurandi inadvertenter circa rei veritatem, conſtituit ſic aſſuetum in ſtatu mortalis peccati: & tenetur eam ſub mortali extirpare. Ratio eſt eadem, dum non ſoleat jurando advertere, an verum ſit, an falſum; & ſi fortè ſit verum, quod jurat, id caſu accidet, & præter jurantis intentionem; cùm æquè ſe habeat conſuetudo ſic jurandi ad falſitatem, ac ad veritatem. Idem eſt de conſuetudine jurandi abſque advertentia, an juretur, nec ne, idque etiam ob eamdem rationem.

Ex dictis collige, 1. quod ille teneatur ſub mortali talem conſuetudinem extirpare. 2. Quod niſi id ſedulò ſtudeat exequi, non eſſe abſolvendum, eo

eo quod ſit in periculo morali proximo peccati mortalis, juxta dicenda de abſolutione conſuetudinariorum, de pœnit.

Dicendum 2. non omnia tamen juramenta ex tali conſuetudine provenientia ſunt peccata mortalia: nîl enim obſtat, quo minus poſſit ille, qui habet talem conſuetudinem, rectè & honeſtè jurare, puta in judicio. Deinde, poteſt fieri, ut juramentum aliquod inadvertenter prodeat ex aliqua paſſione, aut affectu ad rem aliquam, non verò ex tali mala conſuetudine, quo caſu conſuetudo nihil conferet ad juramentum.

SECTIO XIX.

De Obligatione Juramenti Promiſſorii.

Juramentum promiſſorium, de quo antea, eſt quaſi lex privata, quam homo ſibi ipſi imponit ad aliquid exequendum invocatâ fide divini nominis, prout etiam eſt votum, de quo etiam antea. Obligatio autem ejus de ſe eſt mortalis, de quo poſtea.

Juramentum de opere malo, eſt nullum.

Dicendum hîc 1. generaliter juramentum de faciendo opere malo, ſive mortaliter, ſive venialiter, nullam parit obligationem. Non enim juramentum eſſe poteſt vinculum iniquitatis, nec eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum. Reg. 58. in 6. è contra, in jure dicitur, juramentum ſervandum eſſe, niſi vergat in interitum ſalutis æternæ, quod non tantùm de mortalibus intelligi debet, ſed & de venialibus, quæ de ſe ad mortale diſponunt, & ab æterna ſalute arcent, quamdiu durant.

Poteſt interim juramentum illicitum verè obligare, v. g. ſi prodigè fuerit emiſſum, ſine ſufficienti cauſa. Aliud ergo eſt juramentum illicitum, aliud juramentum de re illicita, quod numquam obligat, juxta mox dicta.

Di-

Dicendum 2. Juramentum promiſſorium de re planè indifferenti, niſi ex circumſtantiis cohoneſtetur, non obligat. Talis enim actio manet otioſa & vana, adeoque & mala. Aliud eſt, ſi ob circumſtantiam adjunctam cohoneſtetur, ut alibi dictum eſt de materia voti. Si verò juramentum tale, aut etiam de re aliàs illicita, poſtea fiat licita, non tamen ideo convaleſcit juramentum, dum non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit. Reg. 18. in 6. *Item de re indifferenti ut tali.*

Dicendum 3. Juramentum promiſſorium factum ad honorem ſolius Dei, de opere minus bono, vel ab initio nullum eſt, vel in promittentis eſt voluntate mutare illud in opus excellentius. Sequitur enim juramentum hoc naturam voti, quod eatenus ſolùm obligat, quatenus poteſt vovens illud opus minus bonum in aliud melius commutare. Imò, ſi juramentum tale mutetur in manifeſtè melius, cenſetur Deus, in cujus gratiam juraſti, remittere obligationem priorem: maximè, cùm tale juramentum, æquè ac votum annexam habeat eam conditionem, *niſi ad majorem Dei gloriam præſtet aliud melius exequi.* *Quale juramentum poſſit mutari in melius.*

Aliud hîc eſt, ſi juramentum promiſſorium factum ſit in gratiam alterius de re cæteroqui honeſta, quod obligat, nec poteſt in aliud, etiamſi melius commutari, cum præjudicio promiſſarii, illud enim ei debetur ex juſtitia, aut ſaltem ex fidelitate, & juramentum ſervandum eſt, quotieſcumque ſervari poteſt ſine diſpendio ſalutis. Excipe tamen, niſi juramentum factum his, quæ pertinent ad ſtatum perfectionis, repugnet; dum omnia juramenta hanc tacitam conditionem annexam habeant, *niſi contingat promittentem amplecti ſtatum perfectiorem.* Unde ſponſalia, etiam jurata non obligant, quò minus intrare poſſit religionem.

Dicendum 4. In omni juramento promiſſorio ſubintelligendæ ſunt hæ conditiones, *ſi potero,* quia *Conditiones in juramento promiſſorio ſubintellectæ.*

quia ad impoſſibile nemo tenetur: Vide, quæ dicta ſunt de materia voti, quæ hîc accommoda. Item ſubintelligitur, *ſalvâ authoritate ſuperioris*, qui juſta de cauſa poteſt in eo diſpenſare. Item, *niſi promiſſarius obligationem remittat*, ſi id factum ſit in gratiam hominis: quia, ut ait D. Th. 2. 2. q. 89. art. 9. ad. 2. *Ille, cui promittitur, non poteſt abſolvere promittentem, quia promiſſio non eſt facta ei principaliter, ſed Deo.* Subintelligitur itidem, *ſi res in eodem ſtatu permaneant*, eo quod jurantis intentio ad aliud moraliter objectum præſumitur ſeſe non extendiſſe. Ratio horum omnium eſt, quod juramentum adjunctum contractui, aut promiſſioni, induat conditionem, & naturam eorumdem.

Quomodo juramenta ſint interpretanda. Dicendum 5. Omne juramentum promiſſorium in dubio ſtrictè eſt interpretandum, idque propter gravitatem obligationis, & enormitatem perjurii. Hinc deduces 1. quod juramentum de ſervandis ſtatutis alicujus Collegii, debeat intelligi de editis tantùm, non itidem de edendis, niſi & illud de jurantis intentione conſtet. Hoc tamen intelligi dixero, de ſtatutis non neceſſariis ad obſervantiam regulæ principalis. 2. Juramentum factum circa materiam juris, debet limitari juxta limites juris: v. g. Clericus juravit reſidentiam: poterit ille abeſſe, prout illi jus permittit abeſſe. Tertiò, juramentum factum à parentibus, quod caſtigabunt pueros, famulos, &c. communiter non obligant: tum, quod non ſoleat fieri, niſi ex paſſione, aut animo vindictæ: tum, quod ſæpe illud mutent in melius, puta in omiſſionem illius: tum denique, quod cenſeatur eſſe comminatorium, cum hac tacita conditione, *niſi te emendaveris*. Idem dic quartò de juramentis præſtitis urbânitatis causâ, v. g. dum quis jurat ſe non intraturum primò, tum quod habeant ea juramenta hanc tacitam conditionem, *quantum in me eſt, non faciam*: tum, quod cùm illud juramentum fiat in honorem, & favorem alterius, poſſit

poſſit alter illius obligationem remittere, & alter remittere cenſetur eo ipſo, quo urget alium priùs intrare.

5. Juramentum de ſervandis legibus Collegii, de privilegiis ejuſdem manutenendis, &c. intelligitur juxta intentionem legiſlatoris, loci conſuetudinem, & communem intepretationem.

6. Juramentum de ſervando ſecreto, intelligitur quatenus materia ſecretum poſtulat. v. g. Si ſit neceſſe evulgari ad bonum communitatis, &c.

7. Juramentum, quo jurant miniſtri publici, ſe contentos fore ſtipendio taxato, item mercatores, piſtores jurantes ſe ſervaturos taxationem ponderis, pretii, &c. intelligi debet, ſi taxatio fuerit juſta.

8. Juramenta Miniſtrorum vectigalium, cuſtodum ſylvarum, &c. de obviandis defraudationibus, de vaſtationibus, &c. intelligitur de defraudationibus alicujus momenti, dum de minimis non curet Prætor.

SECTIO XX.

De Obligatione juramenti injuriâ extorti.

Divus Thomas de eo juramento ita hîc ait q. 89. art. 7. ad 3. *in juramento, quod quis coactus facit, duplex eſt obligatio; una quidem, quâ obligatur homini, cui aliquid promittit: & talis obligatio tollitur per coactionem, quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promiſſum non ſervetur. Alia autem eſt obligatio, quâ quis Deo obligatur, ut impleat, quod per nomen ejus promiſit, & talis obligatio non tollitur in foro conſcientiæ: quia magis debet damnum temporale ſuſtinere, quàm juramentum violare .... Romani autem Pontifices ab hujuſmodi juramentis homines abſolverunt, non quaſi decernentes hujuſmodi juramenta non eſſe obligatoria; ſed quaſi hujuſmodi obligationes ex juſta cauſa relaxantes.*

Di-

Juramentum ex gravi metu validum eſt in foro conſcientiæ.

Dicendum 1. Ex hac Doctoris doctrina habetur juramentum gravi etiam metu incuſſum, valere in foro conſcientiæ. Ratio eſt, quod habeat omnes conditiones boni juramenti, puta veritatem, &c. & de cætero ſervari poteſt ſine diſpendio ſalutis; quale juramentum ſemper eſt obſervandum. Adde, quod Pontifices ſemper à ſimilibus juramentis homines abſolverint; non abſolverent verò, niſi antea fuiſſent ligati. Nec refert quod promiſſio vi extorta non teneat jure naturæ ſecundùm varios, uti nec tale votum: eo quod in juramento ob reverentiam divini nominis invocati in teſtem, ſit quid ſpeciale. Hinc, etſi jura poſitiva irritent ſimiles promiſſiones, excipere plerumque ſolent juratas.

Objectiones.

Objicies varia juris capt. ubi dicitur, eá, quæ vi, vel metu fiunt, carere omni robore firmitatis. Cap. *Ad audientiam.* Cap. *utrum*, dicitur non eſſe tamquam pro mortali puniendos, qui juramenta vi extortâ non ſervant. Et Cap. *Pervenit.* Dicitur Epiſcopum, qui compulſus juraverat, quod ſibi ablata non repeteret nullius juramenti vinculis eſſe conſtrictum. Reſp. In primo Capitulo expreſsè dicitur, quod ea, quæ ſic fiunt, carere debeant, &c. non quod ipſo facto ſic careant, unde & per Pontificem ſolvuntur. In ſecundo Capitulo ſatis indicatur, eos teneri juramento, dum ibidem dicitur: *ut agatur conſultius, & auferatur materia pejerandi, non eis ita expreſsè dicatur, ut juramenta non ſervent:* ex quo apparet, ſufficienter eos pejerare, qui nullam habentes abſolutionem à juramento tali, illud non ſervant. Ex quo etiam illud habetur, quod dicta abſolutio non ſolùm detur ad cautelam, ut volunt aliqui, ſed ad veram obligationis ceſſationem. Quod autem dicitur, eos non eſſe tamquam pro mortali puniendos, intelligi debet in foro externo. Ad ultimum Reſp. Epiſcopum illum nullius juramenti vinculis eſſe conſtrictum quoad irrevocabilitatem, cum obtentâ abſolutione repetere poterat, quod

quod promiſerat: etſi eâ non obtentâ juramento teneretur.

Dicendum 2. ſi juramentum dolo, vel errore factum ſit, non tenet, dum error fuit circa ſubſtantiam rei, eo quod deſit conſenſus jurantis circa talem rem: v.g. quis jurat ſe daturum rem, quam tenet in manu, putans eſſe quadrantem, ubi eſt aurum. Si verò error ſolùm ſit circa accidens rei, tenet juramentum, ſi error non det cauſam promiſſioni: ſi verò det cauſam promiſſioni, non tenet defectu conſenſûs requiſiti, conformiter ad ea, quæ diximus de voto ex errore facto.

SECTIO XXI.

De Juramento doloſo, ficto, &c.

Juramentum doloſum eſt, dum quis fingit ſe jurare animo non jurans, aut ſine animo obligandi, aut longè alio ſenſu, quam putet is; cui jurat. Et permagnæ utilitatis illa eſt quæſtio, ait Malderus tract. 10. cap. 6. dub. 7. & multis difficultatibus in conſcientiæ foro decidendis opportuna, & admodum difficilis, an ſit hîc judicandum pro intentione jurantis, an verò pro intentione ejus, cui juratur. *Quid ſit juramentum doloſum.*

Dicendum 1. qui fingit exteriùs ſe jurare abſque animo jurandi, ſi legitimè ſub juramento rogetur, mortaliter peccat; tum, quia abutitur juramento, tum, quod alium fraudet ſuo jure. Cùm verò illud juramentum non ſit validum, non tenetur quidem vi juramenti, ſervare id, quod promiſit; ſi tamen ſit periculum damni, aut ſcandali, omninò ſervandum erit, dum tenetur jurans illa evitare. Si verò ad jurandum hîc eſſet impulſus, etſi alium non privet ſuo jure, tamen peccat mentiendo, & ſimulando ſe jurare, ubi reverà non jurat, & conſequen-

ſequenter aſſumendo in vanum nomen Domini.

Qui vult jurare, non ſe obligare, an teneatur juramento.

Dicendum 2. Si quis velit jurare, non tamen velit ſe obligare, verius dicitur, non teneri juramento, juxta dicta de voto, dum non vult efficaciter obligari, implicitè revocat intentionem jurandi, adeoque magis ſimulat ſe jurare, quam reverà juret maximè, dum ſcitur omne juramentum obligare, quo caſu non videtur priorem intentionem jurandi fuiſſe efficacem. Contrarium tamen cum Wiggers cenſent multi valde probabiliter. Talis interim ſimulando peccat graviter, & in foro externo compelletur ſervare juramentum: deinde, etſi non vi juramenti, tamen ratione damni, aut ſcandali vitandi ſæpe obligari poterit ad illud ſervandum.

Dicendum 3. Si quis juret animo jurandi, & ſe obligandi, nolens tamen promiſſa implere, reverà jurat, ſed ob defectum veritatis de præſenti, juxta ante dicta, graviter peccat, dum vocat Deum in teſtem ejus veritatis, quam non habet in corde.

Debet jurare ad mentem interrogantis.

Dicendum 4. Generaliter rogatus, & jurans, jurare debet ad mentem interrogantis, nec poteſt per reſtrictionem purè mentalem jurare ad mentem ſuam privatam. Ratio eſt, quia reſtrictio purè mentalis, eſt purum mendacium, quod probabo in decurſu. Deinde, dum ſic juratur, intercedit dolus ex parte jurantis, quod numquam licet, juxta illud pſ. 23. *qui non jurat in dolo proximo ſuo.* Unde Iſidorus cap. *quâcumque* 22. q. 5. *quâcumque arte verborum quis juret, Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicut ille, cui juratur, intelligit. Dupliciter autem reus fit, quia & Dei nomen in vanum aſſumit, & proximum dolo capit.* Et Gerſon tract. de cognit. pec. conſid. 14. *accipitur*, ait, *juramentum ad intentionem ejus, cui fit, & ſecundùm uſum communem intelligendi: quia, qui arte jurat falſum, arte pejerat.* Unde & rectè Sylvius q. 89. art. 7. concl. 7. *Si talem*, ait, *jurandi modum admitteremus, tamquam licitum, nulla erit inter homines fidelitas, nulla*

nulla ſocietas, nec ullum poterit tutò fieri juramentum cum hoſtibus. Rectè ergo condemnavit hanc ſequentem ſententiam Innoc. XI. num. 26. *Si quis, vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propriâ ſponte, ſive recreationis causâ, ſive quocumque alio fine jures ſe non feciſſe aliquid, quod reverà fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverà non mentitur, nec eſt perjurus.* Videri poterit Proſper Fagnanus in 1. p. lib. 5. Decret. c. *Falſidicus, de crimine falſi*, ubi num. 56. rejectis multis reſtrictionum mentalium modis, & patronis, ita ſcribit: *Ego verius puto, hujuſmodi implicitas ſubauditiones non excuſare ſic jurantes à culpa mortali: & hanc eſſe pernicioſam cautelam ad mentiendum, & pejerandum in ſtragem animarum.*

Objiciet tamen aliquis Cap. *Humanæ aures* 22. q. 5. ubi dicitur: *humanæ aures verba noſtra talia judicant, qualia foris ſonant. Divina verò judicia tales eſſe audiunt, qualia ex intimis proferuntur.* Et Cap. *hominis* 22. q. 2. *nec linguam ream facit, niſi rea mens.* Reſp. Illis Capitulis retorqueri poſſe Capitulum *Quacumque*, ſupra ex Iſidoro allatum. Unde dico cum eodem laudato Authore num. 76. quod Iſidorus intelligendus ſit de doloſo juratore, qualis eſt omnis ille, qui jurat cum reſtrictione purè mentali. Cap. verò *Humanæ aures* intelligendum eſt de jurante bonâ fide, quo caſu verba accipiuntur, ut foris ſonant, & Deum talia audire, ut ex intentione proferuntur.

Dicendum 3. Qui illegitimè cogitur jurare, poteſt uti verbis ambiguis, & ea in alio ſenſu accipere, quam accipiat ille, qui cogit ita jurare, modo illa verba ex uſu, & modo loquendi habeant tales plures ſenſus. Nulli enim hîc fit injuria, nec ulla deceptio. Vide Fagnanum num. 129. aliàs non eſt eadem ratio, ſi juridicè interrogetur, etſi etiam adſit aliqua cauſa, quando ad mentem interrogan-

tis reſpondendum eſſe ante comprobavimus. Una de rurſum meritò damnata eſt hæc num. 27. ibid, *Cauſa juſta utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet virtutis actum; ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.*

Juramenta ſenatorum. Ex dictis quoque colligi poſſet, non licere ſine perjurio volentibus magiſtratui intereſſe, præſtari juramentum, quod pro eo obtinendo, nec directè, nec indirectè aliquid dederint: ſi interim antea, vel muneribus, vel ſympoſiis, vel pecuniis votum flagitaverint, vel per ſe vel per ſuos id flagitari permiſerint, quaſi Princeps eo juramento ſolummodo vetaret, tali viâ ad Magiſtratum promoveri indignos, dum Princeps abſolutè inhibet, ne ſimili viâ ad Magiſtratum adſcendant, ſive digni, ſive indigni, ſicuti abſolutè etiam inhibet munera à ſuis accipere, ſive à dignis, ſive ab indignis. Videri poterit Eximius D. Sinnich in ſuo Saule Exrege l. 1. c. 105. §. 396. ubi formam juramenti à talibus præſtari ſolitam adfert, & ſimul ad quæſtionem dictam, reſolutionem Acad. Lov, adeo ut rectè hæc addatur aliis condemnatis num. 28. *Qui mediante commendatione, vel munere ad Magiſtratum, vel officium publicum promotus eſt: poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.*

SECTIO XXII.

An liceat exigere Juramentum ab eo, qui creditur non rectè juraturus.

DICENDUM primò, Poteſt privatus petere juramentum, etſi ſciat alium pejeraturum, dummodo habeat cauſam rationabilem, puta ad jus ſuum tuendum. Tali enim caſu non cenſetur moraliter loquendo alium impellere ad pejerandum, ſed ſolum exigit id, ad quod habet jus, & quod alter poteſt bene præſtare, ſi velit: quod autem id malè faciat, id imputandum eſt ejus malitiæ, non verò alterius petitioni. Aliud eſſet, ſi non adeſſet cauſa ſufficiens, quo caſu cenſeretur petens manum alterius impellere in ſpirituale ſui homicidium, ut alibi loquitur S. Auguſt. *Poteſt id Privatus juſta de cauſa.*

Idem poterit & judex, ſi pars, aut officii ratio id poſtulet, dum non debet deſiſtere ab ordine juſtitiæ ob alterius fortè pejerantis malitiam: nec Judex debet eſſe injuſtus, ne teſtis ſit perjurus. Addunt tamen rectè hîc plurimi, quod Judex, ſi commodè poſſit, debeat eum à perjurio deterrere. *Item Judex.*

Quæres, quid dicendum hîc de iis, qui exigunt juramenta Magiſtratûs jam ante dicta: videntur enim hi determinatè exigere juramentum falſum regulariter. Reſp. Wiggers dub. 15. num. 157. quod pro honore Dei, & bono publico rectè facerent, qui ſimiles, de quibus conſtaret, eos illum ambiviſſe, arcerent, tam à juramento, quam officio. Illi tamen, qui talia juramenta excipiunt, non exigunt propriè, ſed ſolum proponunt ea, quæ de lege juranda ſunt ab illis: quod ſi contra fecerint, remanere poſſunt ex reverentiâ ſacramenti. Idem dicendum dicit idem Author de iis, qui *Exceptio juramenti ſenatorum.*

excipiunt juramenta ab illis, qui jurant ſervare leges communitatum, inter quas tamen ſcitur, multas non obſervari.

Licet petere juramentum ab eo, qui ſcitur juraturum per falſos Deos.

Dicendum 2. Licitum eſt petere juramentum ab eo, qui eſt juraturus per falſos Deos. Docet id S. Auguſt. Epiſt. 154. ſic & Machabæi à Romanis exegêre juramentum in confœderatione, quos per falſos Deos juraſſe credit Orat. 22. q. 1. cap. *Movet.* non tamen determinatè licet petere, ut juret per falſos Deos, quod eſt directè alterum impellere in malum, & illi conſentire.

Judæorum juramenta.

Notant verò hic ſollicitè, Judæos non eſſe facile id jurandum admittendos, niſi manu admotâ ad legem Moyſis, aliàs enim putant juramento ſe non teneri. Hinc variis in locis, ubi permittuntur inter Chriſtianos, hanc cum illis jurandi formam obſervant, ut manu ſuâ legem Moyſis tangentes jurent. Aliì ad cautelam hoc addunt, quod in feſto expiationis abſolvi ſoleant à ſuis Rabinis ab omnibus votis, ac juramentis malitioſè factis: in cujus fraudem, non adeo verentur jurare falſum, maximè in præjudicium Chriſtianorum.

SECTIO XXIII.

Quomodo tolli poſſit obligatio juramenti.

Valde conſimilis eſt deſitio obligationis in voto, & in juramento: unde ſicuti per dominativam poteſtatem vota irritari poſſunt, ita & juramenta, ſi jurantis voluntas voluntati ſuperioris ſit ſubjecta. Sic in juramento promiſſorio poterit fieri relaxatio, ſi promiſſio ſit Deo facta, cum illud non ſit aliud, quàm votum juratum, in quo cum poſſit fieri talis irritatio, poterit eadem fieri in adjecto juramento, quod ſequitur naturam voti, & emiſſum eſt cum hâc tacitâ conditione, *ſalvo jure ſuperioris.*

Quomodo irritetur.

Imò

Imò juramentum in gratiam hominis factum irritari poteſt, ſi ſit in materiâ irritantis diſpoſitioni ſubjectâ: Sic Papa poteſt irritare omnia vota in materia ejus diſpoſitioni ſubjecta. Ratio eſt eadem, quæ mox data eſt, quod adſit hæc tacita conditio, *ſalvo jure ſuperioris.*

Quicumque habet facultatem irritandi, diſpenſandi, aut commutandi vota, poterit eâ facultate uti, etſi illa ſint jurata: Ratio eſt, quod votum, non obſtante juramento, maneat verè votum, adeòque ejus obligatio tolli poteſt ab habente poteſtatem auferendi: quâ obligatione ſublatâ, corruit obligatio juramenti, quæ obligationi voto ſolummodo eſt acceſſoria. Hinc etiam in jure vota, & juramenta pia ſolent æquiparari. Sic ficuti ſunt quædam vota Pontifici reſervata, ita & juramenta eorumdem cenſentur illi eſſe reſervata.

Quomodo tollatur juramentum promiſſorium

Juramentum tamen promiſſorium in proximi gratiam emiſſum, ordinariè non poteſt tolli ſine ejus conſenſu: eo quod tali juramento jus homini ſit acquiſitum, quo proinde, ſicuti aliis bonis privari nequit. Dico *ordinariè*, quia aliud eſt, ſi exigat commune bonum fieri irritationem, quod privato bono debet prævalere. Deinde, niſi hoc fiat in pœnam criminis. Inſuper ratione injuriæ juranti illatæ, v g. ſi gravi metu ad jurandum ſit compulſus. Denique, quando eſt dubium, ſitne id, quod juraſti licitum, aut illicitum, proficuum, vel noxium, poterit quilibet Epiſcopus in eo diſpenſare, ait S. Th. qu. 89. art. 9.

An poteſtas civilis poſſit tollere obligationem juramenti,

Quæres, an poteſtas civilis poſſit etiam juramenta relaxare, maximè, dum adeſt juſta cauſa, v. g. quia metu extorta. Reſp. aliqui, quod non, eo quòd videatur eſſe poteſtatis Eccleſiaſticæ vice Dei juramenti vinculum relaxare, ſicuti in voto. Pro quo N. diverſam eſſe rationem diſpenſandi in votis, & diſpenſandi in juramentis: non enim hîc aufert materiam juramenti, ſicuti aufert materiam voti, obliga-

tionem ejus remittendo, cum nec ipſe Deus id poſſit remittere, dum efficere non poſſit, ut non tenearis eum non facere teſtem falſi: ſed eam aufert, exercendo ſuam poteſtatem diſpenſans magis circa rem ipſam, quam circa obligationem juramenti, puta reddendo ſuâ lege opus illud illicitum, vice alterius, cui juratum eſt, illud condonando ſuâ authoritate, &c. hâc ratione alii docent, civilem poteſtatem indirectè poſſe relaxare juramenta. Addit Zypæus notit. tit. de reſtit. in integ. quod, etſi reſtitutio adverſus contractum juratum in Gallia, etiam à ſæcularibus concedatur: religioſis tamen nos adhuc ad Eccleſiam ad effectum agendi recurramus, ac deinde litteras Regias reſtitutionis in integrum impetramus.

Ad diſpenſandum in juramento requiritur cauſa rationabilis. Nulla interim hic tenet diſpenſatio data ſine cauſâ rationabili, alioqui diſpenſantes, & diſpenſationibus utentes graviter peccabunt: illud quoad vota aſſerit Sylvius q. 88. art. 11. concl. 4. qui illud idem aſſerit hic de juramento. Ratio eſt, quod diſpenſator votorum, & juramentorum, gerat hic vicem Chriſti, qui ſine ratione diſpenſationem, vel aliud quidpiam petentibus reſpondet, *neſcitis, quid petatis.* Deinde, ait, poteſtas Prælatorum in ædificationem data eſt, non in deſtructionem, eſſet autem in deſtructionem, ſi abſque ullâ ratione poſſent pro libitu illâ uti. Unde Card. Bellarm. admonit. ad Nepotem ita ſcribit: *Sciendum eſt, Pontificum diſpenſationem, quando non adeſt juſta cauſa diſpenſandi valere in foro fori, ſed non in foro poli, ut apertè docet S. Thomas.*

CAPUT

CAPUT DUODECIMUM.

De Superſtitionibus.

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex ſit ſuperſtitio.

RESTAT agendum jam de vitiis religioni oppoſitis. Vitia verò per defectum illi oppoſita, ſunt illa, quibus, aut Deo, aut Sanctis non datur cultus debitus, prout eſt Atheiſmus, infidelitas, Politiciſmus, negatio providentiæ divinæ. Eodem vitio peccant, qui vix, aut numquam de Deo cogitant, vix Deum amant, aut timent, rerum ſacrarum contaminatores omnes, ſacrilegi, Simoniaci, &c.

Quid ſuperſtitio. His annumeratur ſuperſtitio, quæ *eſt cultus vitioſus veri, aut falſi numinis*. Hanc S. Thomas docet religioni oppoſitam per exceſſum, unde & *ſuperſtitio* eſt dicta: non quod divinum numen nimium poſſit coli, cum quantum potes, tantum aude, quia major omni laude, nec laudare ſufficis: ſed quia adhibet Deo cultum, vel quem non debet, vel eo modo, quo non debet, vel illi, cui non debet. Hinc ſub ſe continet diverſa, ſcilicet ſuperſtitionem divinatoriam, vanam obſervantiam, magiam, maleficium, Idololatriam.

Quid Idololatria. Dicendum 1. Idololatria eſt ſuperſtitio, quâ adhibetur illi cultus, cui non debet adhiberi; unde illud, quod adoratur vocatur *Idolum*. Impropriè ſumi ſolet pro omni peccato mortali, in quo creatura ponitur finis ultimus ſimpliciter, dum præ cæteris colitur, quod præ cæteris diligitur. Sic avaritia dici-

tur *Idolorum ſervitus* Epheſ. 5. & guloſi Deus venter dicitur Philip. 3. ſolet alibi inobedientia erga Deum dici quoque Idololatria, dum voluntas hominis voluntati divinæ præponitur.

Diviſio Idololatriæ. Idololatria eſt duplex tacita, & expreſſa, prout tacitè, vel expreſsè cultus ille adhibetur. Cenſetur eſſe tacita, quotieſcumque fit pactum occultum cum dæmone, quo pacto ſub ſe comprehendit magiam, divinationem, maleficium, & vanam obſervantiam. Dum enim pactum tale cum dæmone initur, tacitè profitentur, à dæmone poſſe effectum expectari, qui à ſolo Deo eſt expectandus, & conſequenter adhibetur dæmoni cultus Deo debitus, in quo ſita eſt ratio Idololatriæ.

Idololatria eſt peccatum mortale admodum grave, & crimen læſæ Majeſtatis divinæ, directè repugnans honori ſoli Deo debito. Sapientiæ 14. dicitur omnis mali initium, & finis. Ejus gravitas colligitur ex pœnis Idololatrarum in S. eloquio obviis, & pœnis in jure latis.

Divinatio. Dicendum 2. Superſtitio divinatoria eſt, quâ quis mediis planè inutilibus futura contingentia libera, vel res occultas prædicit: aut vult cognoſcere. Ubi notandum, non ſtatim eſſe judicandum eſſe divinatoriam, dum quis modo illicito vult aliquid occultum cognoſcere, ut dum Act. 1. Diſcipuli voluerunt cognoſcere tempora, & momenta, quæ Pater poſuit in ſuâ poteſtate. Notandum ulterius pro ſequentium intelligentiâ, media hîc adhibenda tunc cenſeri inutilia, quando, nec ex natura ſua, nec ex ordinatione divinâ, aliquam virtutem habent ad effectum. Solet quoque divinationi adhærere Idololatria expreſſa, ut quando expectando talium cognitionem à dæmone, eumdem honorat cultu Deo debito, Sacrificando v. g. idem eſt de blaſphemia, quando ob eum finem Deum abjurant, dæmoni ſe devovent, &c.

Notandum ultimò, varia eſſe, quæ dæmones cognoſ-

cognoſcere poſſunt, & itidem varia, quæ cognoſcere non poſſunt. Et in primis cognoſcere poſſunt omnia, quæ ab homine facta ſunt, aut fiunt, niſi à Deo impediantur, uti fuit virginitas Mariæ: juxtà S. Ignatium Mart. 2. non poteſt cognoſcere cogitationes hominum, *tu ſolus noſti corda hominum* 2. Paralip. 6. 3. Non poteſt cognóſcere futura contingentia libera, pendentia à voluntate Dei, aut hominum, quod quis ſit electus, quod aliquid volet, aget, &c. Idem eſt de iis, quæ non habent aliquam cauſam determinatam, v. g. quod quis poſt multos annos tali horâ interficietur. Poteſt tamen cognoſcere ea, quæ habent cauſam determinatam naturalem & neceſſariam, v. g. eclypſes ſolis, pluvias, inundationes. Idem eſt, ſi quæ ab homine pendeant, tamen habent neceſſariam connexionem cum cauſa naturali, quam noſcit; ſic poteſt ſcire, quod quis æger ſit moriturus, ex eo, quod cognoſcat vim morbi. Denique, etſi multa prædicere nequeat, multa tamen etiam probabiliter conjicit, dum ob perſpicaciam ingenii, & longævam experientiam, poteſt ex hominum paſſionibus veroſimiliter ſcire, quid ſint facturi. *Quæ poſſint cognoſcere dæmones.*

SECTIO II.

De variis ſpeciebus divinatoriis.

Divinatio, in qua expreſsè dæmon invocatur, dividi poteſt in præſtigium, divinationem per ſomnia, Necromantiam, Pythonicam, Geomantiam, Hydromantiam, Acromantiam, Pyromantiam, Aruſpicium; prout per præſtigium dæmon præſtringit oculos, vel aures, & futura prædicit, de qua latius de Magia. Secunda eſt, quando illa notitia expectatur in ſomno. Tertia eſt, quando quibuſdam ſignis, videntur mortui reſurgere *Quotuplex divinatio.*

gere, & homines docere. Quarta eſt, quando dæmon id agit, per homines arreptitios. Quinta quando id fit ex ſignis in metallo, ligno, &c. Sexta, quando per ſigna in aquis; ſeptima, per ſigna in aëre: octava quando per ſigna in igne; nona quando ex avibus quæritur prædicta notitia. His poſitis.

Divinatio per ſomnia. Dicendum 1. Divinatio per ſomnia, non ſemper eſt illicita, v. g. quando de re aliqua in ſomnis fit revelatio divina; vel quando ſomnia procedunt à cauſa naturali, quo tamen caſu ſunt ſæpè falſa: *multos errare fecerunt ſomnia.* Eccli. 34 poſſunt etiam ex ſomniis quædam colligi de morbis, & complexione, maximè dum ſomnia proveniunt ex temperamento corporis, v. g. quando ſanguinolenti ſolent ſomniare roſas, choreas, amplexus, & læta omnia: Plegmatici mare, aquas, navigationes, naufragia, &c. Colerici, rixas, incendia: Melancholici denique, caligines, fumos, mortes, & omnia triſtia. Quibus adde illos, qui viſcido humore obſtrictas habentes poſteriores cerebri partes, videntur in ſomniis comprimi, latinè *morbus incubus*, Belgicè *de mare*, Gallicè, *la coquemare.* De illis, & ſimilibus licitum erit aliqua conjecturare.

Aliud eſt de contigentibus liberis, quæ nullo modo à ſimilibus ſomniis dependent, ex quibus eadem prædicere, aut velle prænoſcere, eſt ſuperſtitioſum. De his dicitur Levitici 19. *Non augurabimini nec obſervabitis ſomnia.* Minor fides inſuper erit adhibenda, ſi à dæmone ſomnia immittantur. Rectè de ſomniis Bleſenſis Epiſt. 65. *Ut fidem habeam ſomniis; nulla me ſomnia inducent.... nam ſicut per experientiam didici, ex eâ viſione, quæ mihi gaudium quandoque nuntiaverat, poſtea contrarium reportavi. Somnia itaque ne cures amice chariſſime.*

Aeromantia. Dicendum 2. *Aeromantia* dividi ſolet in judiciariam, & naturalem. *Naturalis* eſt, quando ex inſpectio-

ſpectione cælorum, conjunctione ſtellarum, prædicimus tales effectus, qui naturaliter exinde ſolent cauſari. Sic dici ſolet, cœlum veſperi rubet, ergo cras erit ſerenum, luna rubet, ergo cras flabit ventus, &c. Secundò, ex conſtellatione ſyderum in nativitate pueri, licitum eſt conjecturare de temperamento pueri, & ex eo conſecutivè de inclinatione ejuſdem: volunt enim ſolem, & ſtellas influere in hominem natum, ſicut in alia viventia dixi *conjecturare*, quia prædicere certò ex horoſcopo prædicta ad judiciariam ſpectet. Tertiò, ex horoſcopo prædicere de moribus, ac fortuna pueri nati, damnatum eſt à Sixto V. bulla *Cæli, & terræ*, &c. quales etiam aſtronomos feriunt leges civiles, æquè ac Canonicæ. Et quamvis forrè ſimilia per ſe non eſſent ſuperſtitioſa, illis tamen nimium ſubinde fidendo, proceditur ad pactum aliquod cum diabolo, curioſitatis patrono, & fautore. Huc referri poteſt, ſi quis certò ex Cometa caudatò velit prædicere eventum futurum: quamquam enim Deus ſubindè ſignis de cælo futura prædixerit, ut quando 2. Mach. 5. apparuerunt equites in aëre dimicantes: tamen id ſemper ex talibus ſignis colligere, ſeclusâ divinâ ordinatione; eſt prorſus illicitum. Nec quidquam hîc objici poterit, Genetliacos illos, ſæpè vera prædicere: nam ut ex S. Auguſtino lib. 2. doct. Chriſt. c. 22. notat Delrio l. 4. c. 3. q. 1. ſimiles, dum vera dicunt, cautius ſunt ſequendi, dum illud indicat, eos cum dæmone pactos fuiſſe; quod ſæpè à Deo permittitur ob eorum curioſitatem. Addit dictus Author, quod ſi non ſuperſtitioſi, ſaltem noxii ſint ægrotis illi Medici, & Chirurgi, qui juxta ſtellarum ſitum volunt curare ægros, & regere, quod ipſe Galenus contempſit.

Dicendum 3. *Geomantiæ* uſus ſubinde eſt licitus, dum ex metallis, arboribus, elementis, conjecturare poſſumus effectus communiter annexos. Sic *Geomantia.*

ex

ex ſono campanulæ alibi in Italiâ, & Galliis conjectari licet alterius mortem: ex inundatione maris, & terræ motu, peſtes ſecuturas, & alia plura, quæ ſolet obſervare Ruſtica, & nautica diſciplina.

Phyſiognomia. Huic obſervantiæ annexa eſt *Phyſiognomia*, ex facie, capillo, colore, de moribus hominum dijudicans: & *Chyromantia*, id prædicens ex manibus. Potiſſimum innititur Phyſiognomia in ſimilitudine cum animantibus: ſic qui parvis ſunt oculis, dicuntur invidi, quia ſimiæ ſunt tales. Qui magnis, dicuntur ſtupidi, quia Bos, & Aſinus ſunt tales. Unde etiam illud Iſaiæ 3. *Agnitio vultus eorum reſpondebit eis*. Quibus poſitis, ſi phyſiognomia ſiſtat merè in ratione naturali, ſubinde erit probabilis. Imo & Judices eam ſequuntur aliquando, dum plures ejuſdem noxæ ſunt torturæ ſubjiciendi, quando facie magis tetrâ primò eidem ſubjiciunt, tanquam qui ſoleat aliis eſſe nocentior. Velle tamen aliquid certò hîc prædicere, aut etiam, quod merè dependeat à causâ naturali, erit ſuperſtitio divinatoria.

Quod verò hîc ad Egyptias (ut vocant) attinet, notant experientiâ Authores, eſſe hominum genus furtis fæminarum victitans, in peregrinatione natum, otio deditum, nullâ religione vivens, etſi pueros ſinant baptizari, ruſticis graves, anus divinatrices, & divinando fures: ſæpe quoque malefici ſunt, prout patet ex eo, quod quando quis unicum eis nummum dedit, inveniantur eò, omnes alios crumenæ nummos commigraſſe. Hinc mirum eſt, id hominum genus alibi tolerari. Variis edictis è ſuis ditionibus coërcitum fuit à Regibus Hiſpaniæ, de quibus agit Zypæus Juris Pontif. l. 5. de ſortilegiis.

Sectio III.

De Sortilegiis.

Sortes ſunt triplicis generis. *Diviſoriæ*, dum per illas inquiritur, quid cuiquam ſit dividendum. *Conſultoriæ*, quando per eas indagamus, quid ſit agendum. *Divinatoriæ*, dum per eas inquiritur, quid ſit futurum. *Diviſio ſortium.*

Dicendum 1. Sortes diviſoriæ de ſe ſunt licitæ, niſi aliunde eſſet periculum injuriæ, ut quando ſorte dividerentur beneficia Eccleſiaſtica, quæ non ſorte, ſed pro meritis ſunt diſtribuenda. Hinc talis diviſio interdicitur cap. *quia propter*, de elect. ſortes conſultoriæ, ac divinatoriæ, niſi adhibeantur ex inſtinctu divino, ſunt illicitæ. Ratio eſt, quod conſultorias ita adhibere, ſit Deum tentare, & eæ facilè degenerant in divinatorias, quibus aliunde, quam à Deo expectatur acquiſitio veritatis occultæ. *Sortes diviſoriæ.* *Conſultoria ac divinatoria.*

Porrò; ut diviſoriæ ſint licitæ, requiritur 1. ut eventus expectetur à Deo, non à caſu, vel fortunâ, *In manibus tuis ſunt ſortes meæ* Pſ. 30. 2. abeſſe debet omnis ſuperſtitio, abuſus rei Sacræ. 3. Ut ſortientes nitantur æquali jure. 4. Ut adſit bona intentio, ut finiantur lites, quærelæ, invidiæ, &c. juxta illud Prov. 18. *Contradictiones comprimit ſors.* Sic ſorte dividi ſæpè ſolent hæreditates, pœnæ, &c.

SECTIO IV.

De Magiâ.

Quid magia, & quotuplex.

MAGIA generaliter, ſignificat ſcientiam efficiendi magna, ſive mirabilia. Eſt duplex licita, & illicita, ſive dæmoniaca. Licita eſt, quæ habetur per artem medicam, phyſicam, Mathematicam: Hinc ſubinde Medici expertiſſimi, & Mathematici, habiti ſunt pro magis, uti fertur de Galeno. Hanc ſubdividunt in naturalem, & artificialem, prout illa ſcientia, comparata eſt naturâ; vel induſtriâ. Has tamen non nimium colendâs eſſe, notant Authores, dum dæmon curioſis, ſe ſolet immiſcere.

Dæmoniaca Magia eſt, quando illa mira fiunt ope dæmonis: unde illa ſemper includit pactum aliquod cum dæmone. Hanc, ab artificiali diſtinguere, eſt facillimum, oſtensâ ſcilicet arte, quâ fiunt mirabilia: à naturali autem diſtinguere, eſt difficilius, dum dæmon ſuas artes ſæpè occultat, ſub ſpecie virtutis naturalis. Pro quo tamen ſolent tradere has regulas: quod, ſi mira illa fiant per applicationem rei naturalis, cui talis vis ineſſe poteſt, etſi nos lateat, poſſit præſumi eſſe naturalis Si verò id fiat per applicationem rerum inutilium; aut etiam opus ſit inanibus cæremoniis, & obſervantiis, res erit omninò ſuſpecta.

Pactum cum dæmone.

Pactum verò, quod in Magia dæmoniaca ſemper intercedit, eſt duplex, tacitum, & expreſſum.

Expreſſum.

Expreſſum eſt, quando expreſsè initur tale pactum cum dæmone. Eſtque triplex, 1. quod fit cum aliqua ſolemnitate ipſi dæmoni apparenti, ſtipato teſtibus, &c. 2. Quod quidem immediatè fit dæmoni, ſed ſine aliqua ſolemnitate. 3. Quod fit dæmoni quidem, ſed non immediatè, ſed per perſonam inter-

interpoſitam, puta magum, ſagam; &c. notant Authores ex ſagarum confeſſionibus, quod quando fit pactum expreſſum, ſoleant comitari graviſſima ſcelera, ut abjuratio Dei, blaſphemiæ in Sanctos, in S. Euchariſtiam, ſacrilegia, &c. ad quæ ſe dæmon viciſſim obligat, ut poſitis certis ſignis à ſe datis, aſſiſtet, & mira operabitur. Ex quibus patet, ſagas & magos quoad dicta à Confeſſariis neceſſariò eſſe interrogandos, dum plurima eorum habere poſſint cenſuram annexam.

Pactum implicitum fit 2. modis. 1. Quando quis ſciens, & volens utitur ſignis magicis; undecumque eadem acceperit, vel invenerit. 2. Dum quis illis ſignis utitur ignoranter, putans eadem non eſſe mala. Hoc pactum, ait Delrio l. 2. q. 4. in Idiotis, vel nullum, vel exiguum eſt peccatum, maximè ſi duæ conditiones accedant. 1. Ut ignorantia illa non ſit vincibilis, dum illud ſcire potuerunt, & debuerunt. 2. Ut ignorans admonitus, paratus ſit ea relinquere. *Implicitum.*

Pactum verò aliquod interceſſiſſe cum dæmone colligi poterit. 1. Ex eo, quod opera excedant vim naturæ. 2. Si adhibeantur verba ignota, falſa, abſurda, non cohærentia, Sacra, ſed detorta ad alienos ſenſus, item ſi adhibeantur certæ figuræ, characteres, iteratæ cruces, aliqua quæ omninò ad effectum non pertinent. 3. Si efficacia operis attribuatur certis ritibus, aut obſervantiis vanis ad effectum, v. g. quod id fieri debeat, tali die, horâ, numero, colore, &c. ubi hoc notandum eſt, quod dicti ritus adhiberi debeant in ordine ad ponendum effectum, quia ſi caſu adhibeantur, vel etiam ad excitandam majorem devotionem, non ſunt cenſendi vani, aut ſuperflui, qua ratione excuſari ſolent ii, qui ad templum S. Cornelii, vel Antonii jumenta aliquoties circumducunt; interea precantes pro majori jumentorum incolumitate. Idem eſt, ſi eadem de cauſa ex primo nummo oblato in Paraſceve, fiat annulus.

An opera magica ſint vera. Quæres, an opera magica, vera ſint, prout apparent. Reſp. etſi ſæpius diabolus perſtringere ſoleat oculos, & ſenſibus illudere, aliquando tamen etiam veros effectus poteſt producere cum magis. Ut autem veros effectus, ab apparentibus ſecernere poſſis, obſervari poteſt ſequens regula: Si effectus magicus dæmonis potentiam ſuperet, quia ſcilicet ſoli Deo eſt proprius, cenſendus erit præſtigiatorius: ſi verò non conſtet effectum eſſe ſuperiorem viribus dæmonum, res erit planè dubia, & debet recurri ad circumſtantias. Hoc interim certum eſt, quod dæmon non poſſit facere vera miracula, quia alias inefficaciter probarent illa, noſtram fidem; unde dicitur Joan. 3. *Nemo poteſt hæc ſigna facere, niſi fuerit Deus cum illo.* Dicitur tamen ſæpè miracula facere, ſumendo miracula latè pro rebus miris, de quo dicitur Job. 41. quod non ſit poteſtas ei ſimilis ſuper terram. Deinde, etiam certum eſt, non poſſe dæmonem quidquam facere, quod ſuperet vim naturæ, v. g. creare, ſiſtere curſus ſiderum, &c. poteſt tamen excitare terræ motus, immiſſis vehementibus ſpiritibus cavernis terræ, eoſque agitando. Poteſt ſedare, & excitare tempeſtates, fulgura, grandines, & in quoſlibet agros immittere: patuit hoc in filiis Job, Egyptiis, immiſſas eſſe grandines per angelos malos. Unde docent nautas alibi à magis emere ventum.

Quæ poſſit dæmon facere.

Circa bona fortunæ. Poſſunt itidem nocere bonis fortunæ, v. g. jumenta veneno occidendo, eo perforando, ſegetes devaſtando, domos comburendo; imo alienæ famæ nocere poſſunt, perſonam ſimilem alibi ſubſtituendo, qui nefas aliquid perpetraret: occulta aliorum crimina revelando. Poſſunt captivos è carcere liberare, alios evehere ad honores, divitias, &c.

Circa hominis animam. Circà animam hominis, poteſt Dœmon movere ſenſus hominis interiores, per motionem ſpirituum, & humorum, ut imaginetur homo ſe videre

re

re, quod minimè videt. Ad hanc imaginationem cauſari poterit cognitio correſpondens, & conſequenter volitio ſimilis. Hinc Deus ſpecialiter cavit Job. 1. *Verumtamen animam ejus ſerva.*

Quæres 2. an animæ defunctorum poſſint ope Dœmonis apparere. Reſp. quod ſubinde ope Dei appareant, contra hæreticos eſt indubitatum, uti patuit in Moyſe Matth. 17. Si verò Deus id Dæmoni permitteret, nil obſtare videtur, quo minus id non poſſet. Per ſe tamen id non poteſt, eo quod ſanctorum animæ ſint in manu Dei: reproborum verò, non poſſunt inferno exire, niſi juſſu Dei. Aliud eſt de ſpectris, quæ Dæmon exhibet, v. g. Virgines Albas in Sylvis & pratis cantantes, quas vocant *Albas nymphas*, aut *bonas dominas*, alii *Wittewyven.* Idem eſt de ſpectris illis, quæ de nocte ſolent excitare tumultus in domo; de Pygmæis, qui domeſtica opera obeunt; Flandricè *Kaboutermannekens*: Gallicè, *des gobeiins.* Idem eſt de illis, qui cuſtodiunt theſauros. *Apparitio ſpectrorum.*

Quæres 3. Quid dicendum ſit de ſuccubis, & incubis. Reſp. non ſolùm id fieri præſtigioſè, ſed etiam verè, aſſumente diabolo corpus aliquod ex aëre factum, quo mediante actum carnalem poterit exercere. S. Auguſtinus lib. 15. de civit. 23. ait, impudens hoc negare. Poteſt enim Dæmon tale corpus calefacere, movere, & ſemen aliunde acceptum emittere. An verò inde puer naſci poſſit, eſt controverſia. Alii negant ex eo, quod impoſſibile videatur, ſemen prolificum ita in ſuo vigore conſervare. Deinde, experientiâ ſagarum ſemen illud eſt planè frigidum, adeoque ſterile. Addunt alii, videri abſonum, quod Deus vellet tali nefario congreſſui animam rationalem infundere. Quibus tamen non obſtantibus, communius alii affirmant, eo quod Dæmon ſuâ ſagacitate poſſit ſemen illud ita conſervare in ſuo vigore. Quod autem ſemper ſit frigidum, falſum dicunt ex *Succubi, & incubi.*

Digitized by Google

variarum confeſſione. Denique, Deus hîc ſequitur naturæ curſum, prouti in concubitu ſcelerato. Imo talem puerum fuiſſe Lutherum, docent plurimi. Dicta verò intellige, de Incubo Dæmone, quia ſuccubus cum viro, non videtur poſſe conceptionis officium ritè imitari, ſemen viri concipiendo, fœtum menſtruis nutriendo, &c.

Sagarum tranſlationes. Quæres 4. quid dicendum ſit, de tranſlationibus ſagarum, & magorum ad ſuas congregationes. Reſp. etſi alii velint, has tranſlationes eſſe tantùm apparentes, ſæpè tamen veras eſſe, conſtat ex ſagarum confeſſionibus, & exemplis, quod medio loco elapſæ ſint apprehenſæ, quorum exempla habet Del Rio l. 2. q. 16. Deinde, nihil obſtare videtur, quo minus poſſit Dæmon corpus aſſumens, eoſdem movere, quo cupit.

Aliud eſt, juxtà eumdem Authorem de Lycantropis, vulgò *Weerwolven*, quod non verè, ſed tantùm apparenter transformentur in lupos, ſed quod Dæmon aliis ſoporatis, faciat alibi effectus, quos putat alter ſe feciſſe: vel quod exuvias lupi eis circumdet, quales exuvias ex magorum confeſſione alibi invenerunt abſconſas: vel etiam figuram lupi ex aëre magis circumdando. Et quamvis transformatio illa non ſit vera, veri tamen ſunt effectus, quos faciunt.

SECTIO V.

De vanâ obſervantiâ.

Quotupliciter poſſit fieri vana obſervantia. Vana *obſervantia* eſt, quæ ex vanis, & inutilibus ſignis certos effectus certò, & infallibiliter expectat. Conſiſtit autem hæc vana obſervantia in practicâ expectatione effectus, ex talibus ſignis, ubi divinatio ſpeculativè præſcit, & enuntiat futuros eventus. Fieri poteſt variis modis, prout poterit

rit vanè expectari aliquod bonum, v. g. rebus externis, animalibus, frugibus: ſi illud expectetur corpori, v. g. non occidi, vulnerari: vel etiam ſi quid tale expectetur animæ, ut ſcientia, aut etiam quidpiam ſupernaturale v. g. remiſſio peccatorum per geſtationem Evangelii S. Joannis, &c.

Vana obſervantia dignoſci poteſt, ex eo, quod conſtet rem, cui effectus tribuitur, neque ex ſe, neque ex divinâ inſtitutione habere talem vim. Item ſi adhibeantur certæ ceremoniæ, aut circumſtantiæ inutiles, de quibus antea dictum eſt, agendo de pacto implicito, & de quibus agit S. Aug. l. 2. doct. Chriſt. cap. 20. *Undenam poſſit dignoſci.*

Vana obſervantia obſervatur in notandis temporibus, juxtà illud:

Clara dies Pauli bona tempora denotat anni.

Hanc vocant alii ſuperſtitionem *annuam*, *menſtruam*, *diariam*: huc referri poſſunt, ſi quis certo die olera ſcopis tangat, ne illis noceant beſtiæ. Si qui putent aquam benedictam poſt 4. tempora diebus dominicis majorem vim habere. Qui ova paraſceves conſervant, tamquam bona ad extinguendum ignem, ſi illi injiciantur.

Evenit quoque ſæpè vana obſervantia in ſanandis morbis. 1. Si ad curationem morbi eleemoſynam faciant ex bonis mendicatis. Qui ad hoc offerunt candelam mixtis ægri capillis. Qui faciunt ligaturas, ne lac vaccis ſubſtrahatur: qui per annulum deſponſationis aquam mittunt, ne maleficio vexentur. Qui loculo obituario apponunt ſpergulam, ſive Polygalum vulgò *ſpeurie-ſaet*, ſi mortuus ſit hydropiſi, ne conſanguinei eodem morbo corripiantur. Huc referri poſſunt variæ orationes ad ſanandum adhiberi ſolitæ, quæ nec ab eccleſiâ ad hoc ſunt inſtitutæ: neque quidquam faciunt ad excitandam devotionem in ordine ad talem effectum.

Alia hic eſt obſervantia futurorum eventuum, divinationi conjuncta, dum quis ex vanis ſignis futu- *Obſervantia futurorum eventuum.*

futuros effectus infallibiliter cognoſcit, aut obſervat, v. g. quando quis lævo pede è lecto non vult ſurgere, ne malus ei dies ſuccedat. Qui die Veneris non vult ungues præſcindere. Qui ex pictitatione picæ, corvi crocitatione, &c. malum aliquod certò impendens obſervat. Qui projiciunt in aquam, ſtatuam ſancti alicujus, ut pluat. Qui Feſto S. Joannis, aut Matthiæ hæderas colligunt, ut ſciant, cui debeant nubere. Qui puerum recenter natum equo imponunt, ut fiat auriga generoſus, nec equos reformidet. Qui ſecundina pulli equini nati, quercui ſuſpendunt, ut pullus bene accreſcat. Qui capita equorum, ſtabulorum tectis imponunt, ne peſtis, aut morbus beſtias corrumpat, &c.

Ritus aliqui ab Eccleſia tolerati. Solùm hic eſt difficultas in aliquibus cæremoniis in Eccleſia obſervari ſolitis, an eæ ſint ab omni ſuperſtitione excuſandæ. Præcipuæ in Belgio hæ ſunt: Pro rabie curanda vadunt ad reliquias S. Huberti, quibus prohibetur reſpicere ſpecula, à certis cibis abſtinere. Pro curandis apoſteumatibus, vadunt ad S. Quirinum: in Feſto S. Nicolai aperiunt equorum venas: Ex primo nummo oblato crucifixo in paraſceve, curant fabrefieri annulum contra contractiones nervorum: ad Templa S. Cornelii, Eligii & Antonii jumenta aliquoties circumducunt. Ad quæ reſpondeo talia non ita ſtatim ſuperſtitionis eſſe condemnanda: Nam multa ejuſmodi tacitè approbat Eccleſia, dum eadem obſervare probè novit, & non contradicit: Poſſunt enim habere ex intentione Eccleſiæ, ſacram quandam ſignificationem tales actus, ac ſimul aliquando cum effectu naturalem connexionem v. g. quod rabidi à certo cibo abſtineant, quod ſpecula prohibeantur aſpicere, ne imaginatio eorum fortius moveatur. Imò certæ cæremoniæ S. Huberti dicuntur ab Eccleſia examinatæ & approbatæ. Hoc tamen fatendum eſt, multa in ſimilibus cæremoniis ſubrepſiſſe ex negligentia Paſtorum, & vanitate vulgi, quæ vanam obſer-

van-

vantiam ſapiunt, & ſæpè ab Eccleſia ignorantur: Unde Paſtores ſingulariter ad hoc vitium invigilare debent, cùm in communi populo ſit ſatis frequens & familiare, ut experientia docet.

SECTIO VI.

De Maleficio.

M*aleficium* eſt, quando magus, vel ſaga ad poſitionem alicujus ſigni ope dæmonis nocet, vel nocere intendit, idque ex quodam pacto. Aliud eſt *ſomnificum*, ſeu *ſoporiferum*, cum alicui ſomnos immittunt, ut noceant, affixis ſubinde candelis manûs mortuæ digitis. Aliud eſt *amatorium*, quando dæmon poſitis certis ſignis affectus hominis mirè inflammat ad odium phyltris, aut aliis ad amorem libidinoſum, qui vocatur Baruch 6. *Spiritus fornicationis.* Aliud eſt *veneficium*, quando dæmon poſitis certis ſignis alicui perſonæ nocet eum corrumpendo, occidendo, &c. ſic poſſunt reddere difficiles mulieris partus: partum in utero opprimere, &c. de maleficio ligaminis ſatis conſtat, ad quod evitandum plurimi clanculò, aut ante diem petunt contrahere, de quo agitur de matrimonio. *Quid maleficium.* *Quotuplex.*

Quæres an, & quomodo liceat tollere maleficium. Reſp. In primis non licet maleficium tollere alio maleficio, nec enim ſunt facienda mala, ut eveniant bona. Unde S. Chryſoſt. Homil. 8. in Coloſſ. *Citius mors homini Chriſtiano eſt ſubeunda, quam vita ligaturis redimenda.* Locum illud quoque habet, etſi magus ad illud eſſet paratus, dum illud equidem hîc, & nunc non faceret, niſi ab alio inductus, adeoque efficaciter petens concurrit ad maleficium. *An liceat tollere maleficium.*

2. Poteſt à mago peti, ut modo licito maleficium tollat, ſi probabiliter credam, quod id licitè facere poſſit. Hoc enim eſt ſolummodo uti ſuo jure, &

magum inducere ad id, quod bene poteſt, ac tenetur facere, nullo modo ejus peccato conſentiendo, aut ejus pacto. Ad hoc autem eo caſu etiam verberibus, ſaltem levibus adigi poteſt, quia infligere graviora ſpectat ad judicem. Alii cum Cajetano volunt, debere hîc proteſtari petentem, ſe nullo modo velle conſentire alterius pacto, aut peccato; imo etiam ad ſecuritatem prævie petendum eſſe, quo medio maleficium tollet, & ſi nolit id dicere, præſumendum ſit, eum non facturum, niſi novo maleficio.

3. Poteſt quis ſigna maleficii deſtruere, ut maleficium ceſſet. Eſt communis Theologorum ſententia, & etiam Academiæ Lovan. teſte Maldero. Contrarium tenet Heſſelius & Eſtius in 4. diſt. 34. rationibus eorum poſtea fiet ſatis. Probatur autem 1. noſtra opinio, eo quod, qui deſtruit maleficii ſigna, maleficio non coöperetur, nec aſſocietur dæmoni, ſed illi potius contrariatur, prout ille, qui idolotytum in cloacam dejicit. Hinc etiam in S. Scripturâ jubetur, & commendatur evertere templa dæmoniorum, libros magicos comburere. 2. Malefico pœnitenti injungendum eſt, ut ſigna magica tollat, & deſtruat. Ergo idem poteſt fieri ab alio. 3. Licet tollere maleficos, quid nî & maleficia? 4. Malefici malè faciunt talia ſigna ponendo, ergo bene facit eadem tollens. Denique licet declinare locum, ubi eſt timor maleficii; ergo etiam tollere maleficii ſigna.

Argumenta contraria. Objicies 1. effectus ille, puta ſanitas, expectatur à dæmone: miſcet enim ille ſe pacto dæmonis, quod amoto ſigno maleficii nocere deſinet. Deinde, intervenit ibidem implicita dæmonis adoratio, ſeu honoratio, quaſi dæmon ſit verax in promiſſis, quod poſſit nocere, ſi velit. Reſp. Ad prius, quod ſanitas non expectetur propriè à dæmone, ſed ceſſatio à noxâ, quæ poteſt licitè à dæmone expectari, non quidem per modum honorationis, ſed con-

tem-

temptûs, & adjurationis, imponendo dæmoni ex parte Dei, ut nocere deſinat. Neque hic eſt illa communicatio in pacto dæmoniaco, cum illud potius contemnat; & ad illud habeat ſe merè per accidens: adeo ut ſigna auferendo, pactum illud potius turbet, in quo nulla dæmonis honoratio.

Objicies 2. non licet dæmonem rogare, aut cogere, ut ſignum tollat, ergo nec magum. *Reſp.* Nulla umquam cum Dæmone licita eſt communicatio, non itidem cum magis, niſi ratione dæmonis, qualis dicto caſu non habetur, ut mox declaratum eſt.

Objicies 3. dæmon non ceſſat à noxâ, niſi ut gravius noceat. Deinde, dæmon tam bene ſine ſigno nocere poteſt, quam cum ſigno, ergo fruſtra amovetur. *Reſp.* Id non ſemper evenire, id autem paſſim ab eo fieri, ut magos eâ ratione, ſibi magis devinciat, quod tamen ſæpè aliter accidit. Deinde, etſi ſine tali ſigno nocere poſſit, tamen ordinariè tum non nocet, & ex Dei ordinatione ejus vis quaſi alligata eſt ſignis, uti ſignificatur Cap. *Si per ſortiarias.*

Sequitur ex dictis, licitum eſſe ſagam leviter reverberare, ab eâ rogare panem, vel ſalem, ad quæ volunt deſinere dæmonem à nocendo.

Licitum quoque eſt ad tollendum morbum maleficio illatum, adhibere illa, quæ naturaliter ſunt curativa talis morbi. Efficaciora tamen hîc media ſunt ſupernaturalia, ut fides viva, oratio, confeſſio, S. Euchariſtia, exorciſmi, &c.

Quæres hic ultimò, quænam ſint ſigna, quod quis ſit maleficiatus. *Reſp.* 1. Generaliter, ſi omnes medici judicent morbum non provenire à causâ naturali. 2. Si in corpore inveniantur ea, quæ ibidem naturaliter inſeri, aut generari nequeunt. 3. Si ad tactum ſagæ, illicò eo morbo quis arripiatur. 4. Si morbus ſolitis remediis adhibitis, nil minuatur. 5. Si æger habeat puncturas aſſiduas in corde, aut

Unde noſci poſſit quod aliquis ſit maleficiatus.

aut bolum in gutture adſcendentem, & deſcendentem.. 6. Si ſubitò fiat mutus, & ſubitò rurſum loquatur. 7. Si nil juvantibus remediis naturalibus, juvent exorciſmi, & reliquiæ, &c.

SECTIO VII.

De cultu falſo, & ſuperfluo.

Quid falſus cultus. Dicendum primò, *falſus cultus* eſt omnis ille, qui aliquid falſi continet v. g. ſi quis falſis miraculis, teſtimoniis, ſignis, &c. res fidei nititur confirmare. Talem adhibent & ii, qui cæremoniam falſam, ut Eccleſiaſticam obtendunt, qui in adminiſtratione Sacramentorum falſa adhibent, qui etiamnum ritibus L. V. utuntur, puta circumciſione, purificatione & aliis. Talis erat cultus ille act. 14. Quo viri Lycaöniæ Paulum & Barnabam ut Deos venerabantur; *Cultus ſuperfluus* eſt, quando quis privatâ devotione aliquid cæremoniis legitimis admiſcet, idque præter Eccleſiæ morem, v. g. omnis ille cultus, quem aliqui Sacerdotes in celebratione Miſſæ, præter Eccleſiæ rubricas adjungunt, v. g. oſculando pedem Calicis poſt elevationem dimiſſi, &c. de quibus agam de Miſſæ ſacrificio. Talis erat cultus Canonicorum Lugdunenſium, qui privatâ authoritate Feſtum Conceptionis Immaculatæ inſtituerant, quos reprehendit S. Bernard. de quo facto diximus alibi agendo de cultu D. Virginis.

Quid ſuperfluus.

Quid Sacrilegium. Dicendum 2. his adjungi ſolet ſacrilegium & tentatio Dei. *Sacrilegium* eſt inhonoratio rei ſacræ, ut ſacra eſt. Hinc perſonæ ſacræ injuriam facere, aut loco ſacro, ſacrilegium eſt, & ultra peccatum injuriæ, peccatum ſacrilegii complectitur idem eſt, de omni alio peccato rei ſacræ ut tali admiſſo, ut omnis immunditia perſonæ ſacræ, aut abuſus rei

ſacræ

ſacræ aut loci ſacri: Gravitas autem ejus ex eo conſiderari poterit, ex graviori vel leviori irreverentiâ Deo aut rebus ſacris inuſtâ, quæ in Deum redundare cenſetur. Ubi & hoc notari poteſt, quod quandoque peccetur peccato ſacrilegii per omiſſionem, quatenus illa eſt cauſa irreverentiæ, v. g. ſi ob negligentiam ſacriſtæ quis inferat manus injuſtas aut violentas in Vaſa ſacra, Calices, &c.

Dicendum ultimò, *tentatio Dei* eſt, quandò quis ſine juſta cauſa experimentum capit divinæ ſapientiæ, providentiæ aut alterius attributi divini. Malitia ejus in eo ſita eſt, quod ſine cauſa à Deo opus aliquod extraordinarium expectetur, in quo gravis eſt irreverentia, cùm noſtrum non ſit ſine cauſa, divina arcana ſcrutari. Ad hanc Dei tentationem reducuntur *purgationes vulgares*, per ferrum candens, per aquas, &c. cùm inſolita à Deo ſine cauſa expectentur. Aliud eſt ſi cauſa juſta adſit, ut ſi Dei juſſu tale experimentum capiatur, ut quondam præcepit Achaz Iſaiæ 7. ut peteret à Deo ſignum (futuræ liberationis) ſive in profundum inferni, ſive in excelſum ſupra. *Quid tentatio Dei.*

SECTIO VIII.

De Pietate, Obſervantia, & Obedientia.

Dicendum primò, *Pietas* aliquando ſumitur prò devotione, aliquandò pro miſericordia, propriè tamen eſt virtus, quâ debitum obſequium parentibus reddimus. Sicut enim Deo debetur cultus ſummus, quia Principium eſt omnium & ultimus finis: Ita & parentibus debetur cultus & obſequium eo quod ſint Principium ortûs noſtri. *Parentes* comprehendunt hîc patriam, conſanguineos, uxores, &c. quatenus illis aut nobis conjuncti ſunt, & educationi noſtræ intenti. Ex quo patet, quod obje- *Quid Pietas.*

ctum

ctum cui pietatis, ſint parentes; objectum quod, ſit cultus illis debitus; ratio formalis ſit debitum parentibus, ideo enim illis impendimus obſequia, quia illis ſunt debita. Recordandum enim, ut ait Sapiens Eccli. 7. quoniam niſi per illos nati non fuiſſemus, unde retribuendum illis, ſicuti & illi nobis. Sicut autem *Qui honorat patrem ſuum, vitâ vivet longiore*, ut idem ait c. 3. Ita & *Maledictus qui non honorat patrem ſuum & matrem, & dicet omnis populus amen.* Deut. 27. deinde, *Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominioſus eſt, & infelix.* Prov. 19. hinc, ſi parentes ſint in gravi, aut extremâ neceſſitate, & filius illis ſuccurrere poſſit, non poteſt ingredi Religionem, multò minùs profiteri, cùm obligatio pietatis hic ſit juris divini naturalis, quæ longè prævalet operibus conſilii. Ulterius tenentur filii obedire parentibus in omnibus, aut ut ait Apoſt. ac Coloſ. 3. *Per omnia*, ſupple quæ honeſta ſunt, nam aliàs obedire oportet magis Deo, quàm hominibus, act. 5. ſupple quoque, obediendum eſſe in iis, quæ ad curam paternam pertinent: in variis enim filius eſt ſui proprii juris, v. g. in deligendo vitæ ſtatu, etſi parentes in hoc negotio conſulere conveniat. Si verò parentes quoad Religionis ingreſſum ſint irrationabiliter inviti, habet locum illud Hieronymi Epiſt. ad Heliod. *Licet ſparſo crine & ſciſſis veſtibus ubera quibus te nutrierat, mater oſtendat: licet in limine pater jaceat: per calcatum perge patrem, ſiccis oculis ad vexillum crucis evola: ſolum pietatis genus eſt, in hac re eſſe crudelem.* Oggarrit hic Eraſmus in colloquio Eubuli & Catharinæ, & dicit, quòd natura dictet, Deus approbet, Paulus hortetur; leges humanæ ſanciant ut filii obediant parentibus, illi autem ſe ſubducant ab authoritate parentum optimorum, ut pro vero patre ſe dedant fictitio, & pro vera matre adſciſcant alienam, aut potius pro parentibus ſibi Dominos ac Dominas adſciſcant........ *Inventum eſt*, ait, *ſub prætextu Religionis novum ſervi-*

In quibus filii debeant parentibus obedire.

tutis

rutis genus: nihil ibi licebit, niſi ex præſcripto, quidquid obvenerit tibi accreſcit. Si quo pedem moveris, retraheris à fugâ, perinde quaſi parentem veneno necaveris. Quoque ſit evidentior ſervitus, commutant veſtem, quam dederunt parentes, & ad exemplum priſcum eorum, qui olim eſſent ſervos mercati, commutant nomen in Baptiſmo inditum, ac pro Petro vel Joanne, vocant Franciſcum ſive Dominicum. Ita verſipellis iſte. Verùm ut paucis expediam, quidem verum eſt, quod natura dictet, Deus approbet, &c. Honorem parentibus eſſe debitum, ſed honor ille & ejus obligatio ſuos habet terminos, puta, niſi in contrarium vocet pater Cæleſtis. Sic Apoſtolus ait ad Hæb. 12. *Patres carnis noſtræ eruditores & caſtigatores habuimus & reverebamur eos: nonne multò magis obtemperabimus patri ſpirituum?* Quod verò addat, religionem eſſe ſervitutem, mera eſt calumnia, uti & alia quæ adjungit animo nimium ergo religionem præoccupato: ſolùm attendat, quòd ſervire Deo ſit regnare, in qua ſervitute utinam manſiſſet. Quomodo parentes in aggreſſu Matrimonii ſint conſulendi, dicam de Matrimonio.

Ex quibus omnibus manifeſtè colligitur, quâ cenſurâ digni ſint, qui docere audent, *Licitum eſſe ab. ſoluto deſiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, ſed ut bonum cupientis*; item hanc: *Licitum eſt filio gaudere de parricidio parentis à ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas*: Quas pro ſuo merito jam nuper condemnavit Sanctiſſimus Pater Innocentius XI. *Filius ante diem patrios inquirit in annos.*

Dicendum 2. *Obſervantia* eſt virtus, quæ debitum honorem defert illis, qui nos gubernant, v. g. Magiſtratui, Principi Patriæ, Monachus Abbati, &c. Sapientes itidem & Sanctitate eminentes hæc virtus reſpicit, quatenus ratione excellentiæ, & aptitudinis ad nos gubernandum, cultus illis debetur. Unde docet S. Thomas hîc, quòd objectum *Quid obſervantia.*

cui

Digitized by Google

cui obſervantiæ, ſit Principium illud quod nos vel actu vel potentiâ gubernat. Prout autem motivum obſervantiæ eſt varium, puta religioſum, Sanctum, &c. diverſa ſolet ſtatui obſervantia, puta Religioſa, ſupernaturalis, politica, &c.

Quid obedientia. Dicendum 3. *Obedientia* eſt virtus, quæ facit illud, quod præceptum eſt: alia eſt formalis, alia materialis: *Formalis* eſt, quæ facit præceptum, quia præceptum eſt; *Materialis*, quæ ſolùm ponit actum præcepti. Pari modo dividi poteſt inobedientia in materialem & formalem. *Materialis* eſt tranſgreſſio cujuſcumque præcepti: *Formalis* quando tranſgreditur quis præceptum, ea intentione ut illud violet, & quia præceptum eſt, quæ de ſe eſt peccatum mortale, cùm qui ſpernit ſuperiores debitos, Deum ſpernat, & omnis poteſtas à Deo ſit. Alia de Religioſa obedientia videri poſſunt de ſtatu Religioſo.

Quid inobedientia formalis.

SECTIO IX.

De Gratitudine & Veritate.

Quid gratitudo. DICENDUM primò. *Gratitudo* eſt virtus, quæ reſpicit debitum, ortum ex beneficio, ut eidem ſatisfaciat. Ex dato namque beneficio naſcitur obligatio gratitudinis in alio, unde habet axioma: *beneficium accipere, eſt libertatem vendere*, eò quòd per beneficium inducatur debitum ſatisfaciendi. Unde ante omnes benefactores, gratitudo debetur Deo, quia ut ait S. Auguſt. in Soliloq. c. 18. *Sicut nulla eſt hora vel punctum, quo tuo beneficio non utor, ſic nulla debet eſſe hora, quâ te non habeam ante oculos.* Scilicet ut quidpiam pro omnibus beneficiis rependam. Hoc qui maturè perpendit, noſcet liquidò, tantâ compenſatione Deum dignum eſſe, ut omnia opera ad ejus gloriam referantur, ex quo proveniunt, ut à principio & authore. Di-

Dicendum 2. Officia gratitudinis recenſentur : *Officia gratitudinis.*
1. beneficium agnoſcere, ejuſque benigna acceptatio, nam ut ait Seneca l. 2. de benef. c. 24. *Qui gratè beneficium accipit, primam ejus penſionem ſolvit.* 2. Laudare & gratias agere : 3. Retribuere ſuo loco & tempore. Unde Philoſophus præfatus l. 3. c. 1. & ex eo S. Thomas 2. 2. q. 107. a. 1. *Ingratus eſt, qui beneficium accepiſſe ſe negat. Ingratus eſt, qui diſſimulat : ingratus eſt, qui non reddit : ingratiſſimus omnium, qui oblitus eſt. Illi enim, ſi non ſolvunt, tamen debent, & extat apud nos veſtigium certè meritorum : & aliquando ad referendam gratiam converti ex aliqua cauſa poſſunt, ſi illos pudor admonuerit.* Ex quibus patet, quinam ſint gradus ingratitudinis : *Officia ingratitudinis.*
1. Non conari beneficium reddere : rarò vel numquam gratias reddere : rarò vel numquam de beneficiis cogitare : malum pro bono reddere ; beneficia negare vel extenuare, imo aliquando loco maleficii æſtimare. Porro ingratitudo alia eſt formalis, alia materialis. *Formalis* eſt, quando beneficus animus contemnitur, ne quis videatur alteri ex beneficio debitor : eſtque hæc ingratitudo peccatum mortale ex genere ſuo, cùm contemptus animi benevoli & ſiniſtra interpretatio benefactoris, non ſit minus malum, quam ſit judicium temerarium ; imò illud involvit : imo hoc contemptu magis offenduntur, quam judicio temerario. *Materialis* eſt, quando ſine tali contemptu omittitur debitum gratitudinis, aut committitur aliquid adverſus benefactorem. Hujus vitii deformitatem horrent ipſa animalia bruta, cùm teſte Senecâ l. 1. c. 3. de benef. *Officia etiam beſtiæ ſentiunt, nec ullum tam immanſuetum animal eſt, quod non mitiget cura, & in amorem ſui vertat. Leonum ora.* Unde D. Thomas ingratum *ſceleſtum* nuncupat, adducens illud Pauli 2. Timoth. 3. parentibus non obedientes, dicuntur *ingrati, ſceleſti*. Et rectè Philoſophus dictus l. 3. c. 1. de Beneficiis. *Non referre*

Quid ingratitudo formalis.

bene-

beneficiis gratiam, & eſt turpe & apud omnes habeatur, ut tale.

Quid ſit veritas: Dicendum 3: *Veritas* eſt virtus, quæ procurat ut in ſcripturâ, verbis, aliiſque ſignis ſit veritas, id eſt conformitas judicii aut ſigni, ad rem judicatam, aut ſignificatam. *Ejus dignitas.* Hæc etſi rara in terris, eximia tamen eſt virtus: adeo ut Chriſtus ſe *veritatem* nominet Joan. 14. & Eſdras 3. dicat: *Super omnia vincit veritas*, nam ut ait Apoſt. ad Philip. 4. *Nihil poſſumus contra veritatem:* & quid miri, cùm Deus ſit veritas, & ſi *Deus pro nobis; quis contra nos?* Rom. 8. *Eccleſiaſticis neceſſaria.* Virtus hæc maximè decet viros Eccleſiaſticos, cùm exodi 27 ſolemni veſti ſummi Sacerdotis in pectore inſcriptum erat, *Doctrina & veritas.* Sicuti autem nihil ita neceſſarium, *Eſt rara in terris.* ita nihil magis in mundo inuſitatum: *Non eſt veritas....in terra*, ait Oſeas 4. plerique veritatem in injuſtitiâ detinent: quæris cauſam? odium veritas parit, adulatio amicos, veritas inimicos. *Ego*, ait Apoſt. Gal. 4. *Inimicus vobis factus ſum, verum dicens vobis.* Et Amos 5. *Odio habuerunt corripientem.* Hinc ut illi Iſaiæ 30. promiſcuè clamant: *Loquimini nobis placentia*; Verum *ſi hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem* ait Apoſt.

Quid mendacium, quid ſimulatio. Dicendum 4. *Mendacium* veritati adverſum, eſt locutio contra mentem. *Simulatio* eſt mendacium in geſtu. Famosè mendacium dividitur in officioſum, jocoſum & pernicioſum. *Officioſum* eſt, quod *Mendacium triplex.* causâ utilitatis prodit: *Jocoſum*, quod cauſâ voluptatis: *Pernicioſum* eſt, quod alteri injuſtè nocet, quod nocumentum, ſi ſit grave erit peccatum mortale, cùm graviter lædat charitatem. De hoc ait ſapient. c. 1. *Os, quod mentitur, occidit animam*; & Pſalm. 5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*; & rurſum Prov. 12. *Abominatio eſt Domino, labia mendacia.*

Quale ſit peccatum mentiri. Dicendum 5. Mendacium jocoſum aut officioſum de ſe ſunt ſolùm veniale peccatum, cùm inordi-

ordinatio in mendacio ſecundùm ſe, non ita graviter lædat aliquem: numquam tamen ſimile mendacium proferre licet, etiam ad graviſſimum damnum avertendum; quod olim licitum docuerunt Origines & alii, quos abundè refutat S. Auguſt. l. priore de mendacio c. 5. 6. 7. & ſequentibus. Idem docet Innoc. III. cap. *ſuperior* de uſura, ubi ait: *Scripturam Sacram prohibere, ne quis etiam pro alterius vitâ ſervanda mentiatur.* Unde patet mendacium eſſe intrinſecè malum, quòd ſignis abutantur, & turpe ſit & rationi difforme, quòd ratio & loquela diſcordent, & quòd lingua negat, animus affirmet aut contra. Poteſt tamen quis loqui falſum, & tamen non mentiri, ſi, quod revera falſum eſt, bonâ fide putet quis eſſe verum, & ut tale illud enuntiat,

Dicendum 6. Reſtringere mentaliter, eſt artificialiter mentiri. Pro cujus pleniori intelligentia prænotandum eſt; quòd aliquando ſit reſtrictio purè mentalis: aliquando non purè talis, ſed quòd aliquando circumſtantiæ externæ cum illa conſignificent: purè mentalis eſt purum & putum mendacium: Ratio illius eſt hæc: quòd tota oratio, quâ parte ſignificat, ſit mendax. Non enim ſignificat ſecundùm partem quam reſtringit, utpote occultam, ſed ſolùm juxta partem exteriùs manifeſtatam, quæ falſa eſt & mendax, cùm non ſit conformis menti loquentis.

Reſtrictio mentalis eſt mendacium.

Reſtrictio mentalis pura & non pura.

Objiciunt varii, quod nemo teneatur alteri totam ſuam mentem explicare, ſed poteſt partem reticere: Deinde loquens non intendit id ſolùm, quod foris ſonat, proferre, ſed ut illud interiùs reſtricto eſt conjunctum. Imo illius exemplum eſt in Chriſto, qui Joan. 7. dicebat amicis ſuis ſe non aſcendere ad feſtum, ubi tamen poſteà aſcendit. Ad quæ Reſp. quod etſi non teneatur quis alteri mentem ſuam explicare, tamen teneatur non mentiri, prout ille facit, uti mox oſtendi. Deinde etſi lo-

loquens illud intendat, per hoc nihil mutatur in communi ſignorum ſignificatione, quæ talem habent, prout foris prolata ſonant. Unde reſtrictio illa nihil confert ad ſignificationem. Quod verò de Chriſto opponunt, uſu venit hîc quod ante mox notavimus: non enim ibi erat nuda & pura mentalis reſtrictio, ſed circumſtantiæ adjunctæ ſatis mentem exterius manifeſtabant & conſignificabant tale eſſe, quale erat in mente. Petebant etenim amici à Chriſto, ut publicè & miracula patraturus veniret ad feſtum in Jeruſalem, Chriſtus reſpondit ad mentem illorum petentium, ſe non adſcendere ita, ad diem feſtum hunc; etſi privatim poſtea adſcenderet. Idem eſt, de eo, quando agit de ignorantia diei ultimi, quem nec ſe noſſe dicit Matt. 24. cùm ſubintelligat, & ſatis indicet, ſe non noſſe eum ut legatus. Sic confeſſarius, dicit ſe neſcire aliquid, quod tamen ſcit ex confeſſione, cùm circumſtantia confeſſarii id ſatis innuat, ſic debere intelligi, quod dicitur. Gravis tamen eſt error illorum, qui caſum hunc confeſſarii, titulo ſuperioritatis ſibi uſurpant & vendicant, dum dicunt, etiam ſuperiores poſſe reſtringere mentaliter, dum eoſdem de aliquibus conveniunt ſubditi, & negare illud, quod tale eſſe dignoſcunt.; non enim illis cenſetur ineſſe talis titulus, ſicut ineſt confeſſario, imo contrarius, cùm candor & ſinceritas in ſuperiore perquam ſint neceſſaria, ad ſubditorum regimen. Nec inde miſerabilis ſuperiorum redditur conditio, ſed neceſſaria ad regendum ſtatuitur obligatio: nihil enim ita ſubditos conciliat, quam ſuperiorum fidelitas & animi candor: & ex adverſo, nihil ita eos alienat, quam duplicitas ſuperiorum.

Superiori maximè candor convenit.

Objiciunt ulterius, quòd mentiri ſit ire contra mentem, ſed reſtringens purè mentaliter non it contra mentem cùm illud in mente habeat. Reſp. it talis contra mentem, quatenus verba illius menti non concordant, dum aliud foris ſonat, & aliud intus

intus reticetur. Nec dici poteſt, talem non intendere mentiri, cùm intentio illa ſit inefficax, uti intentio non nocendi, & interim ponendo voluntariè nocivam cauſam. Unde patet, quo jure dixit quidam aliàs non ita ſcrupuloſus: *Reſtrictiones mentales tollunt humanam ſocietatem, & tamquam peſtiferæ damnandæ ſunt, quoniam ſemel admiſſæ, aperiunt omni mendacio & omni perjurio viam, & tota differentia in eo erit, ut quod heri vocabatur mendacium, naturam & malitiam non mutet, ſed nomen; ita ut hodie jubeatur reſtrictio mentalis nominari; quod eſt virus condire ſaccharo, & ſcelus ſpecie virtutis colorare.* Vide dicta de juramento.

Concludo monito Eminentiſſ. Card. Bonæ manuduct. c. 25. ubi ait: *In omni ſermone, geſtu, & ſcriptura, aliiſque ſignis externis, veritas ſit. Non decet Chriſtianum hominem labium mendax. Muliebre vitium & plebeium eſt, aliud pectore claudere, aliud ore proferre. Vir generoſus res ſimpliciter enuntiat, prout ſunt, non exaggerat, non amplificat, non decipit, non ſimulat, verborum ambages & involucra devitat. Simplicia verba veritas ſimplex amat. Vult nuda videri, quia innocens eſt, qui verò mentitur aut fallit, rem duplici ſermone obſcurat, ut lateat: odit lucem qui malè loquitur, ſicut qui malè agit. Cave itaque, ne ut veſtitum, ſic ſententiam habeas, aliam domeſticam, aliam forenſem, ne in fronte oſtentatio ſit, intus veritas occultetur. Ab hoc vitio abhorret ipſa natura.*

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De Fortitudine & annexis.

SECTIO PRIMA.

Quid ſit fortitudo, & ejus officia.

Quid Fortitudo. DICENDUM primò, *fortitudo* eſt virtus, quæ motus animi in rebus terribilibus, præſertim mortis periculo ſuſtinendo moderatur. Motus illi præcipui ſunt timor, audacia & triſtitia. Neceſſaria eſt hæc virtus veritati & aliis virtutibus: cùm enim in dicenda veritate, & exercitio aliarum virtutum plurimæ oriri natæ ſint difficultates, neceſſaria eſt fortitudo, quæ periculis reſiſtere docet & audaciam moderatur: ex quo patet, tantò magis eam eſſe neceſſariam, quantò periculis mens noſtra faciliùs exterretur. Conſiſtit verò fortitudo in medio, ut omnis virtus moralis, ne quis temere & ſine cauſa periculis ſe objiciat, & ne periculis temere exterreamur à bono. *Vir enim fortis non ſe temere malis ingerit, ſed advenientia conſtanter fert: non appetit formidabilia, ſed ſpernit*, ait præfatus Card. ibidem c. 28. *Motiva fortitudinis.* Ad hanc virtutem perquam opportunum eſt, ſeria conſideratio obligationis Chriſtianæ, quæ omni humano reſpectui præponderare debet; Deinde, quàm vana ſint hujus mundi terriculamenta & pericula, quibus conſtans animus facilè reſiſtit. Eamdem virtutem adjuvat Dei Charitas, quæ omnia alleviat, & flocci facit, ut Chriſtum lucrifaciat: *Fortitudo Chriſtiana* hæc enim eſt propria fortitudini Chriſtianæ, imò ſi deſit, Chriſtiana non eſt, ſed gentilis, ſed pagana;

gana : juxta illud Arauſicani Can. 17. *Fortitudinem gentium mundana cupiditas, fortitudinem Chriſtianorum Dei charitas facit.*

Denique mala reputat timiditas mundana, quæ revera mala non ſunt, neque formidanda, quod & in ipsâ morte verum eſt, quod tamen inter terribilia eſt terribiliſſimum : hæc enim cum certiſſima ſit, ſtultè timetur : nec mala eſt, quæ malorum debet eſſe finis, & initium beatitudinis : conſtat hoc in fortitudine Chriſtianâ, dilectioni Dei conjunctâ ; quæ ſecura de præmio & Coronâ juſtitiæ, cupit diſſolvi & eſſe cum Chriſto.

Dicendum 2. Ex hac fortitudine oritur *magnanimitas*, quæ eſt virtus, quæ in omni virtutum genere ad opera magna & heroïca inclinat. Magna autem & ardua eſt omnis & ſola virtus. Ejus officia ſunt, quæ adfert Card. Bona appoſitè ad rem noſtram libro citato cap. 29. dum ita ait : *Magnus animus ad magna ſemper aſpirat, eaque omnia velut minuta contemnit, quæ pro maximis vulgus optat. Opera quidem efficit, quæ multo honore ſint digna : ſed ipſum honorem & denegatum non ambit, & ſpernit oblatum, niſi aliter exigant Dei honor & obedientia : nihil ad oſtentationem, omnia ad conſcientiam refert : rectèque facti non ex populi ſermone mercedem, ſed ex facto petit. In edito ſtat ſemper, excelſus, inſuperabilis, par ſibi in omni rerum ſtatu, nec locis altioribus ſe ingerit, contentus magnitudine ſuâ ..... nihil eſt, quod ipſum terreat, aut incurvet. Se profert & ſpectari vult, non vanitatis ſtudio, ſed attento gradu, in quo degit, & Dei Donis, quibus refulget.* Et rurſum: *Cum viris mediocribus & infimis modeſtum ſe ac moderatum exhibet : coram principibus & opulentis non ſe projicit, nec adulatur, nec eorum potentiâ ſuam opprimi ſinit libertatem. Quæ odio vel amore digna ſunt, apertè odit, apertè amat. Quæque palam dici vel fieri debent, liberè loquitur & operatur ; quia nihil timet aut ſperat.* Ecce hucuſque veram magnanimi effigiem.

Quid magnanimitas.

Actus magnanimi.

Quid ignavia & timiditas. Dicendum 3. Fortitudini repugnat timiditas ſeu ignavia, quod excedat, aliquid timendo; poteſt aliquando eſſe peccatum mortale, ſi ex timore mundano, Deus mortaliter offendatur. Repugnat itidem intimiditas in timendo deficiens, adeo ut, quæ revera timenda ſunt, contemnat neque reformidet. Sic impius, cum in profundum venerit, contemnit pœnam impietati conſtitutam, imò ipſum infernum.

Magnanimitati repugnat præſumptio, ambitio, & inanis gloria. *Quid præſumptio.* *Præſumptio* eſt, quando quis nimium viribus ſuis fidit: poteſt eſſe peccatum mortale, ſi annexam habeat injuriam gravem alterius, aut ſui ipſius malum grave. *Quid ambitio.* *Ambitio* eſt inordinatus honoris appetitus, *Qui amant pr. mos recubitus in cœnis & primas cathedras in Synagogis, & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi*; Ut de Phariſæis & Scribis ait Salvator Matth. 25. *Quid inanis gloria.* *Inanis gloria*, eſt cupiditas vanæ gloriæ, eſtque vitium capitale, ex quo oriuntur juxta D. Greg. inobedientia, jactantia, hypocriſis, contentiones, pertinaciæ, diſcordiæ & novitatum præſumptio. Eſt aliquando peccatum mortale, ſi v.g. quis inanem gloriam captet ex facto mortaliter malo, v.g. magia: ſi verò ex induſtria aut viribus operis inanem gloriam quærat, erit veniale.

Quid timiditas. Magnanimitati quoque opponitur timiditas ſeu puſillanimitas, quâ quis omnia nimis magna & ardua judicat, nec vires ſuas ſatis conſiderat. Aliquando poteſt quoque eſſe peccatum mortale, quando quis ex puſillanimitate Deum mortaliter offendit, nolens ea facere & aggredi, ad quæ ſub mortali tenetur.

SE.

SECTIO II.

Quid ſit temperantia, & in quo ſita.

Dicendum primò. *Temperantia* eſt virtus refrænans ac temperans appetitum in his quæ maximè alliciunt, quæ ſunt objecta Tactûs & Guſtûs. His ergo delectationibus & illecebris modum imponit temperantia, ne magis ſumat aut eis indulgeat, quam ratio recta exigit, nec ſolùm in externo eorumdem uſu: ſed & in interno appetitu, ut illud appetat, quod, quando, & quare & quantum eſt appetendum. Unde temperantiam rectè deſcribit S. Proſper l. 3. de vita contempl. c. 19. ubi ita loquitur: *Temperantia temperantem facit, abſtinentem, parcum, ſobrium, moderatum, pudicum, tacitum, ſerium, verecundum. Hæc virtus ſi in animo habitat, libidines frænat, affectus temperat, deſideria Sancta multiplicat, vitioſa caſtigat, omnia intra nos confuſa ordinat, ordinata corroborat, cogitationes pravas removet, inſerit ſanctas, ignem libidinoſæ voluptatis extinguit, animæ teporem deſiderio futuræ remunerationis accendit*, &c. *Quid temperantia.* *Actus temperantiæ.*

Regulam temperantiæ dat nobis S. Auguſt. l. de moribus Eccl. c. 21. ubi ait: *Habet vir temperans in hujuſmodi rebus mortalibus & fluentibus vitæ regulam utroque teſtamento firmatam, ut eorum nihil diligat, nihil per ſe appetendum putet, ſed ad vitæ hujus atque officiorum neceſſitatem, quantum ſatis eſt, uſurpet, utentis modeſtia, non amantis affectu.* *Regula temperantiæ.*

Ex hac S. Auguſtini regula ſequitur 1. Tantum de iis, quæ ad Guſtum aut Tactum ſpectant, eſſe aſſumendum, quantum neceſſarium eſt ad vitæ & officiorum intertentionem: ſub qua neceſſitate comprehendi poteſt convenientia & utilitas, id eſt illud, ſine quo non ita competenter poſſumus vivere.

Voluptates non licet ob ſe appetere.

Sequitur 2. Quod non liceat voluptates ſenſuum per ſe appetere, nec per ſe amare, ſed ſolùm nos iis poſſe uti. Clarius illud alibi proponit idem doctor, ut l. 1. c. 21. de Doctr. Chriſtiana, ubi ita ait: *In his omnibus rebus, illæ tantum ſunt, quibus fruendum eſt, quas æternas atque incommutabiles commemoravimus: cæteris autem utendum eſt, ut ad illarum perfruitionem pervenire poſſimus*: Qui autem *frui* importet, alibi ſæpè declarat, ſcilicet *Eſſe amore inhærere alicui rei propter ſe ipſam.* Unde hæc eſt dilectio, quam inhibet Apoſt. & Evang. Joan. 2. dicens: *Nolite diligere Mundum, neque ea, quæ in Mundo ſunt*; id eſt propter ſe diligere. Cui illud conſonat, Quod habet Apoſt. 2. Cor. 1. *In carne*, ait, *ambulantes*: & rurſum *utendum eſſe hoc mundo, tamquam non utamur*, Id eſt tranſitoriis tranſitoriè utendum eſſe. Hinc idem S. Præſul periculum intemperantiæ in edendo & bibendo agnoſcens ait l. 1. conf. c. 33. *Hoc me docuiſti, ut quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accederem.* Rationem hujus dat ibidem, dum ſubdit: *Cum enim ſalus ſit cauſa edendi & bibendi, adjungit ſe tamquam pediſſequa periculoſa jucunditas, & plerumque præire conatur, ut ejus cauſâ fiat, quod ſalutis cauſâ me facere dico vel volo.* Audi & D. Greg. l. 30. Mor. c. 19. *Sciendum eſt*, ait, *quia ſic voluptas ſub neceſſitate ſe palliat, ut vix eam perfectus quiſque diſcernat. Nam dum ſolvi debitum neceſſitas petit, voluptas explere deſiderium ſuppetit, & tantò ſecuriùs gulam præceps rapit, quantò honeſto neceſſitatis nomine explendæ ſe contegit. Sæpè igitur, quæ neceſſitas petit, & quid voluptas ſuppetit, ignoratur, atque ideo, dum quaſi concivi parcimus, ad prælium hoſtem nutrimus.* Vide de hac re plura dicta de charitate ſui ipſius ſect. 6. & dicenda de Matrimonio, ubi probabo nec quidem licitè propter ſe moderatè appeti poſſe voluptatem.

Dicendum 2. Opponitur temperantiæ vitium in-

intemperantiæ, quod eſt exceſſus in concupiſcendis vel fruendis delectationibus. Vitium hoc eſt hominem maximè dedecens ac brutale, quæ prona tellurem ſpectant, & infimis inhærent, cùm homini Deus os ſublime dederit, cælumque tueri juſſerit, & erectos ad ſidera tollere vultus, ut ait Poëta. Vocatur itidem vitium *puerile*, cùm concupiſcentia præceps ruat, niſi fræno temperantiæ, ut Pædagogo, ab exceſſu temperetur & arceatur. *Intemperantia.* *Eſt vitium puerile.*

SECTIO III.

De Abſtinentia & Sobrietate.

DICENDUM primò. *Abſtinentia* eſt virtus, quæ delectationes eſculentorum moderatur, eis præſcribens debitum modum, tempus & quantitatem, ne nimia eſculentorum ſumptio valetudini corporis aut animæ noceat, aut obſit. *Quid abſtinentia.*

Sobrietas autem ut eſt virtus ſpecialis, eſt illa, quæ affectum & uſum potionis inebriare valentis, debitè moderatur. Virtus hæc eo eſt magis neceſſaria, quo potus magis ablandiat, nam teſte Sapiente Prov. 23. Vinum *ingreditur blandè, ſed in noviſſimo mordebit ut coluber.* Per quam tamen neceſſaria eſt iis, qui caſtitati ſtudent, nam ideò rectè Apoſtolus admonet ad Eph. 5. *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria*: & Prov. 20. *Luxurioſa res, vinum.* *Quid Sobrietas.*

Dicendum 2. Abſtinentiæ opponitur gula, ſobrietati ebrietas. *Gula* verò eſt vitium, quod in eſculentis debitum modum excedit. Fieri autem ſolet præcipuè 5. modis, contentis hoc verſu: *Præproperè, lautè, nimis, ardenter, ſtudioſè. Præproperè* eſt indebito tempore cibos ſumendo: *Lautè*, id eſt pretioſiores cibos ſumendo, quàm ſtatui conveniat. *Nimis*, id eſt plus quàm natura exigat. *Ardenter* eſt voraciter & avidè edendo. Denique *Studio-* *Quid gula* *Quot modis fiat.*

dioſè, id eſt delicatè & exquiſitè cibos conciendo, aliàs non manducaturus. Poteſt autem gula eſſe peccatum mortale; ſi ob exceſſum in cibo, Deum mortaliter offendant, ut ſunt illi, *Quorum Deus venter eſt*, ut ait Apoſt. ad Philip. 3. Itidem, ſi notabiliter obſit valetudini, cùm plures occiderit gula, quam gladius: Denique, ſi ſit grave ſcandalum ex gula, &c.

Quid ſit Ebrietas. Dicendum 3. *Ebrietas* eſt exceſſus in potu, uſque ad violentam usûs rationis privationem. Cauſat verò ebrietas privationem rationis, eo quod potus nimius, cauſet vapores cerebrum obvolventes & obnubilantes, ex quo deinde ratio ſopitur. Eſt hoc vitium peccatum mortale, cùm teſte Scripturâ Prov. 23 Illi væ, illius Patri væ, illi rixæ, illi foveæ, illi ſine cauſa vulnera, illi ſuffuſio oculorum, qui commorantur in vino, & ſtudent calcibus epotandis. Et rurſum Iſaiæ 5. *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem.* Denique 1. Cor. 6. ebrioſi à Regno Dei ab Apoſtolo excluduntur.

Malitia Ebrietatis Porro, malitia hujus vitii in eo ſita eſt, quòd quis ſe voluntariè privet violentè uſu rationis, & brutis ſimilem efficiat, proximam utendi ratione poteſtatem auferens, adeo ut etiam vigil eâ uti non poſſit, quo pacto à ſomno differt ebrietas. Accedit, quod plurima mala ſecum trahat ebrietas, familiæ afflictiones, fraudes, luxuriam, iras, corporis morbos innumeros, quod reddat hominem ad neceſſaria officia inutilem, hominem beſtialem faciat, mores ejus planè abſurdos, & ſcurriles, ſecreta pandat, juxta illud Prov. 31. *Nullum ſecretum, ubi regnat ebrietas*: Denique tot mala ſecum adfert ebrietas ut dicat Hieron in c. 1. ad Titum ad illud, *Non vinolentum: longum eſt ire per ſingula, inſanias, quas ebrietas ſuggerit, explicare.*

Quærunt aliqui, ſi ebrietas adeo grave crimen, unde alibi ſit tam frequens, nec multi æſtimetur, quale nomen apud Italos & alios habent Belgæ. Ad quod

quod reſponderi poteſt, in diverſis Regnis, diverſa vitia prædominari, & licet in ſe magna, tamen ut vilia reputari. Hoc autem oritur ex inclinatione multorum circa eadem vitia, quâ fit, ut ortâ conſuetudine, etiam graviſſima ſcelera reputentur quaſi nulla, juxta illud S. Auguſt. enchridii 80. *Peccata, quamvis magna & horrenda, cum in conſuetudinem venerint, aut parva aut nulla eſſe creduntur.* Accedit, quod ebrietas, aut ſaltem ejus periculum, quale eſt in commeſſationibus & compotationibus, alibi credatur eſſe medium maximè opportunum ad fovendam amicitiam, quâ ratione ebrietatis gravitas alibi non ita ponderatur.

Speciale tamen hoc vitium eſt in ſuperioribus, Sacerdotibus & Religioſis, & uti ait Chryſologus ſerm. 26. *Ebrietas in alio crimen; in Sacerdote ſacrilegium.* Hinc in variis Conciliis ebrietas rigidiſſimè inhibetur Clericis; & ſignanter in Concilio Lateran. Can. 15. Agathenſi Can. 41. ubi expreſsè vetatur Clericis, alios in conviviis ad bibendum incitare. Imò author quidam nomine Portel tomo 2. reſponſ. moral. caſu 35. docet, quod Religioſus, qui ſæpè cum ſæcularium ſcandalo ſeſe inebriat, nec admonitus reſipiſcit, nec ſperetur emendatio, poſſit ob hoc privari habitu & à Religione expelli tamquam incorrigibilis.

Quæret aliquis, quibus mediis poſſit ſuperari ebrietas. Reſpondet Heſſelius c. 196. in decal. duobus potiſſimùm modis illam poſſe ſuperari, primo fugiendo ejus occaſiones, puta compotationes ebrioſorum, juxta illud Prov. 23. *Noli eſſe in conviviis potatorum.* Secundo, frequenter rogando à Deo donum temperantiæ & ſobrietatis. Aliud tamen remedium ſuggerit S. Aug. Serm. 231. ubi ait: *Qui ſe de hoc malo deſiderat liberare, quomodo ſibi intervallo dierum potum addendo, ad ebrietatis tenebras pervenit: ita paulatim ſubtrahendo, ad ſobrietatis lucem redeat.* Hoc remedium aliquando de ebrioſo feciſſe ſobrium audivimus. Quamvis & hoc fatendum ſit, quod

quod ipſa ebrietas ſuo uſu vires addat, & ad ſe ipſam inflammet, & ut ait S. Baſilius homiliâ contra ebriet. quod ebrietas ebrios ardentes & ſemper bibendi cupidiores reddat: cujus ratio eſt, quod vinum & alii potus hepar accendant, fauces exſiccent, ſitim adaugeant, & conſequenter ebrioſi ſitis ipſo potu non extinguatur aut reſocilletur, ſed ad potum magis magiſque inflammetur.

Dicendum 4. mala, quæ quis in ebrietate committit, etſi non ſint voluntaria in ſe, ſunt tamen aliquando voluntaria in cauſa: quod fit, ſi quis prævidere poterat & debebat, talia mala ex ebrietate tamquam cauſa eſſe ſecutura, eo quod ſæpè expertus ſit ſe in ebrietate ſolitum eſſe illa perpetrare: aliud eſſet, ſi ne quidem in cauſa talia eſſent voluntaria, cùm voluntarium aliquod ad peccatum ſit planè requiſitum.

Provocatio ad æquales hauſtus.

Dicendum 5. provocare mutuo ad æquales hauſtus excedentes debitum modum, eſt peccatum mortale, ſi adſit interpretativa ſaltem intentio ſe aut alios inebriandi. Audi S. Ambroſ. mores aliquorum ita deſcribentem lib. de Elia Jejun. c. 13. *Primo minoribus poculis, velut velitari pugnâ præluditur: Verùm hæc non ſobrietatis eſt ſpecies, ſed diſciplina bibendi, ut irritent ſitim..... ubi ergo recalere cœperint, poſcunt majoribus poculis, fervor inardeſcit...... at ubi conſummatæ fuerint epulæ, putes jam eſſe ſurgendum: Tunc de integro potum inſtaurant ſuum, & cùm conſummaverint, tunc inchoare ſe dicunt, tunc deferuntur phialæ, tunc maximi crateres, quaſi inſtrumenta bellorum: Ac ne immoderatum hoc arbitreris, menſura proponitur, certatur ſub judice, ſub lege decernitur.* Ecce conſummatam deſcriptionem convivii Ebrioſorum hujus corrupti ſæculi. De his pulchrè etiam S. Auguſt. Serm. 231. *Majora*, ait, *pocula providentur, certâ bibendi lege contenditur, qui poterit vincere, meretur laudem ex crimine. Sed illi, qui tales eſſe volunt, miſerabiliter ſe excuſare conantur dicentes: Ingratum habe-*

beo amicum meum, ſi quoties illum ad convivium vocavero, potum ei quantum voluerit, non dedero. Et non ſit tibi amicus, qui te Deo vult facere inimicum, qui & tuus & ſuus eſt inimicus, ſi te, & alium inebriaveris, habebis hominem amicum, habebis Deum inimicum. Imò addit alibi hac de cauſa idem S. Præſul Serm. 232. *Etiamſi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur, aut bibas aut morieris, melius erat, ut caro tua ſobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur.*

Circa dictum S. Auguſtini locum ſcribit Leſſius, Auguſtinum ibi docere, potius moriendum eſſe, quam ſe inebriandum, tunc ſolùm, quando alter premeret ad inebriandum in contemptum ſobrietatis & virtutis; item etiam S. Patrem loqui de eo, qui quidem priùs ab alio eſt preſſus, poſtea tamen ſe ſua ſponte inebriat, non verò de illo, qui eſſet in periculo vitæ, niſi ſe inebriaret. Verùm infundatè: Nihil enim in dicto loco, vel contextu apparet, quod primam reſtrictionem ſubindicat. Deinde, expreſsè agit de eo, qui à viro potente premitur, & ideò putat ſe à peccato excuſari, quod ſe inebriaverit, ac deinde ponit expreſsè hunc caſum, dictis verbis, *etiamſi ad hoc veniretur, &c.* Ubi expreſsè docet, mortem potius eſſe ſubeundam, quam etiam in tali periculo animam ebrietate occidere. Unde meritò quiſpiam ſubdit hîc dicens: *Hæc doctrina Auguſtini in re morali & Chriſtianâ authoritatis irrefragabilis, movere debuiſſet Leſſium, ne in novam illam doctrinam ſine ulla authoritate irruiſſet. Dicit quidem ita ſecum ſentire multos viros doctos in univerſitate Lovanienſi conſultos, ſed Wiggers publicus & ipſe in eadem Univerſitate per multos annos profeſſor, teſtatur illam doctrinam numquam in Scholis Academicis fuiſſe defenſam aut probatam.* Ita ille.

Doctrina autem illa erat, quod liceret ſe inebriare ad vitandam mortem, quod dicta S. Auguſtini ſententia expreſsè negat, & ratio eſt clara, quod non ſint facienda mala, ut eveniant bona, ergo nec li-

cet ſe inebriare ad evadendam mortem: dicit quidem prædictus author, quòd liceat ſumere potum largiorem, etiam ad privationem uſus rationis, ex præſcripto medici, quando id neceſſarium eſt ad curationem morbi: Ergo & idem licebit ad mandatum tyranni ad evadendam mortem. Ad quod Reſp. N. C. eo quod potus ille ex præſcripto medici abundantior, non cenſeatur eſſe nimius reſpectu talis perſonæ, in ordine ad finem talis ſumptionis, qui eſt conſervatio corporis: Adeoque actus ille ſumptionis non eſt immoderatus, nec contra virtutem temperantiæ, uti eſt actus alter, quo ſe quis ad mandatum tyranni inebriat, nec per ſe ad finem ad quem inebriatio hic conducit, ordinatur. Neque dici poteſt, quod aliqua ſint licita, etſi ſolùm per accidens ordinentur ad finem bonum, quæ de ſe ſunt illicita, v. g. abſcindere manum ad mandatum tyranni aliàs illaturi mortem: quia etiam eo dato (quod tamen negamus alibi) magna eſt diſparitas in caſu noſtro, eo quòd juxta naturæ dictamen pars exponenda ſit periculo pro toto, adeoque pars illa eo caſu cenſetur graviter obeſſe toti, ideſt corpori, pro cujus ſalute pars eſt amittenda. Inebriatio verò non ſolùm obeſt corpori, ſed & animæ, & per ſe dedecet naturam rationalem quâ talem: unde illa inebriatio non exuit illam malitiam, quia adhibetur pro conſervatione totius, ſicut nec fornicatio redderetur licita, ſi adhiberetur ad evadendam mortem à tyranno intentatam.

Quandonam quis ſit ebrius. Dicendum 6. quandonam verò quis cenſendus ſit ebrius, variant authores: Aliqui docere non erubeſcunt, eum nondum exiſtimandum eſſe ebrium, qui currum advenientem niteretur evitare, etſi præ crapulâ non poſſet. Certè magnum nondum ſopitæ rationis argumentum, quod & beſtia ſine ulla difficultate poſſet. Unde meritò talis opinio rejicitur ut exotica. Eodem jure rejicitur illa, quæ docet eum nondum eſſe ebrium, qui pedibus vacillans,

lans, oculis duplicia cernens, linguâ orbatus, cui omnia gyrari videntur, imò ſi uſque ad vomitum ſeſe ingurgitet, ſi tamen ſciat poſtridiè, quid fecerit. Certè permulti à criminibus in ebrietate commiſſis non excuſarentur, cùm probè norint poſtridie, quid antea commiſerint, etſi ex ebrietate ſubſidium quærant. Unde generali regulâ illud definire difficile quidem eſt, ſed tamen hoc pro certo eſt: Quòd ſi quis ita præ crapula ſit conſtitutus, ut cenſeatur uſu rationis deſtitutus, etſi non pro toto, tamen cenſeri poſſet ebrius. Hinc notari poteſt, poſſe dari in ebrietate varios gradus, prout quis magis vel minùs uſu rationis privatur. Magnum tamen ebrietatis ſignum eſt, ſi quis fecerit in ebrietate talia, quæ extra ebrietatem numquam ſolitus erat facere: ſi neſcierit quomodo domum redierit, ſi ſit planè incapax ad officia ſua ordinaria exequenda.

Comedere & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem.

Dicendum denique, hanc, *Comedere aut bibere uſque ad ſatietatem, ob ſolam voluptatem non eſt peccatum, modo non obſit valetudini, quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui*, ſatis Epicureorum doctrinæ affinem, jam condemnavit pro merito Innocentius XI. quo deſtruitur una fundamentum aliorum, quo volunt licitum eſſe delectationem ſenſualem propter ſe appetere.

SECTIO IV.

De Jejunio Eccleſiaſtico.

Quid Jejunium.

Dicendum primò, Jejunium *Eccleſiaſticum*, quod diſtingui ſolet, contra *naturale*, quod eſt abſtinentia ab eſca & potu, unde qui nihil ſumpſerunt dicuntur *jejuni*, eſt Religioſa obſervantia abſtinendi à cibo ejuſque certa qualitate, ad Dei cultum & hominis mortificationem aſſumpta. Hinc S. Leo Serm. 4. de quadrag. ait *Jejunium purificandis animis*

Qualitas cibi. *animis atque corporibus ſacratius inſtitutum. Qualitates* verò cibi interdictæ ſunt pro variis regnis variæ & diverſæ. Alibi omnia lacticinia & carnes & ova interdicuntur, alibi ea vel aliqua ex illis permittuntur, idque exceptis certis diebus, quibus ab omni illa cibi qualitate eſt abſtinendum, prout praxis habet hîc in Belgio. *Tempus comeſtionis.* *Tempus* autem refectionis eſſe ſolet hora undecima, & omnes ſubſequentes, etiam ad veſperam, ita tamen, ut ſola unica in die habeatur refectio. Si tamen ſit aliqua cauſa legitima, poſſet citius illud tempus præveniri, v. g. ſi eſſet iter agendum, &c.

Potus ſumptio. Dicendum 2. jejunium veterum Chriſtianorum, etiam involvebat abſtinentiam à vino, prout colligitur ex Clemente Rom. l. 5. conſtitut. Apoſt. ubi ita loquitur: *Abſtinete his diebus vino & carne.* Et S. Cyrillo Hieroſ. Cathec. 4. *jejunamus*, ait, *à vino, & carnibus abſtinemus.* Sic etiam S. Aug. Serm. 64. de temp. *qui* (ait,) *abſtinemus nos à carnibus, quibus aliis diebus licet: qui nos abſtinemus à vino, quo moderatè uti licet.* Poſtmodum tamen, ſumptio potûs non violavit jejunium Eccleſiaſticum, ſed ſolùm carnis; cujus ratio ſecundùm aliquos eſt illa, quod vinum non ſuppeditet tantam materiam libidinis: etſi enim ſit ſatis calefactivum, non tamen ſecum adfert magnam materiam, & cito tranſit ejus efficacia. Verùm enim vero, etſi ſumptio potûs extra horam refectionis jejunium non violet, illud tamen ex parte ſubmergit, quapropter peccant ii, qui compotationibus largioribus indulgent diebus jejunii, eo quod Eccleſiæ ordinationi non ſatisfaciant, quæ præcipit actum abſtinentiæ, quæ aliquando magis violatur compotatione, quam modico eſu carnium.

Tempus refectionis Dicendum 3. etſi in primitivâ Eccleſiâ refectio jejunii ſoleret ſolùm fieri poſt occaſum ſolis, in cujus ſignum in quadrageſimâ veſperæ fiunt ante meridiem; uſu tamen Eccleſiæ indultà eſt collatiuncula

ad

Digitized by Google

ad veſperam : ad hanc quid permiſſum ſit, variè altercantur. Hoc in primis verum puto, non ita de qualitate cibi non prohibitâ eſſe hìc diſputandum, quam de quantitate : quæ etſi non ità Mathematicè menſurari queat, tamen illa dici poteſt hìc eſſe permiſſa, quæ aliquali conſortationi naturæ ſubſervit, non verò plenæ refectioni, qualis eſt jentaculum aut merenda. *Collatiuncula.*

Dicendum 4. excuſant à jejunio, ætas, labor, infirmitas & paupertas. *Ætas* uſque ad annum 21. & ab anno ætatis 60. primis indulgetur non jejunare ob accretionem neceſſariam, poſterioribus, ob ſenectutem & obligationem vires conſervandi; maximè, cùm ſenectus ipſa morbus ſit. *Morbus* eſt infirmitas talis aut ejus periculum, quæ cum jejunio eſt incompatibilis : quâ etiam excuſantur nutrientes & utero geſtantes, idque ob detrimentum prolis. *Paupertas*, quando quis mendicato vivens, edere debet, dum cibos habet. *Labor*, qui ſit talis, ut abſque detrimento corporis, aut ejus periculo ſtare nequeat cum jejunio. Labor hìc tam conſiderandus eſt, ex parte ſpirituali, quam corporali, quatenus labor ſpiritualis ſubinde magis conſumit ſpiritus vitales, quam labor corporalis : neque ita enervatur, qui corporaliter laborat, quam qui ſtudendo, prælegendo, concionando, &c. ſpiritualiter laborat. His annumerari ſolet *ratio itineris* : alii quatuor ad hoc leucas requirunt, alii plures : ego generali regula hoc determinarem, quod ratio itineris tum excuſet, quando ſuſcipitur tale iter, ſive pedes, ſive equo, ſive curru, ſive navi, quod cum jejunio ſine damno corporis aut ejus periculo non poſſet ſuſtineri. Hoc autem quandonam ſit, prudentia Chriſtiana disjudicet. *Excuſatio à jejunio ætas.* *Morbus.* *Paupertas* *Labor.* *Itineratio.*

Quæret aliquis, an etiam ſenes robuſti ſexagenarii eximantur à jejunio : reſpondent varii quod non, eo quod diſpenſatio jejunii quoad ſexagenarios, ſolùm ſit propter defectum naturæ, qui defectus in robuſtis

buſtis illis ceſſat, & conſequenter diſpenſatio. Alii tamen verius docere videntur, omnes omnino ſexagenarios à jejunio liberari, eo quod robur ſenum ſit valdè inconſtans & fallax, cui proinde per cibum debet provideri: deinde, natura ſenum ſemper ad interitum tendit & deficit, adeoque eget adminiculo cibi frequentioris, ut huic quoque naturæ defectui provideatur, tam præſenti quam inſtanti ſeu futuro.

Aliqui tamen non ſolùm ſexagenarias feminas excuſant, ſed & quinquagenarias: ratio eorum eſt, quod feminæ & citius accreſcant & adoleſcant, quam mares, & conſequenter citius decreſcant, deficiente in feminis citius calore, quam in viris: adeoque indigent crebriori cibo refici feminæ quinquagenariæ, uti ob eandem rationem indigent viri ſexagenarii Hanc ſententiam ob dictas rationes probabilem ſpeculativè indicat Sanchez de Matrim. l. 7. diſp. 32. num. 17. etſi eam in praxi conſulere non audeat, quia forte eam primus diſcuſſit: communior enim opinio, à qua non licet ſine ſufficienti fundamento recedere, abſolutè & indiſcriminatim docet tam viros quam feminas ſexagenarias ſolùm eximi à lege, jejunii, cui proindè in praxi eſt adhærendum.

Quæret aliquis, an Religioſi profeſſi teneantur jejunare ante annum 21. & poſt 60. reſpondent aliqui ad prius quod non, eo quod regula non videatur eſſe arctioris vinculi, quam lex Eccleſiæ, quæ ejuſmodi à jejunio eximit. Alii tamen veriſſimè docent, etiam ejuſmodi ætatis Religioſos teneri ad jejunandum: quod intellige, tam de jejuniis Eccleſiæ generalibus, quam de jejuniis ſui Ordinis: ratio autem hujus eſt illa, quod ad hoc ſeſe voluntariè adſtrinxerint voto per profeſſionem, adeo ut ſicut teneretur ad jejunium adoleſcens 16. annorum, ſi ad jejunandum ſe voto adſtrinxiſſet; ita & Religioſus ante 21. profeſſus.

Ad

Ad poſterius verò, verius doceri videtur, ſenes illos ſexagenarios non teneri ad jejunium tam Eccleſiaſticum, quam ſui ordinis. Ratio ejus eſt, quòd jejunia Religioſorum ſequantur naturam jejunii Eccleſiæ, quod non obligat ejus ætatis perſonas: adeoque nec jejunium ſui Ordinis obligat ejuſmodi ſenes. Dicet aliquis, quod etſi jejunium Eccleſiæ non obliget adoleſcentes ante annum 21. tamen Religioſos profeſſos talis ætatis obligat juxta mox antedicta: ergo etiam jejunium ordinis poteſt obligare ſexagenarios, etſi jejunium Eccleſiæ eos non obliget. Reſp. Quod Religioſus ante annum 21. teneatur jejunare, illud eſt vi voti, uti eſt dictum: & quamquam aliquis ſe poſſit obligare voto ad jejunandum etiam ultra annum 60. tamen contrarium eſt præſumendum de intentione Religioſorum, qui cenſentur ſe obligare ſolùm uſque ad ætatem ſenilem; neque iterum dici poteſt, quod idem præſumendum ſit de Religioſo juvene, puta quod ille etiam velit ſe ſolùm obligare, ut alios adoleſcentes ad jejunandum, eo quòd Religioſus juvenis per profeſſionem cenſeatur cedere indulgentiæ datæ juventuti ad non jejunandum, ad quod ſupponitur ſatis aptus, ut ad alia Religionis onera: Religioſus verò ſenex, ſupponitur ex communi defectu ætatis impotens ad jejunandum, adeoque non tenetur ad jejunium, nec cenſetur ſeſe ultra eam ætatem velle obligare.

Quæret aliquis, quis poſſit diſpenſare in lege jejunii. Reſp. Certum eſt poſſe Epiſcopum, cui illud de jure competit. Poteſt itidem in ea lege diſpenſare & Parochus, uti habet praxis, non enim ſolet adiri Epiſcopus, ſed Parochus. Verum quidem eſt, quod illud de jure non competat Parocho, ſed ſolùm ex conſuetudine quæ dedit illi juriſdictionem, quod conſuetudo facere poteſt, maximè quoad caſus frequentiores. Deinde juſtum eſt, quod in illam juriſdictionem conſentiant Epiſcopi, eo quod aliàs

 eſſet

eſſet onus intolerabile ſemper recurrere in hoc caſu ad ſuperiorem.

Poteſt itidem in lege jejunii diſpenſare Prælatus Regularis cum ſuis Religioſis, eo quod Prælatus ille habeat juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ſuos ſubditos, unde ſicut poteſt eorum vota relaxare, ſic & jejunia Eccleſiaſtica. Ita D. Thom. 2. 2. qu. 147. art. 6. & alii communiter.

Dicendum 5. ex dictis in materia de legibus, conſtat peregrinos teneri legibus locorum per quæ transeunt; ita quoque tenentur eorumdem locorum jejunia obſervare, uſu fidelium hanc obligationem inducente, & ab Eccleſia approbata. Vide dicta loco citato.

SECTIO V.

De Luxuria, ejuſque ſpeciebus.

Quid Luxuria, quale peccatum.

DICENDUM primò. *Luxuria* eſt omnis inordinatus exceſſus in re venereâ: eſt de ſe peccatum mortale, cùm luxuria, inter opera carnis ab Apoſtolo numerata, regno Deo excludatur Gal. 5. ex hoc vitio varia alia naſcuntur crimina, ut turpiloquia, ſcurrilitas, cæcitas mentis, amor ſui, odium Dei, &c. ſpecies ejus ſunt numero 6 fornicatio, ſtuprum, raptus, adulterium inceſtus & vitium contra naturam. Alii addunt ſacrilegium, quod alii ad adulterium reducunt. Alii quoque addunt luxuriam inter maritatos, ut Bonaventura.

Quotuplex ſit Luxuria.

Quid Fornicatio.

Fornicatio eſt copula illicita ſoluti cum ſoluta. Eſt hæc peccatum mortale, idque non ideo, quia inhibita, ſed ideo inhibita quia per ſe, ſive intrinſecè mala. Quod ſit mortale, patet ex S. Scriptura, quæ fornicarios Dei regno excludit 1. Cor. 6. & Gal. 5. ad Eph. 5 quod verò ſit per ſe mala, probant alii ex eo quod ſit contra bonum prolis, tam concipiendæ, quam edu-

educandæ: verùm quia hoc à multa fornicatione abeſſe poteſt, meliorem dant alii ejuſdem rationem, quod Deus inhibeat uſum ſeminis extra legitimum matrimonium, quod in omni fornicatione reperire eſt. Quod verò ſit intrinſecè mala, jam pridem declaravit Pontifex Innoc. XI. condemnando hanc ſequentem: *Tam clarum videtur, fornicationem ſecundum ſe nullam involvere malitiam, & ſolùm eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi diſſonum videatur.* *Malitia Fornicationis.*

Stuprum eſt violatio virginitatis injurioſa. Injuria illa cenſetur adeſſe, ſi importunis precibus virgo quaſi ad copulam cogitur: quando ad eam metu gravi adigitur, quando vi vel fraude, &c. Ad quid teneatur virginis ſtuprator, vide dicta de reſtitutione. *Stuprum.*

Raptus eſt quando perſona aliqua libidinis causâ vi abducitur. Vitium hoc, uti præcedens, ultra malitiam luxuriæ, habet malitiam injuriæ gravis, adeoque illa confeſſario eſt neceſſariò aperienda. Gravibus verò pœnis plectuntur raptores, de quibus videri poteſt Conc. Trid. ſeſ. 24. c. 6. de reform. Matrim. *Raptus.*

Adulterium quaſi ad alienum thorum, eſt alieni thori violatio. *Nolite errare, neque fornicarii, neque adulteri, neque molles regnum Dei poſſidebunt*, ait Apoſt. 1. Cor. 5. deinde præter malitiam ſimplicis fornicationis, continet injuriam gravem in conjugem, neque hic facultatem dare poteſt concumbendi, neque juri ſuo cedere, quo minus alter cum ſua comparte concumbens non committat verum adulterium, unde meritò damnata eſt hæc propoſitio ſubſequens: *Copula cum conjugata, conſentiente marito, non eſt adulterium, adeoque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum.* Ad quid teneatur adulter & adultera dictum eſt etiam agendo de reſtitutione. *Adulterium.* *Propoſitio*

Inceſtus eſt congreſſus cum conſanguinea, vel *Inceſtus.*

affine uſque ad 4. gradum. Eſt hoc vitium adulterio gravius, nam ut ait S Aug. de adult. conjug. *adulterii malum vincit fornicationem: vincitur autem ab inceſtu.* Hinc pœna mortis in V. L. fuit illis indicta; qui turpitudinem illorum revelabant, & tantum ſcelus committebant.

Vitium contra naturam. *Vitium contra naturam* eſt coitus contra naturam ejus exercitus: natura autem ejus exigit, ut ex eo poſſit concipi proles, adeoque ſit conjunctio duorum diverſi ſexûs, fiat modo & in vaſe debito; hinc dividi ſolet in ſodomiam, beſtialitatem & pollutionem ſive mollitiem.

Sodomia. *Sodomia* eſt coitus libidinoſus in vaſe à natura ad generationem non ordinato. Crimen hoc eſt graviſſimum, ob quod urbes & cives ſunt divinâ irâ, igne combuſti: Geneſ. 19. de his & Apoſtolus Rom. 1. ita ait: *Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ; nam fœminæ eorum immutaverunt naturalem uſum, in eum qui eſt contra naturam. Similiter autem & maſculi relicto naturali uſu feminæ, exarſerunt in deſideriis ſuis in invicem, maſculi in maſculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris ſui in ſemetipſis recipientes.*

Beſtialitas eſt coitus hominis cum bruto. *Qui cum jumento & pecore coïerit, morte moriatur, pecus quoque occidite*, ait Script. Levit. 20. quam execranda ſint hæc ſcelera, oſtendunt pœnæ civiles.

Pollutio. *Pollutio* ſeu *mollities* eſt libidinoſa ſeminis effuſio extra vas naturale ad generationem ordinatum: debet autem, ut ſit peccatum, eſſe voluntaria in ſe, vel in cauſa: ſi verò ex occaſione alicujus functionis debitæ oriatur, neque ullo modo in eam delectando conſentit, v. g. ſi quis eam patitur confeſſiones excipiendo, ſtudendo in hac materia, curando partes impudicas alterius ſexûs; non cenſetur eſſe voluntaria, ſed ſolùm permiſſa. Notandum

Pollutio ſimilitudinaria. verò dari pollutionem ſimilitudinariam, ſive fluxum ſeminis, ſive potius humorem ſemini ſimilem, quæ

quæ non habet rationem nec culpam veræ pollutionis, & in viris, materiis his intentis facilè ſtillat. Ex dictis de fornicatione & mutilatione conſtat pollutionem eſſe intrinſecè malam, unde rurſum hæc ab Innocentio XI. damnata: *Mollities jure naturæ prohibita non eſt: unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona & aliquando obligatoria ſub mortali.*

Sacrilegium eſt violatio rei ſacræ per actum venereum, puta cum perſona aut abuſu rei ſacræ, in loco ſacro, niſi neceſſitas hic excuſet, ut dum conjuges ratione militiæ aut belli in templo concluſi incurrerent periculum incontinentiæ. Alii docent, ſi etiam ſine causâ, copula in loco ſacro habita, ſit occulta, non eſſe ſacrilegium; verùm contrarium eſt verius, nec ideo violatur, quia aliquid fit publicum: ſed quòd irreverentia loco ſacro irrogetur. *Sacrilegium.*

SECTIO VI.

De aliis ad luxuriæ vitium pertinentibus.

Dicendum primò, Oſcula, ſi fiant more Patriæ in adventu aut diſceſſu amicorum, causâ fovendæ amicitiæ & honeſtatis, aut causâ honoris, quomodo filii oſculantur parentes, Magdalena pedes Salvatoris, & Apoſt. 1. Theſſ. 5. dicit, *Salutate omnes in oſculo ſancto*, non ſunt peccatum, niſi adſit periculum luxuriæ. Si vero hæc aut alia quæcumque oſcula dentur ex affectu libidinoſo, aut cum morali periculo ſimilis delectationis, erunt peccata mortalia. Hinc ſi oſcula causâ honeſtatis data, poſteà in decurſu ſint cauſa talis delectationis aut periculi ejuſdem ab iiſdem prorſus erit abſtinendum. Si vero ex tactu manûs v. g. percipiatur ſola delectatio tactûs, quæ ex tactu rei amabilis *Oſcula.*

 oriri

oriri ſolet, non auſim in univerſum talia peccati mortalis condemnare. Pro cujus intelligentia notandum eſt, verius videri, in materia luxuriæ dari poſſe parvitatem materiæ, uti mox probabo. Quo poſito, etſi tactus illi ordinati ſint ad affectus libidinoſos promovendos, tamen ſicut non obſtante tali periculo, causâ amoris & honeſtatis dari poſſunt oſcula, ſic etiam etſi delectationem in parte ſenſitivâ ſolum excitent, non ita ardentem, ut ſit periculum morale conſenſûs ulterioris venerei, ſed ad ſummum periculum ejus valde remotum, ratione cujus non eſt damnandus ejuſmodi tactus ſemper peccati mortalis. Conſtabit hoc pleniùs ex dicendis.

Tactus inhoneſtus. Dicendum 2. Tactus partium inhoneſtarum causâ medicandi, aut alterius neceſſitatis in ſe, aut aliâ admiſſus aut commiſſus, omni culpâ vacat, etſi aliquando per accidens turpis commotio in parte ſenſuali concurrat, modo conſenſus abſit. Unde dicta intellige de tali tactu ſecundùm ſe conſiderato. Si vero affectu libidinoſo tactus ille fiat, indubiè eſt peccatum mortale, cùm per ſe ad libidinem tendat. Imo, ſi ſit tactus partis honeſtæ, v. g. manûs aut preſſio pedis, & ex tali intentione & affectu ſimilia prodeant, erunt peccata mortalia, etſi de ſe ſint honeſta, ratione affectûs libidinoſi, ex quo procedunt.

Aſpectus inhoneſtus. Idem pariformiter dicendum eſt de aſpectu partium inhoneſtarum, qui ſi fiat causâ juſtæ neceſſitatis, vacat culpâ: ſi verò fiat causâ libidinis & ex affectu libidinoſo, ut dum invicem ad libidinem fixis aſpectibus inflammant, aut per aſpectus illos voluntariè ſe, aut alios periculo libidinis objiciunt, peccata ſunt mortalia, nam oculi ſunt in amore duces, & aliquando deprædantur animam, ut dicitur Thren. 3. Et aliquando oculi ſunt pleni adulterii 2. Petri 2.

Aſpectus actus libidinoſi mulieris cum viro, ob pericu-

periculum libidinis, eſt peccatum mortale, ſi aſpectui tali quis inhæreat, etſi ex ſola curioſitate, cùm curioſitas illa, in libidinem plerumque tranſeat. Hinc parentes, qui in conſpectu puerorum aut domeſticorum concumbere non erubeſcunt, peccant mortaliter, dando & cauſando adſpicientibus periculum morale libidinis. Si verò ſit adſpectus coitûs brutalis, non ita ſtatim eſt peccatum mortale, maximè ſi fiat ex curioſitate, & ſi periculum luxuriæ abſit, cùm ex natura ſua non ita proximè creet periculum libidinis. Hoc tamen hic notatum velim praxim apud ruſticos eſſe deteſtandam, quâ puellas paſſim cum vaccis ad taurum deſtinant, ut à tauro concipiant, non ſine periculo affectûs libidinoſi puellarum ex aſpectu talis coitûs. *Aſpectus actûs libidinoſi.*

Dicendum 3. Peccant mortaliter qui componunt cantiones inhoneſtas, cùm vix fieri poſſit, quin ſint cauſa libidinis in alio, vel ſeipſis. Qui verò eas cantant, non ita ſtatim condemnandi ſunt ſimilis peccati, ſed prudenter videndum: an cantando tam ſibi, quam audientibus non creaverint morale periculum libidinis, quo caſu ſortiretur cantilena effectum turpiloquii: Aliud eſſet ſi ex vanitate aut levitate, illas cantarent, quo caſu, ſi abſit omne periculum libidinis, non erit peccatum mortale eas decantare. Peccant quoque mortaliter, pictores, & alii artifices, qui pingunt vel fingunt picturas aut ſtatuas inhoneſtas, cùm vix fieri poſſit, quin ſint cauſa libidinis aliquorum adſpicientium. *Cantantes impudicas cantilenas.* *Pingentes picturas inhoneſtas.*

Dicendum 4. Excuſant *aliqui ruſticos, qui in diebus Feſtis ducunt choreas, modo fiant poſt Miſſam: Tum quia otio alias vacarent: quod pejus eſſet: Tum quia fiunt pro more Regionis, & coram aliis publicè, ideòque magna ex parte aufertur libidinis occaſio: Tum denique, quia videntur conciliatrices omnis benevolentiæ inter adoleſcentes & puellas, unde ſæpius contrahuntur matrimonia inter illos. Tollendi tamen ſunt abu-* *Chorea.*

ſus, ſi qui miſceantur, & modeſtia procuranda, quoad ejus fieri poteſt: Ita fere quiſpiam Theologus.

Chorea an ſint licitæ. Verum, etſi choreas ducere aliquando ſit honeſtum & laudabile, uti conſtat Exodi 15. 2. Reg. 6. tamen aſſero, plerumque tales choreas modernas, & compotationes ad cereviſiam (ut vocant) vix excuſari poſſe à peccato. Pro quo notandum eſt, conditiones liciti chori à Theologis poni, ut prima ſit, ut fiat chorus inter perſonas competentes, cùm religioſi ob ſcandalum ab hoc prohibeantur. 2. Ut omnis geſticulatio libidinoſa evitetur. 3. Ut ſit intentio ſolius recreationis honeſtæ. 4. Ne, qui ſe fragilem ſentit, iis ſe immiſceat. His poſitis, rogo animos non præoccupatos, an promiſcuè tales conditiones adſint? An animo indulgendi genii, an fovendæ libidinis eo divertant? certè effectum declarant quotidianæ experientiæ. Notum eſt Confeſſariis, & aliis animarum rectoribus, ejuſmodi conventiones eſſe luxuriæ ſcholas, & mutuæ libidinis fornaces: probat id praxis continua. Nec hic ab alio officit prætenſa excuſatio, quod aliàs otio vacarent, quod matrimonia concilient, &c. Non enim bonus finis malo medio debet aut poteſt intendi, nec ideo otio vacare debent, ſed habent, quod honeſtè agant aut recreationis causâ ludendo, aut alio ſeſe divertendo. Unde rectè quiſpiam definit choreas modernas, *eſſe circulum, cujus centrum Diabolus, circumferentia omnes Angeli ejus.* Idem & majori jure aſſeres de conventibus & converſationibus ut vocant, in civitatibus inter juvenculas & adoleſcentes, in quibus luxuria præſidet, prodigalitas aſſidet, & gula ancillatur, maximè cùm jam inolevit nefarius quarumdam ornatus, de quo ſtatim. Denique, raros exiſtimo, qui ad conventicula ejuſmodi convenerunt, quin, ſi candidè confiteri velint, cogentur aſſerere, periculo libidinis ſæpè ſeſe hoc pacto expoſuiſſe.

Definitio Choreæ. Converſationes.

Dicendum 5. peccant mortaliter puellæ ornando

ſe

ſe laſcivè, uti faciunt, quæ media ex parte oſtentant nuda ubera, aut ſolum tranſparenti materiâ obtegunt. Ratio eſt, quod, uti oſtendimus, peccent mortaliter, qui pingunt picturas inhoneſtas, ergo magis illæ, quæ non in figurâ, ſed reipsâ, membra ad libidinem inflammantia aliorum aſpectui voluntariè objiciunt: Unde peccant peccato quoque ſcandali, uti de ſcandalo agendo demonſtravi, & earum falſos prætextus diſſolvi, quæ revidenda relinquo. Hoc ſolum addo, quod & mortalis damnandæ ſint, etſi nullâ libidinosâ intentione ſeſe ornarent, *ornatus enim*, ut ait D. Thom. *non intentio provocat ad libidinem.* Audi & D. Hieron. Epiſt. ad Euſtoch. *Si vir vel mulier ſe ornaverit, & vultus hominum ad ſe provocaverit, etſi nullum inde ſequatur damnum, judicium tamen patietur æternum, quia venenum attulit, ſi fuiſſet, qui biberet.* Rem noſtram plenè confirmat D. Dionyſ. Carthuſ. in directorio vitæ nobilium art. 14. ubi ait: *Quod in præfato ornatu ſuperfluo & veſtitu pompatico ſcandaliſativo conſiſtat peccatum mortale, nam ſancti Patres & glorioſi Illuſtriſſimique Doctores, contra ornatum ſuperfluum & exquiſitum, curioſum ſuperfluumque veſtitum tam rigorosè non ſcriberent niſi in eis mortalem culpam exiſtere judicaſſent: venialia quippe peccata talem reprehenſionem & condemnationem non promerentur.* Optandum eſſet, ſi veſtitus ab 100. annis uſitatus reſumeretur, qui quam fuerit honeſtus, tabulæ illius temporis probè oſtendunt. Concludo cum Tertul. de velandis virg. *Oro te ſive mater, ſive ſoror, ſive filia, ſecundùm annorum nomina dixerim, vela caput. Si mater propter filios, ſi ſoror propter fratres, ſi filia propter patres, omnes in te ætates periclitantur.*

Ornatus laſcivus.

SE.

Sectio VII.

An in materiâ Luxuriæ detur parvitas materiæ?

Item

An detur ignorantia invincibilis fornicationis pollutionis, &c.

Dicendum primò, ſunt, qui contendunt in materiâ luxuriæ dari parvitatem materiæ. Ratio illorum eſt, quod fieri poſſit, quod materia luxuriæ diſponat quidem aliquo modo ad libidinem, ſed non multum, nec adeò propinquè, ut eâ ratione ob periculum, incurratur peccatum mortale, prout accidere poſſet in preſſione manûs aut pedis leviori, ſaltem quoad homines hujus climatis. Verum quidem eſt, dicunt illi, quod in hâc materiâ adeò lubricâ præſtet proponere ſtrictius, quam laxius; verùm ultrà hæc præſtat veriùs. Neque hîc obedientiam opponi ſinunt, quia excepto eo, quòd doctrina debeat eſſe libera, nec reſtricta, niſi veritati: Tamen in decreto P. Aquavivæ Soc. Jesu Gener. ſatis famoſo, hoc ſpecialiter notari volunt, quòd dicat In re venereâ *exiguam voluptatem quæſitam, non excuſandam à mortali.* Ubi & ſuis ſubditis ſtrictè prohibet contrarium docere tamquam probabile. Hîc inquam, notari volunt eo *in re venereâ*, quod idem ſignificat, quod perfecta libido, vel ejuſdem morale periculum: quo ſenſu etiam intelligenda eſt declaratio Card. (ſi quæ ſit approbata à Clemente VIII.) de eadem cauſa, quæ docet, non dari parvitatem materiæ in re venereâ. Aliàs enim mortalis ſemper argui deberet, qui ex levi voluptate tangit puellæ manum, premit digitum, pedem, &c. ſine ullâ ulteriori intentione libidinoſâ, quod communi Theo-

Theologorum ſenſui repugnat. Idem dic de levi aſpectu. Ità quidem illi. Dictæ ſententiæ ſubſcribit Illuſtriſſimus Malderus urbis noſtræ Episc. 1. 2. qu. 74. a. 10. utens dictâ ratione ultimâ, pro ſuâ confirmatione, & addens, quod non appareat ratio, quare hîc non poſſit excuſare levitas materiæ à mortali, ſicut in aliis peccatis: prudentiſſimè tamen concludit, utramque ſententiam eſſe ſaltem ſpeculativè probabilem: *Nam moraliter loquendo*, ait, *poſterior* (ſcil. affirmans) *Non videtur ſatis ſecura in praxi, ideoque non expedire eâ uti, præſertim ante factum propter pondus nos circumſtantis peccati: quo efficitur, ut non facilè in hoc genere moderamen aliquod ſervetur, quin ſubſit majoris culpæ periculum: qui autem amat periculum, peribit in illo.* Ità Illuſtriſſimus Liberius Caramuël in Reg. S. Bened. diſp. 68. dicit ſe numquam intelligere potuiſſe ſententiam negantem parvitatem materiæ in hoc caſu, neque ſe auſurum eamdem contra mediocriter doctos defendere: additque eam ſe vidiſſe aliquoties defendi, ſed numquam benè. Undè concludit dicens: *Dico igitur dari laſcivas actiones, quæ ſint leves.* Et allatis variis pro hac ſua ſententia rationibus longius quæſitis, ſibi objicit & ait: *Diana vir doctiſſimus edidit reſolutiones benigniſſimas: nihilominus p. 3. tract. 5. reſolut. 1. putat eſſe periculoſum aſſerere dari in re venereâ parvam & levem quantitatem.* Et reſpondet his verbis: *Ingenium Dianæ veneror, ejus induſtriâ multas opiniones evaſiſſe probabiles, quæ antea non erant, invidus ſit, qui non affirmet. Cæterum, ait, eſt unus Doctor: Nec ipſius, nec Tanneri, Caſtri, Baſilii Pontii, Leſſii, Rebellii & Aquavivæ authoritas tanta eſt, ut ob illam contraria pars non judicetur probabilior, & ſi rationem conſulamus, certa.* Deinde, ſi quærere placeat ab eodem, quæ hîc debeat cenſeri materia parva, ità reſpondet: *Aliqui aſſerunt manuum levem contactum, pedis impulſum, oſculum & ſimilia, ſublato ulteriori periculo, non eſſe gravia. Ego à delectationis quantitate,*

te, culpa magnitudinem metior, & ex meis principiis ſic philoſophor. Illa delectatio, quæ octies major ſufficeret ſemen decidere, eſt gravis, & mortaliter peccaminoſa: Quæcumque eâ minor, eſt levis. Patet, quia ex meis principiis quæ ſuperius efficaciſſimè probavi, completi operis octava pars, eſt materia minima peccati gravis: Ergò delectatio, quæ eſt minor octavâ parte delectationis completæ (ni aliud periculum ſubſit) erit culpa venialis. Denique, ſi quæras ab eodem, *Utrum in re venereâ debeat admitti etiam materia nulla, nempè quæ phyſicè ſit aliquid, ſed prudentum opinione nihil; Reſp. affirmativè: Quia commotio modica, quamdiu inſenſibilis manet, verè & realiter commotio venerea eſt: Sed ſicuti nec leviter ſenſibilis eſt, ita nec leviter peccaminoſa.* Ità Lobkowitz.

Verùm doctrina data in praxi eſt parùm tuta: Et quidquid fortè ſit nimium ſpeculationi indulgendo, hoc interim certum ſit pro praxi, hanc ab Alexandro VII. proſcriptam eſſe numero 40. *Eſt probabilis opinio, quæ dicit tantum eſſe veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſeclaſo periculo conſenſus ulterioris & pollutionis.* Neque ideo mox mortalis condemnandi ſunt, qui leviter puellæ manum tangunt, premunt digitum, &c. Cùm illud non ſit quid carnale & ſenſibile, puta aliquid venerei, aut ad libidinem ſemper diſponat propinquè, etſi in oſculis ſubeſſe ſoleat majus ejuſdem periculum. Poſſet enim & illud ſolum eſſe ſenſibile, nec tamen carnale, quale ſolùm prohibetur haberi pro veniali. Denique, cùm in moralibus non attendenda ſit ità ſpeculatio, quam praxis, vel quid fieri ſoleat; hinc jure pro praxi & damnata eſt prædicta propoſitio; & ſecura æquè ac veriſſima eſt ſententia negans ratione periculi imminentis etſi de cætero, ſpeculationi inſiſtendo, poſſet aliter contingere.

Pro pleniori tamen intelligentiâ notari poſſet, diverſitatem hanc opinandi, ex eo ortam fuiſſe, quòd non

non omnes accipiant eodem modo to *venereè* & *Carnale*, adeò ut bis aliquæ delectationes dicantur eſſe carnales & venereæ, quæ tales non ſunt aliis, ad quam reſpectivè acceptionem intelligenda ſunt, ſi quando dicitur, quòd in materiâ luxuriæ non detur parvitas materiæ, vel detur: prout etiam ſectione 7. diximus, videri verius illam dari.

Ad 2. dicendum juxtà principia à nobis in 1. 2. data, non poſſe dari ignorantiam invincibilem juris naturæ nec conſequenter fornicationis aut pollutionis, quam probavimus eſſe contrà naturæ legem in ante dictis. Deinde, hoc addunt, etiam alii huic noſtræ doctrinæ repugnantes, ejuſmodi ignorantiam vix eſſe poſſe invincibilem in pagis & urbibus Chriſtianis, ubi debita viget illorum inſtructio: Quo fit ut quando de iiſdem rogati, dicunt ſe illis actibus nihil mali attentaſſe aut ſuſpicatos eſſe, non facilè credendum ſit, cùm vix dubium, quin in commiſſione eorumdem aliquem malitiæ ſcrupulum ſenſerint, aut conſcientiæ remorſum. Cùm ergo fornicatio ſit contrà jus naturæ, dicente Soto l. 5. de jure & juſt. c. 3. a. 3. *Dicere fornicationem non eſſe contrà jus naturæ, error eſt hæreſi proximus.* Sequitur ejuſdem non dari invincibilem ignorantiam. Item dicendum eſt contrà inauditam Caramuelis ſententiam dicentis Theol. mor. num. 1603. *Si Deus mollitiem non interdixiſſet, numquam eſſet mala, ſæpè eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.* Et iterum: *Si mollities eſſet mala ſecundùm ſe, de ipſius malitia hominibus conſtare deberet.* Cùm enim & illa ſit contra jus naturæ, prout docet S. Auguſtinus l. 3. confeſſ. c. 8. dicens, *Flagitia, quæ ſunt contrà naturam ubique ac ſemper deteſtanda eſſe atque punienda, qualia*, ait, *Sodomitarum fuerunt*; cum eadem natura, cujus Deus eſt author, libidinis perverſitate polluatur: Sequitur, nec pollutionis dari poſſe ignorantiam invincibilem. Hinc jam oritur gravis quæſtio, pro qua ſit,

SECTIO VIII.

An teneantur iterare confeſſiones illi, qui ob ignorantiam ſe de pollutionibus & ſimilibus antea non accuſaverant.

Casum hunc proponit Diana p. 3. tract. 4. de Sacramentis reſolut. 108. *quidam puer uſque ad 13. annum ſe accuſavit de ordinariis pollutionibus, quas faciebat, ſciens poſtea hoc eſſe peccatum mortale, dubitatum fuit à multis Confeſſariis, an teneatur repetere omnes confeſſiones.* Et ipſe quidem reſpondit negativè, ex illo ipſius fundamento, quòd poſſit dari ignorantia invincibilis pollutionis, quod non ſit peccatum mortale. Idem tenent & alii, qui etiam nobiſcum ſentiunt non dari ignorantiam invincibilem juris naturæ, ut Gerſon, Baſſæus, & alii. Et quidem Navarrus in C. *fratres de pœnit.* diſtinc. 5. num. 82. addit, hujus dicti rationem, neminem, quem meminerit, reddidiſſe; quæ illi videtur eſſe illa, quod, quæ ignorantia non reddit actum peccandi involuntarium, poſſit reddere omiſſionem illius confitendi involuntariam. Et in Manuali V. *Confeſſio* c. 9. num. 15. indè concludit: quòd conſequenter pueri vel puellæ, qui grandiores facti novè agnoſcunt eſſe peccatum mortale, quod aliàs omiſerunt confiteri, ignorantes illud eſſe tale, non tenentur iterare confeſſionem eorum, quæ confeſſi fuerunt. Poſterior verò V. *Confeſſio* VI. num. 6. ita ſubdit: *qui aliquod peccatum mortale ex ignorantiâ vincibili mortaliter prætermiſit in confeſſione explicare, putans non eſſe mortale, quamvis, quando peccatum perpetratum eſt, non fuerit ille excuſatus à peccato mortali, excuſatur tamen ab iterandâ confeſſione, & ſatisfacit repetendo peccata in confeſſione prætermiſſâ. Ratio eſt, quia ignorantia illa, quamvis vincibilis fuerit reſpectu actus peccati,*

cati, poteſt eſſe invincibilis reſpectu omiſſionis in confeſſione. Undè excuſantur pueri & puellæ, &c. In quâ quidem quæſtione hoc certum eſt, pro majori ſecuritate conſulendum eſſe ſimilibus, ut confeſſionem inſtituant generalem. Ad quod ſi induci nequeant, ſatis fundatam exiſtimo doctrinam, & ſufficere, ſi eadem peccata omiſſa, ut alia omiſſa clavibus ſubjiciant, ob rationem mox ante datam. Addit D. Havermans Tyroc. tr. 1. c. 8. §. 14. præſumendum eſſe de divinâ bonitate, eam non velle tam ſtrictè conſcientias conſtringere quoad confeſſiones. Quare ſi alibi dari poſſit Sacramentum validum & informe, maximè hoc fieret in hoc dicto caſu.

Idem quoad ignorata ignorantiâ vincibili juris divini, quæ non ſit mortaliter mala, tenet eximius D. Sylvius 3. p. q. 9. art. 2. quæſito 4 ubi ait: *quia ergò pueri, qui grandiores facti agnoſcunt aliquod eſſe peccatum mortale, quod aliàs omiſerunt confiteri, ignorantes illud eſſe tale: ſupponuntur probabilem ignorantiam habuiſſe: ideo non tenentur iterare confeſſionem eorum, quæ prius fuerunt confeſſi. Quia licet ignorantia legis divinæ non excuſaverit eos à peccato pollutionis v. g. furti & ſimilium: excuſavit tamen, ne peccarent id non confitendo.* Cùm ergo ob craſſiores ignorantiæ juris naturæ tenebras, aliquando poſſit peccari ſolùm venialiter, cum ignorantia illa ſubindè excuſet à tanto etſi non à toto: poſſet conformiter concludi pro caſu noſtro, ex datâ doctrinâ Sylvii, quod etſi ignorantia illa non excuſaverit aliquem à peccato pollutionis v. g. excuſaverit tamen, ne peccarent id non confitendo. Ut ut ſit, certum eſt quod loco ſupra citato de ſe fatetur Diana, quod ſententia negans iterandam confeſſionem, in praxi liberet Confeſſarios à multis laboribus & perplexitatibus.

Hoc quoque hîc notari poſſet, infundatam eſſe pro datâ ſententiâ rationem, quòd ſcilicet non debeamus confiteri id, quod in juventute fecimus, ignorantes eſſe peccatum: eò quod ad peccandum de-

debeamus habere notitiam malitiæ, dum rem committimus, nec ſufficiat poſtea intelligere, quod eſſet malum. Licet enim juxta dicta, opinio illa negans ſit ſatis fundata: infundata tamen eſt dicta ejus ratio, provenienſ ex infundato fundamento: quod ad peccandum requiratur actualis advertentia malitiæ, quod alibi in 1. 2. rejecimus.

APPENDIX.

An meretricia publica poſſint permitti in Republicâ Chriſtianâ.

NOLIM hîc condemnare ullos Chriſtianos Principes, qui meretricia publica in ſuis civitatibus permittunt, ſed ſolum oſtendere, quid de jure divino, & juxtà rectum ordinem fieri expediat. Et imprimis certum eſt, nihil ſectariis noſtris ità commune eſſe, quam hâc de causâ condemnare & conviciari Principes & Reſpublicas Chriſtianas, & præcipuè ipſum Summum Pontificem, quod meretricia Romæ permittat. Nec tantum ſectarii, ſed & quidam Catholici idem attentarunt, inter quos liberior in hâc causâ fuit quidam Claudius Spencæus Pariſinus, & alii plurimi hanc permiſſionem in Republica Chriſtiana condemnantes.

Primò quidem, quod meretricia ſint jure divino interdicta Deut. 23. ubi dicitur: *Non erit meretrix de filiabus Iſraël, nec ſcortator de filiis Iſraël.* Unde dictus Spencæus: *hujus*, ait, *permiſſionis nos non ſemel puduit Chriſtianam ſcilicet Rempublicam eo carere non poſſe, quod tamdiu hoc eſt annis pluſquam* 1500. *non admiſit Moyſaica.* Addens eam Judæorum eſſe legem in hunc uſque diem, quod nulla ſcorta permittant. Hanc illorum legem confirmat Orig l. 4. contra Celſum dicens: nullæ fuere meretrices juventutis peſtes in eorum Republicâ. Et Clemens l. 3. ſtrom.

&

& alii docent apud eos capitale fuiſſe meretricari. Secundò eadem damnant SS. Patres: Hieron. Epiſtolâ ad Oceanum ità ſcribit: *Cæſarem non Chriſtum, Papianum non Paulum, viris impudicitiæ frena laxare & lupanaria permittere.*

S. Auguſt. l. 2. civit. c. 20. lupanaria numerat inter illicita, ac peſſimam dicit Rempublicam, *Ubi abundant publica ſcorta.* Deinde ex eodem S. Patre dicitur cap. *nubendi 27.* q. 1. *Fornicatio autem nulli impunè conceditur.* Lactantius autem l. 6. c. 23. dicit lupanaria eſſe invecta à dæmone.

Tertiò, eadem damnant innumera eaque graviſſima mala; quæ ex tali ſcortatione proveniunt. Primò, quod meretrices iram Dei provocent, ut patet Deut. 22. quod apoſtatare faciant ſapientes: quod per eaſdem propagatio generis humani impediatur, unde fit, quod innumeri honeſta matrimonia inire detrectent, dum hâc viâ ſuæ concupiſcentiæ poſſunt mederi: quâ vel ſolâ ratione videtur permiſſio meretricum contraria legi naturali, dum eſt contra finem à naturâ conſtitutum, ne liceret congredi, niſi ob ſuſceptionem, aut propagationem prolis, quem meretricia impediunt, ut mox oſtendi.

His & aliis rationibus convicti, plurimi Chriſtiani Principes, meretricia proſcripſerunt, uti fecit S. Ludovicus Pariſiis, Philippus IV. Hiſpaniarum Rex: & anno 1624. Dux Lotharingiæ. Imò præclarè S. Pius V. Romæ meretricia interdixit, contra populi Romani voluntatem & reclamationem. Sic & nuper urbem noſtram ab eodem ſcandalo & malo liberavit Nobiliſſ. & Ampliſſ. DD. Alexander della Faille, urbis noſtræ prætor, &c. quod tamen aliis ſuis prædeceſſoribus judicabatur factu eſſe impoſſibile: quo facto, unà urbem noſtram ſibi maximè obſtrinxit.

Nec ſolùm id à Principibus Chriſtianis, ſed & ab ethnicis & infidelibus idem eſt ſtatutum: teſte Phylarcho, apud Glos meretrices non ſunt permiſſæ.

Teſte Petro Martyre l. de novo orbe, meretrices plectuntur morte in inſulâ Palmariâ. Periander Rex apud Corintos meretrices undâ ſubmerſit, teſte Heraclid. de politiis, de politia Corinthiorum.

Unum eſt illudque præcipuum, quod permiſſio illa abſolutè ſit neceſſaria, ad præcavenda graviſſima mala; puta vagas libidines, adulteria, &c. juxta illud D. Auguſt. *Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.* Idem etiam docet S. Thom. 2. 2. quæſt. 10. a. 11. & de regimine Princip. l. 4. c. 14. ubi ait: *Tolle cloacam & replebis fœtore totum Palatium: tolle meretrices de mundo & replebis ipſum ſodomia.* Ad quod reſpondent aliqui, hâc permiſſione vagas libidines non evitari, ſed potius inflammari, uti clarè patet in eis urbibus, ubi lupanaria permittuntur. Ratio hujus eſt, quod una libido inflammet aliam, cum ſit inſatiabilis; undè ſemper alios & alios modos excogitat, quibus ſatietur, nec ullis finibus ſe cohibet aut conſiſtit. Undè S. Hieron. contra Jovinian. ait, libidinem poſt copiam eſſe inopem, nec ipſo uſu extingui, ſed immoderatius ac vehementius inflammari.

Quod autem communiter objicitur ex S. Auguſtino, notant varii, illud in eo non reperiri, maximè cum S. Auguſt. meretricia condemnet, uti vidimus: quia tamen à S. Thoma adfertur, & approbatur, reſponderi poteſt; quod ad mala graviora præcavenda aliqua minora poſſint permitti, non quidem ea mala approbando, ſed non puniendo & Dei judicio eadem relinquendo. Hoc tamen ſincerè notandum eſt, ſæpè timorem gravioris mali eſſe infundatum, quâ ratione nec ipſa permiſſio, quæ illius mali evitandi causâ adhibetur, licita eſt, ſed condemnanda.

Addunt tamen varii, quod ubi meretrices permittuntur, aliqua pœnalia illis debeant injungi, in ſignum quod ſolùm permittantur, non approbentur: v. g. quod debeant habitare in loco urbis viliori,

ab

ab honeſtioribus locis poſſint expelli, non poſſint vehi rhedis, ſi diſcedant ſine pœnitentia ex hac vita, ſepeliantur ſepulturâ aſini, uti fit Romæ, ubi ſimiles ſepeliuntur extra urbis muros in loco ad hoc conſtructo, vulgo *muro torto.*

Ex dictis omnibus manifeſtè liquet ſummâ curâ ac diligentiâ, quoad fieri poteſt, huic malo eſſe obviandum, tum ut ſcandala tollantur, tum ut Ira Dei & vindicta evitetur, quæ per meretrices provocatur.

Digitized by Google

TRACTATUS V.

CAPUT PRIMUM.

De Myſterio Incarnationis.

SECTIO PRIMA.

An Incarnatio poſſibilis ſit, conveniens, & neceſſaria.

NE homo diabolicæ fraudis aſtutiâ jam actus in culpam, contrà Dei propoſitum periret; opus fuit ſecreti diſpenſatione Conſilii, quo Deus miſit filium ſuum in hunc mundum, factum ex muliere, factum ſub lege ut eos qui ſub lege erant, redimeret. Ex eo autem, quòd incarnatio facta ſit, rectè conſequitur eam eſſe poſſibilem.

Poſſibilis eſt incarnatio Chriſti.

Deinde in eo nulla apparet implicantia, quòd filius in divinis aſſumat naturam humanam, quod incarnatio importat, cùm ſit idem quod aſſumere carnem, id eſt hominem, quâ phraſi in ſignificando hominem per Synechdochem, utitur aliquando Sacra Scriptura, ut dum Geneſ. 6. cap. dicitur: ***Omnis quippe caro corruperat viam ſuam***; & alibi.

Per incarnationem nulla facta eſt in verbo mutatio.

Dico 1. Per incarnationem verbum divinum non mutaretur, cum in ſe idem omnino manens, nullam intrinſecam perfectionem acquireret, ut poſtea dicetur. Quamvis ergo aliquid novi accedat verbo ex aſſumptione naturæ humanæ, nihil tamen ex illa perfectionis de novo recipit, quod ante non habebat. Unde appoſitè. S. Leo Serm. 9. in ſtatis.

Natu-

Digitized by Google

Naturæ, ait, *incommutabili, nec addidit aliquid naturæ noſtræ, nec minuit*: Rationem addit idem S. Doctor Serm. 5 de nativ. ubi ait: *Mutabile eſt non ſolùm quod minuitur, ſed etiam quod augetur.* Verbum autem divinum eſt immutabile.

Dico 2. Etſi fide & revelatione conſtet incarnationem eſſe poſſibilem, naturali tamen ratione illud probari nequit. Unde Cyrillus de rectâ fide: *Eſt ſanè incarnationis modus admodum ſubtilis, verèque inexplicabilis, talis demum, qui cogitationis captûſque noſtri anguſtias, multis partibus excedit.* *Naturali ratione non poteſt incarnatio probari.*

Dices, teſte Ambroſio ſcivit Diabolus Chriſtum eſſe venturum. Reſp. Cum S. Auguſt. tract. 7. in Joan. *Immundi ſpiritus noverant venturum Jeſum Chriſtum: audierant ab Angelis, audierant ex Prophetis.* Idem dicendum de Sybillis Chriſtum prædicentibus, niſi cum aliis, eis aſſignes Prophetiæ donum.

Dices, Angeli, juxta dicta, comprehendunt naturam humanam, ergo etiam illud, quod poteſt ipſi competere, adeoque & incarnationem. Reſp. Cognoſcunt omne id, quod ipſi naturaliter competere poteſt, ſic verum eſt: falſum autem, quòd cognoſcant omne id, quod poteſt ipſi competere ſupernaturaliter.

Dico 3. Incarnatio eo ipſo, quo facta eſt, fuit conveniens. Quod facta ſit, ſequenti ſectione 2. demonſtrabitur. Nihil enim à Deo fit, niſi ſit conveniëntiſſimum. Rationes autem congruentiæ poſſent dici, prima quidem, quòd conveniret, ut idem eſſet generis humani redemptor, qui fuerat conditor: 2. Quòd hoc pacto bonitatem & ſapientiam ſuam nobis Deus manifeſtaret. 3. Ut ipſe Deus nobis eſſet exemplo: Denique ut ſatisfieret Deo offenſo, ad quod Deo ſimul & homine opus erat, cùm nec ſolus Deus pœnam ſentire, nec ſolus homo potuiſſet eam ſuperare. *Congruentia incarnationis.*

Dico 4. Quod etiam ſepoſitâ redemptione generis humani, conveniens fuerit incarnatio. Primò *Convenientia incarnationis.*

mò ex parte ipſius Dei, quem, cum ſit ſummum bonum, decet ſummè communicare ſe ipſum, quod fit per incarnationem; per hanc enim facit Deus creaturam quaſi immenſam, ſuam increatam perfectionem creaturæ communicando. Secundò conveniens fuit incarnatio ex parte univerſi, dum in homine aſſumpto quaſi omnis creatura aſſumpta eſt, ut enim ait S. Gregorius Hom. 29. in Evangelia, omnis creaturæ nomine ſignatur homo, & omnis creaturæ aliquid habet homo; intelligit cum Angelis, ſentit cum animalibus, vegetatur cum plantis, eſt cum lapidibus. Hinc etiam Apoſtolus ad Epheſios 1. ait per Chriſtum inſtaurari omnia, quæ in cœlis, & quæ in terris ſunt. Tertiò conveniens erat incarnatio ex parte naturæ humanæ, quæ per eam fit Deus; juxta illud S. Auguſtini Serm. 90. de Nativitate Domini: *Factus eſt Deus homo, ut homo fieret Deus*. Ex his autem ſequuntur alia plura, quæ mox adducentur ſectione 3.

Incarnatio fuit liberè aſſumpta, etſi neceſſariò ex hypotheſi.

Dico 5. Etſi incarnatio liberè à Deo ſit decreta, tamen ſuppoſito quòd Deus vellet genus humanum reparare condignâ ſatisfactione, fuit omnino neceſſaria: etſi aliàs non fuerit omnino neceſſaria ad reparationem generis humani, cùm vel potuiſſet culpam homini condonare, vel Angelicam naturam aſſumendo, vel ad levem ſatisfactionem hominem obligando.

Pura creatura nec purus Deus potuiſſet plenè ſatisfacere pro lapſu originali.

Probatur tamen concluſio quoad priorem partem, ex prædicta ſententia, quia nec purus Deus, nec pura creatura potuiſſet plenè ſatisfacere. Non, Deus, quia ſatisfactio requirit ſubjectionem: non homo, quia cùm offenſa fuerit infinita, ratione perſonæ infinitæ, offenſæ ſatisfactio debebat eſſe infinita, quæ puræ creaturæ non poteſt competere.

Dices ergo nec poterit condignè ſatisfacere homo pro peccato veniali, cùm per illud Deus quoque offendatur. Reſp. Poteſt homo pro peccato venia-

veniali ſatisfacere, ſuſtinendo pœnam veniali debitam, quæ ſit finita & tolerabilis. Deinde per peccatum veniale, non aufertur abſolutè honor Deo debitus, cùm per illud Dei amicitia non contemnatur.

Dices, potuiſſet aliquis creari tantæ virtutis v. g. Angelus, ut potuiſſet condignè ſatisfacere: Deinde poteſt unus alteri mereri primam gratiam: ergo. Reſp. Eo ipſo quo illud quod crearetur, eſſet creatura, eſſet quoque finitæ dignitatis, adeoque poterit tantùm eatenus ſatisfacere, ubi tamen offenſa erat infinita, uti perſona offenſa. Deinde etſi poſſit quis alteri mereri gratiam primam, quamdiu alter Deum non affecerit gravi injuria, non tamen id poteſt, ſi gravi affecerit, uti hic ſupponimus.

Dices denique: malitia peccati mortalis eſt finita: ergo poterit finita creatura illi ſatisfacere. Reſp. Eſt quidem finita, ſi ſpectetur bonum quo privat, puta gratiam, &c. Eſt tamen infinita, ſi ſpectetur injuria & contumelia perſonæ infinitæ illata.

SECTIO II.

An Incarnatio facta ſit.

Incarnationis facta probatio.

OSTENSA incarnationis poſſibilitate, dicendum eam factam eſſe. Probatur generaliter contra omnes etiam gentiles, primo ex miraculis Chriſti, vel in ejus nomine factis, quorum meminerunt, non tantùm Hiſtorici fideles, ſed & ethnici; ut ſilentium impoſitum oraculis deorum, cujus meminit Plutarchus: ſtupenda & præternaturalis eclypſis tempore mortis Chriſti, &c. Deinde hoc probari poteſt ex mirabili converſione totius mundi ad fidem Chriſti, per paucos piſcatores, martyribus ultra naturæ vires; pro Chriſto mortem ſuſtinentibus, &c.

Contra gentiles.

Contra Judæos. Specialiter tamen probari poteſt incarnatio contra Judæos, ex Prophetia Jacob jam morti proximi, Geneſ. c. 48. ubi dicitur. *Non auferetur ſceptrum de Juda & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Quâ prophetiâ innuitur, non defuturos Reges, Duces, Judices, &c. In Juda, donec veniat Chriſtus; atqui jam dudum illi defecerunt, vagantibus per totum orbem Judæis, ſine lege, duce, &c. Ergo Chriſtus advenit.

Probatur ſecundò ex prophetia facta ab Angelo Gabriële c. 9. Danïëli, ſcilicet venturum Chriſtum Dominum poſt 70. Hebdomades, id eſt annos, ac deinde Judæos devaſtandos & diſſipandos, Jeroſolymam evertendam, &c. Quod tempore Chriſti impletum fuit, ut fusè circa illum Danïëlis locum teſtantur interpretes paſſim.

Objiciunt ad prius, Sceptrum de Juda ablatum eſſe tempore Saülis aut Jeroboam, aut ſaltem in Nabuchodonoſor, qui abſtulit Sceptrum de Iſraël, quando Sedecias ductus eſt in captivitatem. Quod etiam patet ex eo, quòd diu ante Chriſtum natum regnarint Judæi Machabæi, qui non erant de tribu Juda. Reſp. in primis, tempore Saülis non eſſe ablatum regnum Judæ, ſed potius confirmatum per Davidem. Tempore Jeroboam verò, non fuit omnino ablatum, ſed tantùm imminutum. Deinde Prophetia non fuit impleta in Nabuchodonoſor, cùm ipſe non ſit expectatio gentium, nec Meſſias, ſed Danïëlis 3. Dicitur peſſimus ſupra omnem terram. Adde quòd tempore captivitatis illius, quod fuit ſolùm 70. annorum, abſoluto rediverit imperium ad Judam, puta ad Salathiel & Sorobabel. Denique eo tempore tribus Juda habuit Duces, ut patet Dan. 13. Ad Machabæos quòd attinet, Reſp. quod licet illi non fuerint ex tribu Juda tamen vox *Juda* in dicta Prophetia Gen. 48. non ſumitur pro tribu Judâ, ſed pro populo judaico, qui populus

poſt

poſt captivitatem à Juda nomen accepit, eo quòd ſola tribus Juda integra remanſiſſet, & paucis ex aliis tribubus permixta; vel etiam, quia tribus Juda habebat jus eligendi Ducem & ſedem regni poſſidebat, puta Jeruſalem. Addunt alii Machabæos fuiſſe ex tribu Juda ſecundùm lineam maternam, unde & Machabæi aliquando in libris Machab. vocantur *viri Judæ*.

Objiciunt ulterius Iſaiæ 2. dici, Chriſtum venturum in noviſſimis diebus: item tantùm veniſſe anno 29. Herodis Aſcolonitæ, ubi tamen citius venire debuiſſet: ſi Prophetia fuiſſet in Chriſto adimpleta. Reſp. non requiritur ad verificationem Prophetiæ quod eâdem præcisè horâ aut die veniat Chriſtus, ſed ſatis eſt, eum veniſſe circa illa tempora, ſicut alia interim de eo quoque verificentur. Deinde venit Chriſtus in noviſſimis diebus, ſcilicèt legis veteris, quia veniente Chriſto ceſſavit lex vetus cum ſuis ritibus.

Objiciunt denique Chriſtum venturum in igne & Majeſtate magna. Reſp. veniet Meſſias in igne in fine ſæculi: Deinde venit in Majeſtate magnâ, cùm ejus Regni non ſit finis, per fidem & legem Evangelicam, ubique nomine ejus glorioſo. Denique venit Chriſtus in ſumma pace, tum temporali & mundana, tum ſpirituali, cùm nos omnes è ſervitute diaboli eripuit, & libertati donavit.

Factis ergo quæ per Prophetas prædicta ſunt de Meſſia, rectè Joannes dicit 1. & *Verbum caro factum eſt*, &c.

Ubi nota, duplicem à Judæis diſtingui Meſſiam, unum de filiis Joſeph, qui venturus fuiſſet in humilitate paſſionis, prout variæ Prophetiæ prædicunt: alium de filiis David, qui juxta Prophetas veniet in gloria & majeſtate. Humilem illum adveniſſe concedunt apertiſſimis ſcripturæ locis convicti: alium verò glorioſum etiamnum expectant. Et ex eo capite fundamentalis Judæorum error, quod

quod credant regnum Meſſiæ fore temporale, & illuſtre: quod promiſſiones per adventum Meſſiæ conſequendas, & quas ſcriptura promittit, velint eſſe temporales & terrenas: quo fit, ut in exponendis Sacræ Scripturæ locis, quæ de Meſſia commemorant, craſsè & enormiter ubique errent, & exorbitent.

SECTIO III.

De fine Incarnationis.

Finis primarius & ſecundarius incarnationis.

Dicendum primò, finem Incarnationis primarium eſſe reparationem hominis lapſi. Probatur ex cap. 19. Lucæ *Venit Filius hominis quærere, & ſalvum facere, quod perierat.* Et Apoſtolus ad Galatas 4. *Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret.* Probant illud idem alia loca ſectione proximè ſequenti referenda. Imò, quod S. Auguſtinus dicat ſermone 9. de verbis Apoſtoli: *Nulla cauſa fuit veniendi Chriſto Domino, niſi peccatores ſalvos facere.*

Et licet Scriptura Sacra alibi aſſignet pro fine Incarnationis Dei bonitatem, ſapientiam, exaltationem humanæ naturæ, exempla virtutum nobis data, &c. Tamen illa intelligenda ſunt partim pro ſuo effectu, id eſt pro opere, quod fit ex divina bonitate aut ſapientia: partim quod exaltatio naturæ humanæ intenta ſit ſecundariò mediante Chriſti paſſione: partim denique quod exempla virtutum nobis data ad reparationem ſpectent Generis humani.

Dicendum 2. Fines ſecundarii, & ex primario effluentes effectus ſunt varii. 1. Ad augendam fidelium fidem; dum fides certior redditur, credendo ipſi Deo nobis loquenti, juxta illud Apoſtoli

ad

ad Hæb. 1. *Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, noviſſimè diebus iſtis locutus eſt in Filio.* Et S. Auguſt. lib. 11. de Civitate Dei cap. 2. *Ut homo, ait, fidentius ambularet ad veritatem, ipſa Dei Veritas Filius, homine aſſumpto conſtituit, atque fundavit fidem,* Imo & ipſe Chriſtus 1. Joan. 5. *Si teſtimonium hominum accipimus teſtimonium Dei majus eſt.*

2. Ad erigendam ſpem noſtram, juxta illud S. Auguſtini lib. 13. de Trinitate cap. 20. *Nihil tam neceſſarium fuit ad erigendam ſpem noſtram, quam ut demonſtraretur nobis, quantum diligeret nos Deus: quid verò hujus rei eſt iſto judicio manifeſtius, quam, quod Dei filius naturæ noſtræ dignatus eſt inire conſortium? Si enim, ut ait Apoſtolus, proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo nobis omnia donabit? Et ideo inquit, ſpe radicati eſtis.*

3. Ad inflammandam charitatem, juxta illud Apoſtoli ad Roman. 5. *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus,* &c. Et S. Auguſtinus de Cathechizandis rudibus cap. 4. *Quæ, rogat, major eſt cauſa adventûs Domini, niſi ut oſtenderet Deus dilectionem ſuam in nobis? ..... ſi amare pigebat, ſaltem redamare non pigeat.*

4. Ut nos faceret divinæ conſortes naturæ, juxta illud S. Auguſtini tractatu 80. in Joan. *Ejuſdem naturæ ſunt vitis & palmites. Cum igitur eſſet Deus, cujus naturæ non ſumus, factus eſt homo, ut in eo vitis eſſet humana natura, cujus nos palmites eſſe poſſemus.*

5. Ad reprimendam hominis ſuperbiam, & commendandam Chriſti gratiam. Prius oſtendit vita Chriſti, qui in paupertate, doloribus, contumeliis exinanivit ſeſe formam ſervi accipiens; qui venit miniſtrare, non miniſtrari; qui denique ignominioſâ morte inter latrones pro nobis voluit crucifigi.

Poſte-

Poſterius declarat breviter S. Auguſtinus lib. 13. de Trinitate, ubi ait: *Gratia enim Dei in nobis nullis præcedentibus meritis in homine Chriſto commendatur.*

6. Ut moneret conſervandam eſſe naturæ humanæ dignitatem, quam Deus dignatus eſt aſſumere. Unde S. Auguſtinus de vera Religione: *Demonſtravit enim Deus nobis, quam excelſum locum inter creaturas habeat natura humana, in hoc quod hominibus in vero homine apparuit.* Et S. Leo ſermone de Nativitate: *Agnoſce*, ait, *ô Chriſtiane dignitatem tuam, & divinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire.*

7. Sanctus Auguſtinus 3. de Trinitate aſſerit, ideò Deum incarnatum eſſe, ut diabolum homini ſubderet dicens: *Quandoquidem ſic potuit Deo conjungi humana natura, ut fieret una cum eo perſona: ſuperbi illi maligni ſpiritus non ideo audeant ſe homini præponere, quia non habent carnem.*

8. Juxtà ſanctum Baſilium de Nativitate Chriſti, incarnatio facta eſt ad tollendum mortis imperium dum ait: *Propterea enim Deus in carne eſt, ut in eâ mortem occidat.*

Decretum incarnationis eſt poſterius decreto hominem reparandi.

Dicendum 3. Decretum incarnationis fuit poſterius decreto hominem ſalvandi & reparandi. Verùm etſi Chriſtus ſit cauſa exemplaris & meritoria noſtræ prædeſtinationis, adeoque prius prædeſtinatus, quam nos ſimus prædeſtinati, tamen prædeſtinatio Chriſti facta fuit, poſt decretum hominem ſalvandi & reparandi. Pro cujus pleniori intelligentia notandum eſt, duplex in Deo decretum, unum generale hominem reparandi, aliud particulare hominem per certa media infallibiliter liberandi ſive prædeſtinandi, quod decretum ab alio diverſum eſt, cùm unum ſit generale, & totum genus humanum reſpiciat: Aliud ſit particulare, & aliquos ſolummodo reſpiciat, ſcilicèt prædeſtinatos. Decretum ergo illud generale, hominem reparandi, fuit prius, prædeſtinatione Chriſti, quia ex eo decrevit incar-

nationem. Fuit tamen poſterius decretum prædeſtinationis humanæ, prædeſtinatione Chriſti, quæ fuit exemplar & cauſa meritoria prædeſtinationis humanæ. Hinc in Deo tale decretum conſiderare poſſumus, quòd ita ſtatuerit; Nolo genus humanum in Adamo lapſum perire, ſed volo reparare & redimere, & ideo volo mittere filium meum in mundum, ob cujus merita quæ prævideo hos vel illos prædeſtino.

Dicendum 4. errare Judæos, arbitrantes Meſſiam futurum ſolummodo corporum redemptorem, non autem animarum, uti etiam temporalium bonorum tantùm authorem, non item ſpiritualium. Erraruntt quoque Pelagiani docentes Chriſtum veniſſe ſolummodo, ut nobis præberet exempla Sanctitatis, unde dicebant finem Chriſti eſſe, *Tollere peccata morum, non ſeminum*, ubi tamen Danielis 9. de eo dicitur: quod venturus ſit, *Ut finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna.* *Meſſias eſt author & redemptor quoad bona anima.*

SECTIO IV.

An ſi homo non peccaſſet, Deus incarnatus fuiſſet.

Duplex eſt hîc ſententia. Una docet, Chriſtum venturum fuiſſe, etiamſi homo non peccaſſet, idque ob perfectiones & convenientias, quas ſecum adfert ipſa incarnatio, adeoque prædeſtinationem Chriſti à Deo factam, ante præviſionem peccati, quod tamen Auguſtino apertè repugnat.

Dicendum ergò primo: Quod ſi homo non peccaſſet, incarnatio facta non fuiſſet. Probatur 1. ex innumeris Scripturæ locis, quæ cauſam incarnationis refundunt in ſalutem generis humani. Idem conſtanter aſſerunt SS. Patres, ut Auguſtinus Serm. 8. de verb. Apoſt. ubi ait: *Si homo non periſſet, filius homi-* *Chriſtus non veniſſet, ſi Adam non peccaſſet.*

hominis non veniſſet. Et S. Leo Serm. 3. de Pentec. *Quòd ſi homo in naturæ ſuæ honore manſiſſet, creator creatura non fieret.* Adeò ut apertè dicat S. Aug. Serm. 9. de verb. Apoſt. *Nulla cauſa veniendi fuit Chriſto Domino, niſi peccatores ſalvos facere.* Adde quod hoc ſolum pro dicta ſententia ſufficiat, quòd contrarium nullibi in Scriptura, aut SS. Patribus ſit fundatum, uti probabitur. Denique illud ſatis innuunt Patres Concilii Niceni, dum in Symbolo addunt, *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cælis, & incarnatus eſt*, &c. Idem innuit Eccleſia, dum in benedictione Cerei Paſchalis ita canit: *O verè neceſſarium Adæ peccatum, quod talem ac tantum meruit habere redemptorem.*

Objiciunt alii. Quidem Chriſtus non veniſſet in carne paſſibili, ſi homo non peccaſſet: veniſſet equidem in carne impaſſibili, & hoc tantum innuunt SS. Patres prædicti & aliorum teſtimonia. Ad quod reſp. quod ſicut talis Chriſti incarnatio ſine fundamento adſtruitur, ut alia multa Theologicæ doctrinæ non parum pernicioſa, ita facile per ſe refellitur & rejicitur. Deinde nullibi SS. Patres meminerunt ejuſmodi incarnationis, ſed abſolutè docent, incarnationem factam non fuiſſe, ſi homo non peccaſſet; ſolam cauſam veniendi Chriſto fuiſſe, peccatores ſalvos facere, &c.

Generatio divini Verbi fuit ab æterno. Objicies 2. Prov. 8. dicitur de ſapientia æterna ſive Chriſto: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio: ab æterno ordinata ſum, &c.* Ad quod reſp. uti ad alia ſimilia, hìc propriè agi de generatione divina, quæ facta eſt ab æterno, etiam ante prævisionem lapsûs, alia autem generatio temporalis, ſive incarnatio à Deo decreta fuit poſt prævisionem lapsûs Adami. Deinde etſi ibidem Sapientia æterna vocet Deum *Dominum*, nihil obſtat, cùm tantùm vocet *Dominum univerſorum*, quæ facta & creata ſunt.

Objicies 3. Adæ in ſtatu innocentiæ revelatum eſt myſte-

myſterium Incarnationis, ut ordinabatur ad conſummationem gloriæ, ut ait D. Th. adeoque credidit quod gloria hominis beati conſummanda eſſet per merita Chriſti, unde & debuit prævidere ſuum lapſum, quod non admittitur, aut gratia & gloria non eſſet ex meritis. Reſp. In primis potuit hoc credidiſſe de Chriſto ut objecto, ex cujus aſpectu homines eſſent beatificandi, etſi non tamquàm cauſa meritoria & per modum liberatoris. Deinde etſi ſcierit Adam adventum Chriſti, potuit tamen ignoraſſe adventûs cauſam.

Quomodo Adam in ſtatu innocentiæ crediderit incarnationis myſterium.

Objicies 4. etſi Adam non peccaſſet, fuiſſet equidem Eccleſia, cujus caput eſt Chriſtus. Reſp. Eo caſu Eccleſiam habituram fuiſſe caput inviſibile, puta ipſum Deum.

Objicies 5. Matrimonium in ſtatu innocentiæ fuit ſignum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, quod tale ſignum permanſiſſet, etſi Adam non peccaſſet. Reſp. Eo caſu fuiſſet quidem tale ſignum, ſed àliter quàm Chriſtus conjunctus eſſet Eccleſiæ per unionem hypoſtaticam, puta per fidem, per influxum gratiæ, &c.

Quæres an ergo incarnatio ſit ex culpa. Reſp. quòd ſic, ſcilicet ut ex cauſa occaſionali, occaſione cujus facta ſit incarnatio. Nec ideò de illa culpa gaudere licet, uti nec licet de malo aliquo. Neque etiam hâc ratione debebat Chriſtus gratias agere Adæ, occaſione cujus foret productus, non magis quàm Petrus ſuccurrens Paulo à prædonibus invaſo, gratias agere tenetur prædonibus, quòd Paulo ſuccurrere poſſit.

Quomodo incarnatio ſit ex culpa.

Quæres ultimò, an Incarnatio facta ſit principaliùs ob peccatum originale, quàm actuale. Reſp. Quatenùs peccatum originale eſt extenſivè majus, id eſt totam humani generis progeniem inficiens, ſic principaliùs illi mederi venit Salvator. Ex quo tamen non ſequitur deletionem peccati actualis eſſe tantùm finem ſecundarium incarnationis, tum quia *Sanguis*

Ob quod peccatum ſit principaliùs facta incarnatio.

guis Chriſti emundat nos ab omni peccato, ut ait D. Leo Serm. 2. de nat. *Venit* (Chriſtus) *ut omnem languorem corruptionis, & univerſa vulnera ſordentium curaret animarum.* Deinde notandum, peccatum actuale, etiam commune eſſe toti naturæ per peccatum corruptæ ſecundùm propenſionem ejuſdem, adeoque etiam directè venerit Chriſtus ad illud auferendum. Principaliùs tamen venit, ut majus malum, ſcilicet originale, excluderet, id eſt cum majori complacentiâ venit, illud auferendi. Ex quibus infero, quod etſi peccatum originale non fuiſſet, ſed ſola actualia, in præſenti ſtatu Deum equidem in carne fuiſſe venturum.

SECTIO V.

De unione Hypoſtatica.

Quid ſit unio Hypoſtatica.

DICENDUM primò, unio Hypoſtatica non fuit neceſſaria ad reparationem hominis lapſi. Probatur: quia unio hypoſtatica nihil eſt aliud, quàm ſubſtantialis conjunctio, quâ humanitas Chriſti unita eſt perſonæ verbi. Aliquando tamen ſumitur pro actione, quæ pro ſuo objecto & termino habet talem unionem. Quod autem unio illa non fuerit neceſſaria ad reparandum genus humanum, clarum eſt ex eo, quod aliis modis potuerit Deus homini ſubvenire, quàm aſſumendo naturam humanam, puta liberaliter culpam condonando, &c.

Dicendum 2. fuiſſe unionem illam omninò neceſſariam ſtante decreto, quo voluit hominem redimere, per condignam ſatisfactionem. Probatur ex antedictis ſectione 1.

Non eſt realiter diſtincta ab extremis.

Dicendum 3. unio illa non debet dici eſſe realiter diſtincta ab extremis, ſed ſufficit, ut dicatur eſſe ipſa unionis extrema certo modo ſibi unita, connotando ſimul voluntatem Dei, ut natura humana

ſit

ſit conjuncta verbo, & fiat illi propria. Etſi enim verbum poſſit exiſtere ſine natura humana ſibi unita, ex quo deducere volunt alii unionem ab extremis eſſe realiter diverſam; inde tantùm ſequitur, quòd unio illa periret ſecundùm denominationem extrinſecam jam dictam, non autem ſecundùm ſuam entitatem. Deinde nihil novi Deus produxit rigoroſâ actione, quando produxit unionem, quaſi produxiſſet novam aliquam entitatem, ſed tantùm produxit aliquid generaliter, faciendo ſcilicet, ut extrema de novo ponerentur in aliquibus circumſtantiis, in quibus antè non erant.

Quâ ratione unio illa facta ſit in natura.

Dicendum 4. unio prædicta verbi non eſt facta in natura, hoc ſenſu quod natura divina per ſe & gratiâ ſui unita ſit naturæ humanæ, adeò ut ſi per impoſſibile ſupponeretur, naturam divinam non communicari tribus perſonis, natura humana non uniretur divinæ naturæ. Hinc in Conc. Tolet. 6. in confeſ. fidei dicitur: *Solus filius ſuſcepit humanitatem in ſingularitate perſonæ, non in unitate naturæ, in eo quod proprium eſt filio, non quod commune eſt trinitati.*

Dicendum 5. neque unio facta eſt in natura, quaſi natura divina converſa ſit in humanam aut econtrà; aut etiam in ſe invicem commixtæ & confuſæ, vel quòd ex illis duabus ſibi unitis exſurgat aliqua tertia natura. Probatur, quia ut ait S. Leo Epiſt. 11. docet. *Nec verbum igitur in carnem nec in verbum caro mutata eſt, ſed utrumque in uno manet, & unus in utroque eſt, non diverſitate diviſus, non permixtione confuſus.* Ratio autem illorum eſt, quia factâ unione manſit Chriſtus verus Deus & verus homo, unde illæ 2. naturæ non conſtituunt naturam diverſam tertiam, ſed unam perſonam; *Sicut enim anima rationalis & caro unus eſt homo, ita Deus & homo, unus eſt Chriſtus*; ait Ath. in Symb.

Una in Chriſto perſona.

Dicendum 6. factâ unione hypoſtaticâ, una tantùm in Chriſto fuit perſona. Apertè illud definitum eſt

eſt in Conc. Epheſ. contra Neſtorium. Idem docet Ath. in Symb. dum ait : *Unus omninò, non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ.* Unde rectè S. Proſper l. de Prov. Dei. *Sic homo, ſic Deus es, ut non ſis alter, & alter* (id eſt alia perſona) notandum tamen, ſæpè Patres dicere Verbum aſſumpſiſſe hominem, quo ſenſu intelligunt aſſumpſiſſe humanitatem, ſeu naturam humanam : unde S. Aug. Enchrid. 13. *homo*, ait, *natura eſt.*

Creando Deus animam Chriſti aſſumpſit hominem.

Dicendum 7. unâ & eâdem actione (ideſt voluntate Dei) voluit Deus creare animam Chriſti & eamdem unire verbo. Hinc rectè S. Leo Epiſt. 21. *Natura*, ait, *noſtra non ſic aſſumpta eſt, ut prius creata, poſt aſſumeretur : ſed ut ipſa aſſumptione crearetur.* Quod autem voluntate & imperio divino unio illa facta ſit, declarat S. Aug. Serm. 6. de tempore, dum ita ait. *Deus non generatione, ſed* JUSSIONE *& benedictione conceptus eſt.* Si verò agatur de prioritate naturæ, poteſt dici prius verbum aſſumpſiſſe animam, quam corpus.

SECTIO VI.

Quænam verbum aſſumpſerit.

Quid perſona.

Dicendum primò, Verbum non aſſumpſit perſonam hominis. Perſona autem ſive ſuppoſitum vel hypoſtaſis, nihil eſt aliud quàm ſuppoſitum rationis capax ; ſi enim aliquid ratione careat, non dicitur perſona ſeu ſuppoſitum, ſed ſuppoſitum purum. Rationem dictæ concluſionis dat D. Thom. eo quòd antequam verbum uniretur humanitati, non debeat præintelligi perſona hominis, quam aſſumpſiſſet verbum, cùm illa perſona vel fuiſſet corrupta per aſſumptionem, vel non : ſi non, eſſent in Chriſto duæ perſonæ, quod eſt erroneum : ſi verò eſſet corrupta, fruſtra fuiſſet aſſumpta : dicitur tamen per-

Digitized by Google

perſona hominis, gratiâ humanitatis, quam aſſumpſit.

Dicendum 2. nihil implicare, quo minus dicatur perſonam divinam poſſe aſſumere naturam irrationalem. Innuit illud S. P. Auguſtinus l. de vera Relig. c. 16. dum ait: *Non ſolum viſibiliter (nam id poterat in aliquo corpore æthereo, ad noſtrorum aſpectuum tolerantiam temperato, ſed etiam hominibus in vero homine apparuit: ipſa enim natura ſuſcipienda erat, quæ liberanda.* Deinde tract. 99. in Joan. confutans illorum dogma, qui dicunt filium apparentem in ſpecie columbæ, aſſumpſiſſe columbæ naturam, non refutat eos argumento petito à repugnantibus, ſed quod talis apparitio non niſi *Ad horam facta ſit.* Denique verbum in triduo mortis manſit unitum cadaveri. Nec inde ſequitur, quod propter naturam aſſumptam irrationalem v. g. columbæ, poſſet dici abſolutè columba; eo quòd columba ſit rationis expers, adeoque id verbo convenire non poſſit. Poterit tamen ſecundùm quid, dici columba, ſecundùm naturam columbinam aſſumptam, uti etiam verbum poteſt dici cadaver, ſecundùm quid.

Potuiſſet verbum aſſumere naturam irrationalem.

Non poſſet ideo dici verbum eſſe irrationale.

Dicendum 3. ſolam formam ſubſtantialem ſine materia poſſe à verbo aſſumi, uti patuit in triduo mortis, quo tempore verbum corpus dimittere potuit retentâ animâ. Item juxta communiorem ſententiam, quæ docet materiam eſſe poſſe ſine forma, potuit & verbum aſſumere materiam ſine forma.

Dicendum 4. cùm Chriſtus fuerit verus homo, aſſumpſit animam & corpus. Unde Auguſt. Serm. 19. de tempore, *Verbum*, ait, *caro factum eſt..... & quid caro niſi homo? Non tamen ſine anima in Chriſto hominis caro: unde ait, triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.*

Chriſtus fuit verus homo.

Dicendum 5. verbum in triduo mortis non dimiſiſſe corpus & animam, cùm juxta Damaſcenum:

Quod ſemel verbum aſſumpſit, numquam dimiſit. De quo plura in ſequentibus.

Partes hominis à verbo aſſumpta.

Dicendum 6. verbum aſſumpſiſſe immediatè omnes hominis partes animâ rationali informatas, quales ſunt, capilli, ungues, &c. in illa ſententia, quæ docet eadem vivere animâ rationali. Imò, etſi non informentur aliquæ partes anima rationali, ſi tantùm ad integritatem corporis humani ſpectent, à verbo aſſumptas eſſe, omninò eſt admittendum. Nam uti dicitur in Synodo Conſtant. act. 4. Chriſtus, *Animam rationalem, carnemque cum ſuis proprietatibus aſſumpſit:*

Sanguis à verbo aſſumptus.

Dicendum 7. verbum immediatè aſſumpſiſſe ſanguinem. Probatur, quia ſanguis eſt pars corporis humani, uti patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 13. Can. 30. ubi dicitur ſanguinem Chriſti eſſe ſub ſpeciebus panis, ex vi illius conjunctionis, quâ partes Chriſti inter ſe copulantur.

Deinde, etſi aliorum ſententiâ, non informetur anima rationali, eſt tamen talis pars hominis, ut ſine ea, homo ſubſiſtere nequeat. Denique veriorem judicamus ſententiam affirmantem ſanguinem informatum eſſe anima rationali, de quo diſputent Philoſophi.

Objicies primò, ſi ſanguis ſit pars corporis, aut animâ informatus, ergo debet poni ſub ſpeciebus panis vi verborum, ſub quibus illorum vi ponitur totum corpus. Reſp. Sub ſpecie panis vi verborum ponuntur omnes partes corporis, quæ dantur per modum cibi ideſt partes ſolidæ, non itidem fluidæ: quâ ratione & ſenſu intelligendi ſunt illi, qui aliquando docent, ſanguinem non eſſe partem corporis, id eſt partem ſolidam.

Objicies 2. ſanguis in Chriſti morte effuſus, non fuit aſſumptus à verbo, ergo nec ante mortem: cùm quod ſemel verbum aſſumpſit, numquam dimiſerit. Reſp. Etſi aliqui putent, ſanguinem illum à divinitate non fuiſſe dimiſſum, ſed in reſurrectione reſum-

ſumptum : tamen veroſimilius apparet, verbum in morte Chriſti aliquas guttas ſanguinis dimiſiſſe, nec totum ſanguinem in reſurrectione reſumpſiſſe, uti patet ex variis locis, ubi ſanguis Chriſti aſſervatur, & teſte Nicephoro l. 2. c. 3. S. Virgo & S. Joannes notabilem partem ſanguinis Chriſti collegerunt: quod, etſi incertum ſit, certum tamen videtur, Chriſtum vi naturalis caloris aliquas particulas ſanguinis dimiſiſſe. *An totus ſanguis à Chriſto reſumptus*

Objicies 3. quomodo ergo verum eſt, quod ante ait Damaſcenus, ſcilicet, illud, quod ſemel à verbo aſſumptum eſt, numquam eſſe dimiſſum. Reſp. Damaſcenum illud intelligere de partibus principalibus corporis, puta anima, corpore, &c. & etiam de ſanguine, non quoad quamlibet individuam guttam, ſed in ſpecie & indeterminatè, quem etiam numquam verbum dimiſit.

Dicendum 4. probabiliter verbum aſſumpſiſſe tres alios humores corporis humani, ſcilicet choleram, pituitam & atram bilem: tum quia veroſimiliùs informantur animâ; tum quia ita ad perfectionem humani corporis ſpectant, ut juxta S. Auguſt. 22. de civ. 19. poſt reſurrectionem futuri ſint in corporibus beatorum.

SECTIO VII.

An verbum aſſumpſerit defectus naturæ humanæ.

NOTANDUM primò, defectus naturæ noſtræ, alios eſſe communes, quæ toti naturæ obveniunt, ut fames, ſitis, laſſitudo, &c. alios eſſe particulares, qui ex cauſis particularibus oriuntur, puta vel ex ignorantia particulari vel complexione indebita, &c. v. g. lepra, febris, &c. *Quos defectus corporis aſſumpſerit verbum.*

Hiſce poſitis, dicendum eſt primò, verbum aſſumpſiſſe defectus corporales communes. Hinc Math.

 4. di-

4. dicitur Chriſtum eſuriiſſe : Joan. 19. ſitiviſſe : c. 4 fuiſſe fatigatum, &c. deinde hac ratione Iſaiæ 53 dicitur, VERÈ *languores noſtros ipſe portavit.* Contra illos qui putant verbum, non aſſumpſiſſe verum & paſſibile corpus, nec ſimul veris pœnis obnoxium. Hâc ratione rectè ab Aug. dictum eſt Serm. 1. in Epiph. *Deus hominem cum infirmitatibus induit.*

Dicendum 2. verbum non aſſumpſiſſe defectus corporis particulares, v. g. morbos, &c. veroſimiliùs tamen illos aſſumere potuit, qui nullam habent indecentiam ſpecialem. Quod autem illos non aſſumpſerit, probari poteſt ex eo, quod morbi proveniant vel ex culpa, vel mala complexione, vel à cauſa extrinſeca v.g. injuria aëris. In Chriſto autem culpa non habet locum, nec mala complexio, cùm habuerit corpus ab ipſo Spiritu ſancto efformatum, nec denique aliquod extrinſecum obfuit, quod non poſſet facillimè declinare & impedire, quo minus corpori ſuo noceret: porrò, etſi corpus à verbo aſſumptum eſſet mortale, nihil tamen inde ſequitur repugnans dictis, cùm mori potuiſſet ſine morbis prævijs, ſ. merè defectu caloris naturalis.

Morbi à Chriſto non aſſumpti.

Dicendum 3. verbum aſſumpſiſſe defectus animæ, v. g. timorem & triſtitiam. Hinc Marci 14. dicitur *Cœpit Jeſus pavere..* & Matth. 26. *Cœpit contriſtari, & mœſtus eſſe.* Qui timor non tantum intelligitur fuiſſe ex parte appetitûs ſenſitivi, ſed etiam rationalis, cùm ex illa Chriſti triſtitia varii SS. Patres colligant & deducant duas in Chriſto fuiſſe voluntates.

Defectus animæ à verbo aſſumpti.

Objicies, timor eſt de iis, quæ nobis invitis obveniunt: Unde ait D. Hieronym. in c. 26. Matth. *erubeſcant, qui putant Salvatorem timuiſſe mortem, & paſſionis pavore dixiſſe, Pater ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte*: Reſp. dum legitur alibi Chriſtum contriſtatum, vel ob proditionem Judæ, vel cæcitatem Judæorum, vel mortem imminentem, certum eſt eadem tunc Chriſto diſplicuiſſe, ſaltem ſecundùm appetitum ſenſitivum, aut inefficaciter ſecundùm voluntatem

Quomodò Chriſtus timuerit.

tatem rationalem, nempe conditionatè: Hinc D. Hieronymus intelligendus eſt de timore efficaci & ſecundùm appetitum rationalem, quia ſi efficaciter ita illa timuiſſet, ea efficaciter noluiſſet, adeoque non eveniſſent, cùm omnis Dei voluntas uti & Chriſti efficax adimpleatur.

Dicendum 4. in Chriſto fuiſſe iram & admiratio nem: iram quidem, dum zelo Dei ductus ejecit ementes & vendentes de Templo Joan. 2. zelus autem eſt ſpecies iræ. Deinde apertè illud teſtatur Scriptura Marci 3. ubi dicitur, quod cum ira circumſpexerit Judæos, qui venerant, ut obſervarent eum. De admiratione autem dicitur Matth. 8. *Audiens Jeſus miratus eſt.* Ira autem illa non erat rectæ rationi repugnans, nec admiratio ex ignorantia orta, quod volunt SS. Patres, dum negant in Chriſto fuiſſe iram vel admirationem. *Quomodò in Chriſto ira & miratio.*

Dicendum 5. non fuiſſe in Chriſto concupiſcentiam actualem nec habitualem. Probatur primum, quia actualis illa concupiſcentia fuiſſet Chriſto voluntaria, cùm facilè illam reprimere potuiſſet, adeoque hoc ipſo peccaſſet. Probatur ſecundum, quia illa habitualis concupiſcentia, de ſe inclinat ad malum, & ad objecta rectæ rationi repugnantia: Deinde cùm in Chriſto non fuerit peccatum, etiam non fuit fomes peccati, id eſt concupiſcentia. Unde Auguſt. tract. 3. in Joan. *Oportebat ut naſceretur alius homo, qui nullam traxit concupiſcentiam.* Quamvis ergo in Chriſto admittendus ſit appetitus ſenſitivus, & paſſiones aliquæ ejuſdem, uti vidimus, numquam tamen rectæ rationi repugnarunt, aut repugnare potuerunt. *Nulla in Chriſto concupiſcentia.*

SECTIO VIII.

Quænam perſona potuerit incarnari.

Sola perſona Filii fuit incarnata.

DICENDUM primò, ſolam perſonam filii in divinis aſſumpſiſſe naturam humanam, ſeu eſſe incarnatam. Intellige hoc ſenſu, quod ſola perſona verbi unita ſit humanitati. Aliàs, ſi unio hypoſtatica ſumatur pro actione talis conjunctionis, ſic communis eſt toti Trinitati, prout omnia opera ad extra, quale eſt illa unio, ut eſt actio. Quod autem ſola perſona filii unita ſit humanitati, probatur Joan. 1. ubi dicitur: *Verbum caro factum eſt.* Quod ubique de ſolo filio intelligunt Scripturæ & SS. Patres, numquam de incarnatione Patris aut Spiritûs ſancti.

Potuit incarnari tam Pater quam Spiritus ſanctus.

Dicendum 2. potuit tamen tam Pater quam Spiritus ſanctus incarnari, cùm quod poteſt Filius ad extra, poſſit & Pater & Spiritus ſanctus. Quinimò poſſunt omnes tres ſimul incarnari aſſumendo vel eamdem numero naturam, vel diverſam. Probatur, quia poteſt velle Pater & Spiritus Sanctus, ut natura quæ dependet à Filio, ab ipſis quoque dependeat. Deinde, ſicut potuit Filius aſſumere naturam quam non aſſumpſit Pater & Spiritus ſanctus; ita illi viciſſim potuerunt aſſumere naturas, quas non aſſumpſit Filius.

Dices, ſi una natura ab omnibus perſonis dependeret, darentur plures cauſæ totales ejuſdem effectûs. Reſp. Hoc poſſe fieri, ſi ſingulæ cauſæ ſe ſolis ſint ſufficientes ad talem effectum, quo ſenſu accipitur aliquando cauſa totalis, id eſt ſufficiens.

Convenit ſolum Filium incarnari.

Dicendum 3. etſi aliæ perſonæ incarnari potuerint ut probatum eſt, conveniens tamen fuit ſolam perſonam Filii incarnari: Tum ut hoc facto ſingulæ perſonæ in divinis, ſua retinerent nomina, nec alius

eſſet

eſſet Filius in divinis, & alius in humanis, tum ut qui primogenitus eſt naturâ, multos gigneret Filios adoptione & gratiâ.

Quare autem Filius potius quam Pater incarnatus ſit, inquirit Innocent. III. Serm. 1. de adventu Domini, ita ſcribens: *Sed cùm tres ſint, qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum & Spiritus ſanctus; cur Pater ipſe non venit, aut Spiritum ſanctum non miſit? Cur potius Filium deſtinavit? O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus? Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit? Diſpoſuit tamen altitudo Cœleſtis Conſilii, ut Deus qui in ſapientia ſua mundum creaverat, ſecundùm illud, omnia in ſapientia fecit Deus ipſe mundum in eadem ſapientia recrearet.*

Filius verò eſt Verbum eſt ſapientia Patris, hinc per Filium voluit mundum recreare.

Alias congruentias, quare potius Filius, quam Pater incarnatus ſit, aſſignant alii; quia ſicuti per Verbum omnia facta ſunt, ita per illud idem Verbum omnia repararentur. 2. Sicuti Filius in divinis fuit ab eterno genitus ex patre ſine matre, ita idem ille filius naſceretur in tempore ex matre ſine patre. 3. Quia decens erat, ut ille eſſet Mediator Dei & hominum, qui eſt medius in Trinitate inter Patrem & Spiritum ſanctum, ideſt Filius. 4. Quia homo reciderat appetendo ſimilitudinem & ſapientiam Dei. Ergo per illum reparandus erat homo, qui eſt imago & ſapientia Patris. Vide plura apud ſanctum Auguſtinum tractatu 17. in Joannem: ſanctum Anſelmum lib. de incarnatione Verbi cap. 4.

SECTIO IX.

De Conceptione & Nativitate Chriſti.

Quare conceptio tribuatur Spiritui Sancto.

ET ſi ſecundùm divum Auguſtinum de Trinitate, indiviſa ſint opera Trinitatis ad extra, ſicuti indiviſa eſt Trinitatis eſſentia; adeoque incarnatio Filii Dei poſſit adſcribi toti Trinitati ſpeciali tamen ratione attribuitur conceptio Spiritui ſancto, quod & Scriptura ubique paſſim demonſtrat, ſicut Matthæi 1. Angelico teſtimonio dicitur: *Quod enim in eâ natum eſt de Spiritu ſancto eſt.* Iterum *Spiritus ſanctus superveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, &c.* & Eccleſia in Symbolo: *Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria Virgine, &c.* & hymno de nativitate: *Non ex virili ſemine ſed myſtico ſpiramine.*

Modum autem conceptionis de Spiritu ſancto aſſignat breviter Hugo de ſancto Victore dicens, *Concepit Virgo Maria de Spiritu ſancto, non quod Spiritûs ſancti ſubſtantia ſemen partûs acceperit, ſed quia per amorem & operationem Spiritûs ſancti ex carne Virginis divino partui ſubſtantiam miniſtraverit.* Ubi aliorum hæreſes ſimul refutantur, ut Ebionis docentis Chriſtum ex commixtione viri & feminæ eſſe conceptum: Item Valentini docentis Spiritum ſanctum poſuiſſe in diva Virgine corpus aliquod cæleſte, adeo ut diva Virgo fuerit ſolummodo locus Chriſto, qui per divam Virginem tranſierit tamquam per aquæductum, quos refellit divus Thomas opuſc. de Symbolo Apoſtolico.

Rationes congruentiæ, quare conceptio Chriſti attribuatur ſpecialiter Spiritui Sancto, ſunt variæ. 1. Quia Spiritus ſanctus eſt amor & donum Dei altiſſimi: adeoque convenit, ut conceptio Chriſti, quæ eſt opus excellentiſſimæ charitatis & donum

Dei

Dei maximum, attribueretur Spiritui ſancto. 2. Quia Spiritui ſancto attribuitur gratiæ infuſio: ſed conceptio Chriſti facta eſt ex gratuitâ Dei miſerentis gratiâ, ex nullis noſtris meritis præcedentibus: adeoque meritò adſcribitur Spiritui ſancto. Hinc ſanctus Auguſt. in Enchridio: *Iſte modus, quo conceptus eſt Chriſtus de Spiritu ſancto, inſinuat nobis gratiam Dei, quâ homo nullis præcedentibus meritis in ipſo primo exordio naturæ ſuæ, quo eſſe cæpit, verbo Dei copularetur in tantam perſonæ unitatem, ut idem ipſe eſſet Filius Dei, qui filius hominis; & filius hominis, qui Filius Dei.* 3. Quia Spiritui ſancto attribuitur ſanctitas & ſanctificatio noſtra, per quem Filii Dei nominamur & ſumus, juxta illud Apoſtoli ad Rom. 8. *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus Filii Dei*: Sicuti ergo alii homines per Spiritum ſanctum ſanctificantur, ut ſint Filii Dei adoptivi: ità etiam Chriſtus per Spiritum ſanctum in ſanctitate conceptus eſt, ut eſſet Filius Dei naturalis: & ideò cum dixiſſet Angelus divæ Virgini, *Spiritus S. ſuperveniet in te*: Statim intulit, *ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.*

An Spiritus Sanctus poſſit dici Pater Chriſti.

Quæres, an ergo Spiritus ſanctus poſſit dici eſſe Pater Chriſti? Reſp. Quamvis Chriſtus de Spiritu ſancto conceptus ſit, non tamen propriè poteſt dici Filius Spiritûs ſancti: non enim, ut ait magiſter ſentent. concedendum eſt quidquid de re aliqua naſcitur, continuò ejuſdem rei filium eſſe nuncupandum: ſic quod Chriſtiani in baptiſmate dicuntur naſci ex aqua, & Spiritu ſancto, non rectè dicuntur eſſe filii aquæ: ut enim aliquis dicatur filius alterius, non eſt ſatis, quod ab altero procedat, tamquam à principio activo: ſed inſuper requiritur, ut ab eo procedat per generationem, quâ ſimile producit ſimile conjunctum in ſimilitudinem naturæ: quo modo Filius procedit à Patre, non à Spiritu ſancto, prout demonſtratum eſt in materiâ de Trinita-

nitate. Imò potius Filius in divinis habet habitudinem principii reſpectu Spiritûs ſancti, cum Spiritus ſanctus à Patre Filioque procedat: deinde, ſi Spiritus ſanctus poſſet dici Pater Filii, ex eo quod operatus ſit conceptionem Filii pari ratione ipſe Filius poſſet dici Pater ſui ipſius, cum Filius, & tota Trinitas ad conceptionem concurrerit.

Quod autem attinet ad Nativitatem Chriſti, natus ex Maria Virgine; non ſolum in Mariâ pro ut docuerunt hæretici quod & teſtantur Scripturæ ſacræ dum dicitur factum ex muliere, & Apoſt. ad Galat. 4. dicitur Chriſtus natus ex ſemine David ſecundùm carnem. Et Angelus ad Mariam Lucæ 1. quod enim naſcetur ex te ſanctum, &c. quæ omnia ſatis indicant etiam Chriſti carnem fuiſſe in Adamo ſecundùm corpulentam ſubſtantiam cum de puriſſimo Virginis Mariæ ſanguine corpus ejus ſit formatum: non autem ſecundùm rationem ſeminalem ex eo quod non ex virtute ſeminis ex coitu viri ſed modo planè novo & divino: & conſequenter Chriſti caro non fuit peccato ſubjecta nequidem in potentiâ dum ex Adam non communi propagationis viâ procedit. Et ideò Apoſt. ad Rom. 8. dicitur Chriſtum non aſſumpſiſſe carnem peccati ſed ſolummodo ſimilitudinem carnis peccati ideſt carnem peccato non obnoxiam quamvis obnoxiam miſeriis, morti, &c. quæ de peccato proveniunt.

Natus autem eſt de Maria Virgine ſine ullo dolore juxta illud ſancti Cypriani Serm. de Nativitate Chriſti: *Maria*, inquit, *genitrix & obſtetrix nullus dolor nulla naturæ contumelia in puerperio.* Et S. Aug. lib. de quinque hæreſibus cap. 5. addit ſtulti undè ſordes ex verbi matre ubi concubitus cum homine patre? Alias circa nativitatem Chriſti quæſtiones ſatis inutiles & exoticas quoad ſecundina, membranas partuum hîc formant alii. Sufficiat interim quod diva Virgo dicatur verè eſſe Mater Chriſti & Deipara quo ſolo titulo eam laudat Evangeliſta dicens: de quâ natus eſt JESUS qui vocatur Chriſtus.

CAPUT SECUNDUM.

De Communicatione Idiomatum in Chriſto.

SECTIO PRIMA.

Quid ſit Idiomatum communicatio, & quomodo fiat.

DICENDUM primò, communicatio idiomatum, idem eſt, quod communicatio in proprietatibus ſive attributis. *Idioma* enim græcè idem eſt, quod proprietas, ſive attributum. Hinc fit, ut naturæ tam divina quam humana, de perſona verbi in concreto poſſint prædicari. Deinde ut omnia attributa utriuſque naturæ in concreto quoque eidem perſonæ poſſint attribui. Unde rectè dicitur, *Perſona Filii eſt Deus:* Item *Perſona Filii eſt homo.* Inſuper rectè dicitur: *Filius Dei eſt impaſſibilis, æternus*, &c. Et etiam, *Filius Dei eſt paſſibilis*, &c. dixi utrobique, quod debeant prædicari in concreto, quia ſi prædicentur in abſtracto pleræque tales erunt falſæ: Falſum enim eſt, quod Filius Dei ſit homo in abſtracto, ideſt humanitas, & ſic de cæteris. *Communicatio idiomatum.*

Dicendum 2. hæc communicatio idiomatum fundatur in eo, quòd ſit idem ſuppoſitum naturæ humanæ & divinæ docet illud S. Auguſt. contra Serm. Arianorum c. 8. ubi ait. *Hanc unitatem Perſonæ Chriſti Jeſu, D. N. ſic ex natura utraque conſtantem divina ſcilicet atque humana, ut quælibet earum vocabulum etiam alteri impertiat, & divina humanæ, & humana divinæ, beatus oſtendit Apoſtolus.* Et S. Leo Epiſt. 10. c. 5. *Propter hanc, ait, unitatem perſonæ in utraque natura intelligendam, & filius hominis legitur deſcendiſſe* *Origo communicationis idiomatum.*

diſſe de Cœlo ...... & rurſus Filius Dei crucifixus dicitur ac ſepultus.

Modi communicandi idiomata. Dicendum 3. nomini illi, quod perſonam Chriſti ſignificat, poſſunt vi hujus communicationis attribui omnia attributa in concreto, quæ attribui poſſunt naturæ divinæ vel humanæ. Limito tamen hanc regulam, excipiendo attributa naturæ humanæ, quæ imperfectionem important. Ratio dictæ concluſionis eſt hæc, quod nomina in concreto ſignificent id quod habet formam talis concreti, ſed perſona Chriſti habet formales proprietates utriuſque naturæ, juxta jam dicta, ergo.

Dicendum 4 nulla proprietas naturæ humanæ, etiam ſumpta in concreto, poteſt prædicari de perſona Chriſti, cum reduplicatione divinitatis, aut è contra, nulla proprietas naturæ divinæ poteſt prædicari de eadem perſona cum reduplicatione humanitatis. Hinc non poteſt dici, *Chriſtus quatenus Deus eſt paſſibilis*; aut è contra, *Chriſtus quatenus homo eſt impaſſibilis.* Ratio ejus eſt, quod aliàs ſequeretur naturas illas inter ſe confuſas, quod eſt hæreticum.

Dicendum 5. nulla proprietas naturæ divinæ vel humanæ tribui poteſt perſonæ Chriſti, cum particula reſtringente ad alteram naturam, aut alteram excludente. Hinc non poteſt dici, *Chriſtus eſt purus homo*: aut *Chriſtus eſt Deus tantùm*

Propoſitiones variæ. Dicendum 6. abſolutè vera debet agnoſci hæc propoſitio, *Chriſtus eſt homo.* Aliàs enim Maria non eſſet mater Chriſti, ſi Chriſtus non eſſet homo. Deinde credimus in Symbolo, natum eſſe Chriſtum de Maria Virgine, & factum eſſe hominem. Hinc S. Leo Epiſt. 10. decret. c. 5. agens de Confeſſione Petri dicentis Chriſto, *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, ait: *æqualis erat periculi, Dominum* Jesum Christum, *aut Deum tantummodò ſine homine, aut ſine Deo ſolum hominem credidiſſe.*

Huic periculo ſubjecit ſe Schola, quæ docet in rigore Philoſophico hanc non eſſe veram, *Chriſtus eſt*

eſt homo, quam aliquando non ſine offenſione omnium audivi propugnari. Nonne idem ſentit Lutherus, qui ut tradit Bellarm. l. 3. de Sacram. c. 29 docet eam eſſe falſam, ſecundùm regulas Ariſtotelis? Nonne ſic veritatem omnium aliarum ſimilium eludent propoſitionum, eo quod individuum aliquod non ſit ſpecies, quæ de tali individuo in concreto prædicatur? Nonne etſi Chriſto, Petro, &c. non conveniat natura humana in genere, non erit ideo homo, quod humanitas ipſis non competat? Ex quo patet, quò deducat aliquando Philoſophia intemperantiùs uſurpata.

Dicendum ultimò. Hæ propoſitiones ſunt veræ *Chriſtus eſt creatura*, cùm ſit talis, eo ipſo quo ſit homo. *Chriſtus eſt homo divinus*, intelligendo talem perſonam, cui divinitas eſſentialiter competat, non item accidentaliter. Item hæc eſt vera: *Chriſtus factus eſt homo*, ut dicitur in Symbolo: non item hæc: *Homo factus eſt Deus*, eo quod ſenſus ſit, quòd ſuppoſitum humanum inceperit eſſe Deus, quod falſum eſt. Si tamen ſit ſenſus, quod duo termini *homo & Deus* inceperint de ſe mutuo prædicari, ſic admitti debet ut vera, quo ſenſu aliquando dicunt SS. Patres, Deum factum hominem, & hominem Deum. Hæc autem juxta D. Thom. non eſt admittenda tamquam vera, *Chriſtus eſt homo Dominicus*, eo quod ſit *Dominus*, & ea propter hanc propoſitionem retractavit S. Aug. l. 1. retract. c. 19. etſi aliquando ab aliis uſurpetur, quo pacto ut vera ſit, intelligi debet hoc ſenſu, ut Chriſtus ſecundùm naturam humanam, ſit aliquid pertinens ad Dominum. Idem dic de eâ: *Chriſtus eſt homo deifer*: eo quod illa de ſe importet ſuppoſitum, quod non verè, ſed ſolùm moraliter eſſet Deus, aliàs ſi importet ſuppoſitum, cui ſubſtantialiter competit divinitas, admitti poterit ut vera.

SECTIO II.

De Gratia Chriſti.

Cum gratia nihil ſit aliud, quam aliquid quod reddit aliquem juſtum ac Deo gratum, dicendum eſt primò cum S. Aug. tract. 108. in Joan. *Filius hominis ſanctificatus eſt ab initio creationis ſuæ, quando Verbum factum eſt caro, quia una perſona facta eſt, Verbum & caro.* Ratio ergo quare Chriſti anima fuerit ſancta aut ſanctificata ſit, quia una perſona facta eſt Verbum & caro.

Per quid anima Chriſti facta ſit ſancta

Dicendum 2. facta eſt ſancta Chriſti anima per gratiam ſanctificantem creatam, & etiam per ipſam divinitatem. Probatur prius, quia, etſi abſque dono gratiæ, ipſum verbum per ſe, animam Chriſti potuiſſet ſanctificare, tamen hoc maximè congruebat, tum quia cùm anima Chriſti non eſſet ſancta per eſſentiam, requirebatur, ut eſſet per participationem, quod fit per gratiam; tum etiam quia requiritur principium intrinſecum ad actiones ſupernaturales in Chriſto, nec ſufficit quod exteriùs adjuvetur, hoc autem principium eſt gratia.

Probatur poſterius, ex eo quod divinitas ſit ipſa ſanctitas, & origo omnis ſanctitatis, unde nihil obeſt, quo minus dicatur humanitatem cui unita erat ſanctificaſſe per ſe & ratione ſui: Hinc dicit Auguſt. quòd ſanctificaverit *ſe in ſe*, hoc eſt *ſe hominem, in ſe, verbo.* Quomodò autem poſſit quis dici ſanctus, per receptionem ipſius Spiritùs ſancti aut ſanctitatis, vide in materia de juſtificatione.

Virtutes in Chriſto.

Dicendum 2. cùm in Chriſto fuerit plenitudo gratiæ, conſequitur in Chriſto fuiſſe omnes virtutes ſtatuì comprehenſoris non repugnantes, infuſas quidem ſupernaturales, ſed naturales habuit acquiſitas ab initio conceptionis.

Fides

Fides ergo juxtà aliquos & ſpes in illo non fuit, eo quod quandam imperfectionem importent, & ſtatui beatorum repugnent, cum fides de ſe ſit obſcura notitia non apparentium, beatis autem appareant, quæ fide credimus. Spes autem eſt deſiderium beatitudinis nondum adeptæ. Verùm juxtà dicta §. 702. de fide in 2. 2. non eſt ratio quare beatis negetur ineſſe fides reſpectu illius, quod non comprehendunt in Deo. Idem eſt de ſpe reſpectu corporis glorificationis, quam proindè etiam Chriſto competere tali reſpectu, dictum fuit §. 4. de ſubjecto ſpei, cùm corporis Chriſti beatitudo, haberet omnes conditiones ad objectum ſpei requiſitas, quam proindè verò actu ſpei Chriſtus ſperare poterat, uti ibidem eſt dictum, quò ſe Lector referat. *Chriſtus ſperavit gloriam corporis.*

Dicendum 3. fuit in Chriſto virtus pœnitentiæ, prout importat virtutem, quæ deteſtatur peccata, à quocumque ſint commiſſa, & pro iiſdem ſatisfacere deſiderat, cum ita Chriſtus pro noſtris offenſis ſatisfecerit, eaſque ſit deteſtatus. Si verò importet virtutem, cujus actus proprius eſt lugere & deteſtari peccata à ſe commiſſa, ſic nullatenus in Deo pœnitentiæ virtus eſt admittenda. *Pœnitentia Chriſti.*

Dicendum 4. fuerunt in Chriſto dona Spiritûs Sancti. Cùm enim dona illa ſint ſpiritualia quædam animæ ornamenta, quibus anima redditur facilè mobilis ad ductum & motionem Spiritûs Sancti ſequendum, ſequitur illa in anima Chriſti eſſe admittenda, cùm ad illud anima ejus fuerit promptiſſima. Hinc Iſaïæ 11. de Chriſto dicitur: *Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini: Spiritus ſapientiæ & intellectûs,* &c. *Dona Spiritûs S.*

Dicendum 5. Fuiſſe in Chriſto gratias gratis datas, id eſt actus ſupra naturam, factos operatione divinâ ad fidei confirmationem aut propagationem, quales actus in Chriſto pleniſſimè fuiſſe clarè conſtat ex miraculis, Prophetiis, gratiâ ſanitatum, &c. *Gratia gratis data.*

Quomodo gratia Chriſti ſit finita & infinita. Dicendum 6. Gratiam Chriſti, cùm fuerit quid creatum, fuiſſe finitam: dicitur tamen aliquando infinita, ratione effectûs infiniti, cùm opera Chriſti, tali gratiâ facta, fuerint infiniti valoris: dicitur quoque aliquando gratiam Chriſti non fuiſſe datam ad menſuram, eò quòd in Chriſto fuerit plenitudo gratiæ, ex qua omnes eam accepturi erant, ut ex primo fonte. Ex quo ſequitur, quod Chriſti gratia non potuerit augeri, eò quòd ab initio perfectiſſima fuerit & pleniſſima, & ſi quando dicit Scriptura quòd *Chriſtus proficiebat ſapientiâ, ætate, & gratiâ apud Deum, &c.* Lucæ 2. intelligendum eſt, de manifeſtatione gratiæ, quæ ſenſim hominibus decurſu vitæ Chriſti manifeſtabatur.

SECTIO III.

De Scientia Chriſti.

Scientia Chriſti fuit perfectiſſima. Cum intellectus ſit proprietas naturæ rationalis, ſequitur eum in Chriſto fuiſſe perfectiſſimum. Dico tamen 1. anima Chriſti non intellexit, nec intelligere potuit ſcientiâ increatâ. Probatur primò ex eo, quòd intelligere ſit actio vitalis, undè eſt actio naturæ intelligentis, atqui intellectio increata non poteſt eſſe actio vitalis naturæ creatæ, ergò. Deinde intellectus & actio intelligendi non diſtinguuntur; adeò ut hâc ratione dicant SS. PP. ut Amb. & Damaſc. quòd non poſſit eſſe una operatio, ubi diverſa eſt ſubſtantia: cùm ergò anima Chriſti & intellectus divinus fuerint diverſæ ſubſtantiæ, ſequitur quòd illorum non potuerit eſſe eadem intelligendi operatio.

Scientia beatorum. Dico 2. Habuit & Chriſtus ſcientiam beatificam, idque ab initio conceptionis ſuæ. Patuit hoc juxta SS. PP. in transfiguratione, in qua gloria ejus beatifica apparuit. Deinde præter hanc ſcientiam beatificam

ficam, habuit & infuſam, imò & acquiſitam. Probatur primùm, quia cùm Chriſtus eſſet doctor univerſorum, quem decebat ſcientia perfectiſſima, decebat quoque eum habere ſcientiam rerum naturalium & ſupernaturalium non tantùm in verbo, quam habebat vi beatitudinis ſuæ, ſed etiam in ſe ipſis. Probatur ſecundum, quia decurſu temporis habuit ſcientiam experimentalem; deinde nihil perfectionis humanæ defuit humanitati Chriſti, habere autem ſcientiam acquiſitam, in naturalibus non modica eſt perfectio.

Quænam cognoverit anima Chriſti.

Dicendum 3. Veroſimile videri, Chriſti animam omnia prorſus cognoviſſe, quæ à Deo cognoſcuntur. Probatur ex S. Auguſt. l. qq. 83. q. 65. ubi ait: *Illius* (Chriſtus) *Linteamina & ſudarium, qui peccatum non fecit*, Et nihil ignoravit, *in monumento inventa ſunt. Ipſe ſolus in carne non tantùm in monumento non eſt oppreſſus, ut aliquod peccatum in eo inveniretur: ſed nec linteis implicatus*, ut aliquid eum lateret.

An Chriſtus Deum comprehenderit.

Dices: ergò Chriſtus Deum comprehendit, quod tamen Chriſto & beatis denegant SS.PP. Reſp. comprehendit Chriſtus illa hoc ſenſu, ut in objecto comprehenſionis nihil ſit, quòd illum latuerit. Non tamen comprehendit propriè, id eſt in[illegible]xit cognitione adæquante objectum, ſive quæ [illegible]ta ſit, quanta eſt objecti cognoſcibilitas: de poſteriori autem comprehenſione intelligendi ſunt SS. Patres, dum negant Chriſto comprehenſionem rerum divinarum. Longè enim cognoſcibilitas Dei, excedit cognitionem Chriſti, uti clarè patet ex cognitione Dei reſpectu ſui ipſius, quæ longè eſt perfectior, cognitione animæ Chriſti.

Quomodo Chriſtus aliqua neſciat.

Objicies, Chriſtus fatetur Marci 13. ſe neſcire diem Judicii. Reſp. neſcivit Chriſtus diem judicii ordinariâ cognitione, id eſt abſque ſpeciali revelatione, & in quantùm homo, ut aliqui dicunt. Vel etiam quòd non ita ſciret, ut declarare deberet Apoſtolis.

ſtolis. Sicut enim legatus ſi rogetur de rebus commiſſionem & legationem excedentibus, rectè dicit, ſe eadem neſcire, puta ut legatus.

Dicendum 4. Chriſtum per ſcientiam infuſam cognoviſſe omnia tam ſupernaturalia, quam naturalia, quæ ab homine, vel ab Angelo ſciri poſſunt: talis enim ſcientia decebat Chriſtum, qui eſſet caput & magiſter hominum & Angelorum, & omnia venerat reſtaurare. Denique decebat illum talis ſcientia, in quo erant omnes Theſauri ſapientiæ abſconditi, à quo proinde omnes diſcere deberent, non ipſe ab aliis: etſi quando alios rogaſſe Chriſtum Scriptura dicit, tamen non rogavit ut diſceret, ſed ut doceret & inſtrueret.

Quomodo Chriſtus rogaverit alios.

SECTIO IV.

De Potentia animæ Chriſti.

Anima Chriſti non fuit omnipotens.

Dicendum primò, Animam Chriſti verbo unitam manſiſſe creaturam, & conſequenter non fuiſſe omnipotentem. Omnipotentia enim duo involvit: unum quod ſe extendere poſſit ad omne factibile, quod animæ Chriſti non competit, cùm ſe extendere nequeat ad ſe ipſam. Alterum quod à concurſu cauſæ ſuperioris ſit independens, quod neque illi competit. Hinc Cyrilli ad Monach. Ægypt. pag. 18. *Omnia*, ait, *condere, ſolius Dei eſt.* Quando igitur SS. Patres aliquando humanitatem Chriſti omnipotentem vocant, intelligendi ſunt vel ſecundùm communicationem idiomatum: vel quòd humanitas Chriſti propter conjunctionem cum verbo eſſet maximæ efficaciæ, quod omnia poſſet à verbo impetrare.

Poteſtas animæ Chriſti.

Dicendum 2. Cùm anima Chriſti fuerit perfectiſſima, quoad vires naturales, ſequitur eamdem habuiſſe poteſtatem ad omnes naturales effectus: & cùm

cùm inſuper fuerit plena gratiæ ſequitur eam habuiſſe potentiam ad omnes effectus ſupernaturales, quæ animæ humanæ quoquo modo poſſent competere. Deinde habuit anima Chriſti ut inſtrumentum verbi, vim immutandi res miraculosè, maximè eas quæ ad finem incarnationis poſſent conducere: quæ quidem vis permanenter erat in Chriſto, quæ in aliis SS. ſolummodo erat tranſeunter, dum à divina virtute aliquando juvabantur.

Dicendum 3. Verius videri, humanitatem Chriſti non ſolùm moraliter & per modum gratiæ impetratoriæ ſed Phyſicè concurriſſe ad miracula, unde dum S. Auguſt. tract. 8. in Joan. ait: *Miraculum quod facturus erat in cana Galilææ, ſecundùm divinitatem facturus erat, non ſecundùm infirmitatem.* Et Damaſcen. l. 3. fid. orth. cap. 15. *Miraculorum vis*, ait, *divinitatis ipſius actio erat..... humanæ porrò actionis opus id fuit, quod puellæ manum arripuerit, ac pertraxerit; divinæ autem, quod eam ad vitam revocarit.* Intelligi debet divinitatem eſſe cauſam principalem miraculorum. Hinc virtus quæ à Chriſto exiviſſe dicitur aliquando in Evangelio; vel fuit Spiritus Sanctus ut voluit S. Auguſt. tract. 99. in Joan. adeòque illa Phyſicè operata fuit miracula: vel fuerunt ipſa opera miraculoſa, quæ dicuntur aliquando virtus, ut Marc. 6. dicitur quòd non potuerit *ibi* (in ſuâ patriâ) *facere ullam virtutem*, id eſt, miraculum.

Modus patrandi miracula.

Dicendum 4. Quæcumque abſolutâ voluntate voluit Chriſti anima, facere potuit. Probatur breviter, quia ſummam ſapientiam dedeceret velle aliquid facere, quod ſciret eſſe impoſſibile.

Quod voluit Chriſtus, hoc potuit.

SECTIO V.

De voluntate & libertate Chriſti.

Duplex in Chriſto voluntas. DICENDUM primò, duplex in Chriſto admittenda eſt voluntas, una divina, alia humana. De divina conſtat. Quòd etiam humana admittenda ſit, patet ex eo, quòd Chriſtus fuerit verus homo, fuerit obediens, meruerit, &c. Quæ omnia voluntatem humanam Chriſti ſatis declarant.

Conformitas voluntatis Chriſti cum divina. Dicendum 2. Voluntas animæ Chriſti efficax, ſemper fuit conformis voluntati Patris. Declarat illud Scriptura variis locis, ubi dicit cibum Chriſti eſſe, facere voluntatem Patris, ut Joan 4. quæ placita ſunt Patri ſemper à Chriſto facta eſſe, ut cap. 8. &c. Deinde cùm anima Chriſti perfectè ſciret voluntatem Patris, imprudenter egiſſet volendo eidem contraire.

Quomodò potuerit eſſe difformis. Dicendum tertiò: potuit tamen voluntas ſenſualis & rationalis Chriſti ut eſt inclinatio naturalis, aliud velle quàm Deus: ſic Matth. 26. dicit Chriſtus: *Non quod ego volo, ſed quod tu.* Ad quod S. Auguſt. l. 3. contra Maximi. c. 20. *In hoc ait, quod Chriſtus dicit, non quod ego volo, ſed quod tu, aliud oſtendit ſe voluiſſe quàm Pater, quod niſi humano corde non poteſt, cùm infirmitatem noſtram in ſuum, non divinum, ſed humanum transfiguraret affectum.* Ratio eſt, quòd ſenſualis appetitus & naturalis voluntatis inclinatio refugiat dolores, & mortem, quam præceperat voluntas divina.

Nec inde in Chriſto ullatenùs conſequitur voluntatum repugnantia, cùm equidem nihil volebant illæ voluntates, à voluntate Dei alienum: volebat enim voluntas divina, ut voluntas ſenſitiva & ipſius voluntatis inclinatio mortem averſaretur, timeret, &c. ut oſtenderet ſe verum hominem in carne paſſibili.

Dicen-

Dicendum 4. Fuiſſe in Chriſto liberum arbitrium: *Oblatus enim eſt, quia ipſe voluit.* Iſaiæ 53. deinde Joan. 7. dicitur de Chriſto. *Ambulabat Jeſus in Galilæam, non enim volebat in Judæam ambulare* Deinde Chriſtus meruit, ſatisfecit, &c. quæ omnia exigunt libertatem. *Libertas Chriſti.*

Dicendum 5. Fuit illud arbitrium Chriſti impeccabile. Probatur: quia tenebatur verbum impedire, ne peccatum flueret in humanitatem, quæ ſibi jam erat propria: quod ſi non impediſſet, peccaſſet verbum, quod erat impoſſibile. Deinde probatur ex eo, quòd Chriſtus non ſolùm viator fuerit, ſed etiam comprehenſor, beatos autem eſſe impeccabiles dictum eſt in antecedentibus.

SECTIO VI.

Quomodo conſiſtat libertas Chriſti, cum ejus impeccabilitate, viſione beatifica, & prædefinitione divina.

SUpposito quod Chriſto datum ſit verum à Patre moriendi præceptum, uti poſtea probabimus, dicendum primò, Chriſtum in executione talis præcepti fuiſſe liberum, etiam non obſtante ejus impeccabilitate. Probant hoc aliqui ex eo, quod equidem ſtante tali præcepto Patris, & impeccabilitate Chriſti, non erat Chriſto determinata mors, quoad tempus, modum, motiva quare moreretur, & alias circumſtantias ad quas proinde remanſit in Chriſto libertas. Verùm nihil reſpondet hæc ſententia in caſu præcepti, quoad omnes circumſtantias determinati, an talis præcepti adimpletione fuerit liber. Undè Reſp. etiam in illo caſu liberum fuiſſe Chriſti arbitrium. Pro cujus intelligentia prænotandum eſt, quod non omnis ſuppoſitio ad actum voluntatis prævia, quæ poſita infallibiliter actum infert, auferat libertatem voluntatis (aliàs enim *Quomodo Chriſtus ſit liber in exequendis mandatis.*

prædefinitio divina noſtris actibus illam auferret, cùm (eâ poſitâ infallibiliter ſequatur actio) ſed ulteriùs requiritur, ut illa ſuppoſitio talis ſit, ut efficaci & phyſico modo voluntatem afficiendo ejus libertatem auferat. Cùm ergò præceptum illud à Patre datum, ſit Chriſti voluntati extrinſecum, & non tam ex parte potentiæ, quam ex parte objecti voluntatem moveat, neque aliquid objecto addat, quo voluntas ad actum neceſſitetur, ſequitur voluntatem Chriſti in adimpletione præcepti, etiam quoad omnes circumſtantias determinati, fuiſſe intrinſecè liberam. Confirmat illud S. Th. in 3. de 18. q. 1. a. 2. ubi ait. *Etiamſi liberum Chriſti arbitrium eſſet determinatum ad unum numero, ſicut ad diligendum Deum, quod non facere non poteſt, tamen non ex hoc amittit libertatem, aut rationem laudis, ſicut meriti, quia in illud non coactè, ſed ſpontè tendit, & ita eſt actûs ſui Dominus.*

Cùm ergò, ut ante dictum eſt, voluntas Chriſti fuerit impeccabilis, ex eo quod voluntas ejus eſſet voluntas verbi, adeò ut ſi voluntas Chriſti defeciſſet, defectus ille voluntati verbi fuiſſet adſcribendus, quod defectum non impediſſet; nullo modo a ſit impeccabilis ex intrinſeca determinatione & eceſſitatione voluntatis ad hîc & nunc operanduu: ſequitur voluntatem Chriſti ex intrinſeca ſua ratione & diſpoſitione, potuiſſe non adimplere illud à Patre acceptum præceptum, etſi factâ unione hypoſtaticâ & ſtante obligatione verbi cuſtodiendi humanitatem à peccato, abſolutè non potuerit peccare.

Quomodo libertas Chriſti conſiſtat cum viſione beatifica.

Dicendum 2. Eodem modo libertas Chriſti conſiſtit cum ejus viſione beatifica, cùm voluntas nihil habeat intrinſecum ſeſe ad actum amoris Dei neceſſitans, adeoque tota determinatio neceſſitans oritur ex parte objecti, quod ut ſummè amandum proponitur, hoc autem nihil libertati officit, cùm ſi per impoſſibile ſupponeretur, dari aliquid melius objecto

jecto propoſito, nihil obeſſet, quò minùs voluntas in illud poſſet ferri.

Dicendum 3. Non magis officit libertati Chriſti prædefinitio divina priùs à Deo facta, quam actus à voluntate Chriſti eſſent voliti; non magis inquam, quam illa officiat libertati humanæ. Prædefinitio enim habet ſe omninò extrinſecè ad voluntatem, eamdem intrinſecè relinquens in ſua naturali diſpoſitione, & eidem ſeſe attemperans, dum actus prædefinitur; etſi illâ poſitâ, actus infallibiliter conſequatur. *Prædefinitio non obſtat libertati Chriſti.*

Dicendum ultimò. Non obſtante impeccabilitate, viſione beatificâ, & prædefinitione dictâ, Chriſti voluntatem manſiſſe eſſentialiter liberam, eo ipſo quo ſeſe ad actum obedientiæ, amoris, &c. determinavit, idque prævio perfectiſſimo rationis judicio, in quo eſſentialis libertatis ratio conſiſtit, de quo plura dixi in 1. 2. de libertate.

S E C T I O VII.

De Merito Chriſti.

DICENDUM primò, de fide eſſe, Chriſtum nobis meruiſſe. Probatur ex variis Scripturæ locis, quæ dicunt Chriſtum ſuo ſanguine nos redemiſſe, uti etiam ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 7. ubi ait, Chriſtum eſſe cauſam meritoriam noſtræ juſtificationis: Denique ex eo, quod habuerit omnes conditiones ad meritum requiſitas. Meritus autem eſt, ab initio ſuæ Conceptionis, uſque ad mortem, idque ſine ulla interruptione intermedia. *Quo tempore Chriſtus meruerit.*

Dicendum 2. In inſtanti mortis, cum vita Chriſti finitum fuit ejus meritum. Hinc per apertionem lateris, per reſurrectionem, ad inferos deſcenſionem, &c. Chriſtus non meruit, nec ſatisfecit, cùm ſtatus merendi & ſatisfaciendi jam tranſierat: quatenus

tenus tamen Chriſtus vivens prævidit, & liberè acceptavit, & pro nobis obtulit vulnera etiam poſt mortem inflicta, quæ prævidebat, eatenus meruit nobis eâ lateris apertione pro nobis oblatâ, uti & aliis poſt mortem vulneribus.

Actio Chriſti fuit finitæ entitatis, infiniti valoris.

Dicendum 3. Chriſtus in ſtatu meriti non profecit, ſed quodlibet Chriſti opus fuit meritorium infiniti valoris: Probatur, quia valor meriti, uti etiam ſatisfactionis, creſcit ex dignitate perſonæ, atqui Chriſtus fuit perſona dignitatis infinitæ. Etſi enim omnis Chriſti actio, fuerit finitæ entitatis, non tamen finiti valoris, cùm valor operis ab ejus entitate diverſus ſit, & pendens à morali æſtimatione actûs, quam habet ex ordine ad perſonam Chriſti agentis.

Non omnis actio mereri poterat deletionem peccatorum.

Dicendum 4. etſi omnis Chriſti actio fuerit infiniti valoris, non tamen quælibet fuit ſufficiens ad merendum præmium, Chriſto à Patre præſtitutum, ſed aliter ex divina ordinatione factum eſt, ut per omnes Chriſti actiones deleretur Chirographum, & per mortem ejus finiretur incarnationis œconomia, & redemptionis negotium conſummaretur, unde moriens exclamavit: *Conſummatum eſt.* Quâ oblatione ſui, conſummavit in æternum ſanctificatos, ut ait Apoſt. ad Hæb. 9. & 10. Ipſâ tamen morte etiam meritus eſt Chriſtus, id eſt, ut mors erat in fieri, non item ut in facto eſſe, ait D. Thom.

Chriſtus moriendo meruit.

Dicendum 5. etſi Chriſtus principaliter incarnatus ſit noſtræ redemptionis causâ, ſibi tamen aliquid meruiſſe tenendum eſt. Hinc dicit Script. ad Philip. 2. *Humiliavit ſemetipſum. . . . propter quod exaltavit illum*, &c. Non tamen meruit prædeſtinationem incarnationis, aut ejus executionem. Probatur priùs, quia meritum debet præcedere præmium, vel in ſe, vel ut eſt in mente præmiantis: Sed meritum Chriſti talem prædeſtinationem præcedere nequit, quæ fuit ab æterno. Probatur quoque poſteriùs, quia priùs debet cogitari ſuppoſitum, id eſt Chriſtus qui mere-

Non meruit incarnationis prædeſtinationem.

meretur, adeoque priùs debet concipi ipſa incarnatio. Eodem modo Chriſtus non meruit ſibi viſionem beatificam, neque gratiam, quia inde ſequeretur quod illis aliquando caruiſſet, quod falſum eſt.

Dicendum 6. Chriſtum ſibi meruiſſe gloriam corporis, ejuſque immortalitatem, ſui nominis exaltationem & alia his ſimilia. Etſi enim illa Chriſto deberentur, titulo unionis hypoſtaticæ, novo tamen titulo eadem mereri poterat, uti fecit, & patet ex Epiſt. ad Philip. 2. dictâ. *Quænam Chriſtus meruerit.*

Obſtat tamen Calvinus lib. 2. Inſtitutionum cap. 16. & dicit, quod ſi Chriſtus aliquid ſibi meruiſſet, potiùs propter ſeipſum veniſſet; quam propter nos, ubi tamen Scriptura paſſim dicit, *Chriſtum nobis datum, nobis meruiſſe, nobis veniſſe*, deinde Apoſt. ad Philippenſes 2. non ſignificat Chriſtum meruiſſe exaltationem nominis propter paſſionem tamquam ob meritum, ſed ſolummodò ſignificare, quo ordine fuerit exaltatus, ſive quod primò fuerit paſſus, deinde exaltatus. Reſp. quod Chriſtus verè venerit nobis, nobis natus, & nobis datus ſit, nobis meruerit, & propter noſtram ſalutem deſcenderit de cœlo, imò formam ſervi acceperit, ſolummodò ut noſtram miſeriam tolleret, non ſuam: ſed eo poſito, etiam potuit Chriſtus ſibi ipſi mereri, dum in Chriſto concurrerent omnia requiſita ad meritum.

Ad locum autem Apoſtoli reſp. non ſignificare ibidem ſolummodò ordinem, ſed etiam cauſam & meritum, quod importatur per illam vocem *propter*: quaſi diceret, ideò Deus exaltavit illum, id eſt Chriſtum, &c. quia Chriſtus humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem.

Dicendum 7. Meruit Chriſtus remiſſionem peccatorum, gratiam primam, gratiæ augmentum, prædeſtinationem noſtram, ſatisfactiones noſtras, juſtificationis media, omnia denique opera noſtra meri-

meritoria. Probatur: quia imprimis, *Sanguis Chriſti emundat nos ab omni peccato.* 1. Joan. 1. Deinde generaliter dicit Apoſt. ad Epheſ. 1. *Deus benedixit nos in* OMNI *benedictione in cœleſtibus in Chriſto.* Rurſum Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 5. declarat *juſtificationis exordium in adultis à Dei per Jeſum Chriſtum præveniente gratiâ ſumendum eſſe, hoc eſt, ab ejus vocatione, quâ nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur.* Iterum idem Concilium ſeſſ. 14. c. 8. dicit *Omnem noſtram ſufficientiam ad ſatisfaciendum eſſe à Chriſto: nos in illo ſatisfacere, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habeant.* Inſuper ſeſſ. 6. c. 16. dicit. *Chriſtum Jeſum tamquam Caput in membra, & tamquam vitem in palmites, in ipſos juſtificatos, jugiter virtutem influere, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, comitatur & ſubſequitur.* Denique apertè dicit Scriptura ad Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo* (Chriſto) *ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus Sancti & Immaculati, &c.* Et rurſum eodem cap. *Prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum.*

Hominibus omnibus meruit Chriſtus gratiam & gloriam.

Dicendum 8. Chriſtum meruiſſe SS. Patribus V. T. gratiam & gloriam, eo ſenſu, quod Deus intuitu meritorum Chriſti quæ prævidebat, illis dederit gratiam & gloriam; quod meritum poteſt dici meritum latè dictum, ut volunt aliqui, cùm hoc negent de merito ſtrictè dicto; maximè cùm S. Auguſt. dat l. de moribus Eccl. c. 25. *Nec præmium poteſt præcedere merita, nec priùs homini dari quam dignus ſit.* Et rurſum tract. 40. in Joan. *Quæris mercedem? Opus præcedat.* Ad quod reſponderi poteſt, ut ante inſinuavimus, ſufficere quod meritum præexiſtat præmio, vel in ſe vel ut eſt in mente præmiantis, qualiter etiam præexiſtebat Chriſti meritum in mente divina.

Non Angelis.

Dicendum 9. S. Auguſtino conformiùs docent, qui negant Chriſtum eſſe meritum Angelis gratiam, gloriam & perſeverantiam. Probatur primò ex Apoſt. ad Hæb. 2. ubi ait, quod illi qui à Chriſto

ſancti-

ſanctificantur ſint ex uno omnes, id eſt ex uno Adamo. Undè addit, quod Chriſtus non confundatur ideò, eoſdem vocare fratres. Atqui Angeli nec ab Adamo deſcendunt, nec poſſunt dici Fratres Chriſti, ergo ii à Chriſto non ſanctificantur, juxta Apoſtolum. Deinde gratia & gloria Angelorum fuit omninò independens à peccato Adæ, & conſequenter à morte Chriſti, quæ ſupponit Adæ peccatum, & ſi ille non peccaſſet, filius hominis non veniſſet, ut ait S. Aug.

Dices, quomodo ergo Chriſtus dicit Joan. 14. *Nemo venit ad Patrem niſi per me?* Deinde quomodo ad Eph. 1. dicitur Chriſtus inſtaurare, & ad Coloſ. 1. pacificare per ſanguinem ejus omnia, quæ ſunt in cœlo, ſive in terra. Denique quomodo Apocalypſ. 12. dicitur Michaël viciſſe prælium in ſanguine Agni. Reſp. ad primum, tò *nemo* referri debet ad ſolos homines, ad quos dirigitur Chriſti ſermo. Ad 2. Reſp. Deum per Chriſtum inſtaurare, ea quæ in cœlis ſunt, quatenus per illum implet Angelorum ruïnas. Pacificare verò dicitur per ſanguinem ejus eadem, quatenus datur per Chriſtum pax inter Angelos & homines, quibus Angeli ante, ob peccatum erant offenſi. Ita etiam intelligi poteſt, quod ait S. Hier. in c. 1. ad Eph. ubi dicit crucem Chriſti purgaſſe ea etiam, quæ in cœlis erant: aut certè locutus eſt ex ſententia Origenis docentis Chriſtum pro Angelis eſſe paſſum. Denique Michaël non vicit prælium proprium, id eſt pro propria ſalute initum cum dracone, ſed pro ſalute hominum, quam draco impedire tentabat.

Objicies deinde, D. Thomas in illum locum Joan. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*, ita ait, *omnes accepimus, etiam Angeli.* Reſp. diſſimulato, quod, ut obſervant aliqui, ſimilia verba in commentario D. Thomæ inveniri non poſſint, rectè locum illum intelligi de plenitudine Chriſti ſecundùm divinitatem, quæ eſt ſanctitas per eſſentiam, à qua *Omnis ſanctitas à ſanctitate increata.*

Om-

omnis alia ſanctitas derivatur, etiam Angelorum. Vel etiam dici poteſt, etiam Angelos aliquid accepiſſe ab ipſius Chriſti gratia, puta concordiam cum hominibus, conſortium eorumdem, &c.

Denique quod Chriſtus ſit Caput Angelorum nihil prorſus obſtat, cùm ad hoc ſufficiat, quod ab eo illuminentur, gloriam aliquam accidentalem accipiant, &c.

CAPUT TERTIUM.

De Satisfactione Chriſti.

SECTIO PRIMA.

An Chriſtus ſatisfecerit condignè pro peccatis noſtris.

Quid ſit Satisfactio. SATISFACTIO nihil eſt aliud quam ſolutio debiti, vel redditio æquivalentis, pro commiſſa injuria per humiliationem, reverentiam, &c. Differt autem à merito in eo quod ſatisfactio ſupponat debitum, in eo qui ſatisfacit, aut ſaltem in eo cujus loco alter ſatisfacit; Meritum autem debitum non ſupponit, ſed potius cauſat.

Chriſtus ſatisfecit ſuo Patri condignè. Dicendum ergo Chriſtum ſatisfeciſſe Deo Patri condignâ ſatisfactione, & ſecundùm rigorem juſtitiæ divinæ. Probatur ex eo, quia condignum pretium obtulit Deo Patri, id eſt infinitum, ratione perſonæ infinitæ, pro infinita offenſa, dum ſe & totam vitam ſuam obtulit Deo Patri, quâ oblatione plus ſatisfecit juſtitiæ divinæ, quam ſi totum genus humanum ſempiternas pœnas ſubiret, adeoque pleniſſimè juſtitiæ divinæ ſatisfecit.

Quæres, quomodo ergo Apoſtolus ad Coloſ. 1 dicit

dicit ſe adimplere ea, quæ deſunt Paſſionibus Chriſti. Deinde ſi ſatisfecerit pleniſſimè, ergo ſuperflua eſt ſatisfactio noſtra. Reſp. Senſus prioris eſt, quod ipſe illa ſubeat, quæ deberent ſubire fideles, qui ſunt membra Chriſti. Vel etiam Chriſti, id eſt propter Chriſtum Paſſiones illas ſubeundo. Ad aliud reſp. etſi Chriſtus pleniſſimè ſatisfecerit, tamen ſatisfactiones noſtræ ſunt conditiones neceſſariæ, ut ſatisfactiones Chriſti nobis poſſint applicari.

Dicendum ſecundò, Chriſtum ſatisfeciſſe ſuo Patri ex rigoroſa juſtitia. Probatur, quia inter Deum & homines talis juſtitia reperitur, uti probabitur de jure & juſtitia, ergo & inter Deum & Chriſtum. Hinc dicit Scriptura Chriſtum ſolviſſe debitum, emiſſe nos pretio ſanguinis, extinxiſſe chirographum, &c. quæ propriè ſunt juſtitiæ actiones.

Dices, debitum importat imperfectionem in Chriſto. Deinde juſtitia debet eſſe inter perſonas diſtinctas, cùm autem Chriſtus ſit Deus, ſequitur ſibi ex juſtitia ſatisfeciſſe. Reſp. Ad primum, nullam hoc dicere imperfectionem, ſi debitum illud oriatur ex liberali alterius voluntate, ſicut in Deo nullam dicit imperfectionem, quod aliquid debeat ex fidelitate cùm totum oriatur ex liberali ejus promiſſione & voluntate.

Ad aliud reſp. hoc quidem communiter fieri, ſed poſſe quoque aliter, ſi v. g. duæ naturæ, quæ diversâ ratione habent diverſa jura, in eadem perſona conveniant. Sic etiam poteſt tutor ſibi ſatisfacere ex bonis pupilli, quatenus ſubit perſonam pupilli. Vide plura de jure & juſtitia.

S F.

SECTIO II.

An & quomodo Chriſtus pro omnibus ſit mortuus.

Dicendum primò, de fide eſſe Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum. Probatur ex Sacra Scriptura 2. ad Cor. 5. ubi ait: *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Et 1. ad Tim. 2. *Qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus.* Hinc quoque S. Aug. in Pſalm. 95. *Judicabit orbem terrarum in æquitate*, ait, *totum judicare debet, qui pro toto pretium dedit.*

Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, quoad ſufficientiam.

Dicendum 2. Mortuus eſt Chriſtus pro omnibus quoad ſufficientiam, id eſt quod ſufficiens redemptionis pretium obtulerit, ſed non quoad efficaciam. Probatur ex Trid. ſeſſ 6. c. 3. ubi dicitur: *Etſi Chriſtus pro omnibus mortuus eſt* (quoad ſufficientiam) *non tamen omnes mortis ejus beneficium accipiunt*, id eſt efficacia Crucis Chriſti illis non applicatur. Cùm enim Filius ſuam voluntatem voluntati Patris ſemper conformaverit, ſequitur pro illis tantùm efficaciter obtuliſſe ſalutis remedium, quos Pater ab æterno dilexit & ad gloriam prædeſtinavit.

Quoad cauſalitatem.

Dicendum 3. Cum D. Th. 3. p. q. 49. a. 1. ad 3. Paſſionem Chriſti ſalvaſſe cauſaliter, quia cauſam ſalutis inſtituit, quâ omnia mundi peccata deleri poſſent: *Sicut*, ait, *ſi medicus conficiat medicinam, ex qua poſſint, quicumque morbi ſanari, quæ tamen nihil proderit, niſi ab ægrotante ſumatur: ita Paſſio Chriſti* (ait ibidem ad 4.) *cauſa quædam univerſalis eſt remiſſionis peccatorum, quam neceſſe ſit ſingulis adhiberi ad deletionem propriorum peccatorum, per Baptiſmum, Pœnitentiam, & alia Sacramenta vim Paſſionis Chriſti nobis applicantia.* Undè ſequitur efficaciam Crucis Chriſti iis non applicari, quibus ſalutis remedia deſunt.

Dicen-

Digitized by Google

Dicendum 4. Sicut ex infinita Dei bonitate Chriſtus vult omnes homines ſalvos fieri voluntate antecedente, etſi prævisis peccatis aliquorum, velit eos damnare voluntate conſequenti & efficaci: ita etiam Chriſtus voluit pro omnibus mori, id eſt, ſufficiens offerre redemptionis remedium, ſic ut prævisis aliquorum culpis, nolit illis hoc remedium mortis app[illegible]ri. Sic parvulis aliquibus, ſaltem ob culpam originalem, non vult hoc remedium applicari, cùm ut ait D. Auguſt. eos Deus ſuo regno adjici non vult. In quibus etiam patet, non adeſſe omnibus gratiam ſufficientem ad ſalutem, neque hoc probari poſſe ex meritis Chriſti. Non enim dicitur Chriſtus mortuus pro omnibus quoad ſufficientiam, quaſi propter Chriſti mortem omnibus actu detur ſufficiens auxilium, ſed quod omnes poſſent ex illa obtinere ſufficiens auxilium; ſi autem aliqui illud non obtineant, juſto Dei judicio non obtinent, quibus autem datur, miſericorditer datur.

Ex dictis collige, quomodo intelligendæ ſint Scripturæ generales dicentes Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum; ſcilicet quoad ſufficientiam; item quomodo aliæ idem in ſpeciem negantes, ut illud à S. Aug. Epiſt. 102. *Non perit unus ex illis, pro quibus mortuus eſt Chriſtus.* Item l. 1. c. 15. de adult. Conjug. ubi ait: *Omnis qui Chriſti ſanguine redemptus eſt, homo eſt: non tamen omnis qui homo eſt, etiam ſanguine Chriſti redemptus eſt.* Illa enim & ſimilia intelligenda ſunt quoad efficaciam, quod illi pro quibus efficaciter Chriſtus mortuus eſt, certò ſalventur.

SECTIO III.

De Subjectione Christi.

Chriſtus ſubjectus fuit legibus.

Dicendum primò, Chriſtum ſubjectum fuiſſe legi naturali; imò & divinæ. Probatur primum ex eo, quod Chriſtus tenebatur, colere parentes, non mentiri, &c. Et quamvis Deus etiam teneatur non mentiri, non ideo tamen dici poteſt eſſe ſubjectus legibus, cùm non habeat hoc ratione alicujus obligationis à ſuperioritate impoſitæ, ſed ratione ſuæ bonitatis, & ſibi ipſi ſit lex & regula.

Agnoſcendum eſt verum præceptum Chriſto à Patre datum.

Probatur poſteriùs, quia verum & proprium præceptum moriendi accepit à Patre: nam ut, ait Joan. 14. *Et ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.* Deinde, dicitur *factus obediens uſque ad mortem.* Philip. 2. Obedientia autem præceptum importat, cui obeditur. Hinc dicit S. Auguſt. contra Serm. Arian. c. 6. *Voluntate & Præcepto Patris, ad Paſſionem & mortem properavit.* Nec dici poteſt, fuiſſe ſolum præceptum impropriè dictum, ſcilicet voluntatem Patris, cui obedivit Chriſtus, quia vera obedientia non eſt, niſi ubi eſt verum præceptum, atqui Chriſtus fuit verè obediens, ergo. Neque obſtat quod imminente jam morte, rogaverit Patrem, *Fiat voluntas tua*, quia voluntas ſæpe ſumitur pro mandato, uti & ibidem & alibi ſæpe.

Objicies, Chriſtus non poterat eſſe Deo inimicus, atqui omne præceptum Dei includit implicitè hanc conditionem, *niſi hoc feceris, eris mihi inimicus*: ergo non eſt agnoſcendum præceptum Chriſto à Patre traditum. Reſp. Sufficit, quod talis implicita conditio & comminatio dirigi poſſit ad naturam humanam ſecundùm ſe conſideratam, ſicuti varii defectus Chriſto aſſignantur, qui tamen competere non poſſunt, niſi naturæ humanæ Chriſti.

No-

Notandum tamen, quoſdam Sanctos Patres aſſerere, eſſe ſervile & divinâ dignitate indignum, quod Chriſtus particularibus mandatis teneretur; item Chriſtum nullum à Patre habuiſſe præceptum: ſed omnia ſpontè, liberè & propriâ voluntate feciſſe: quo caſu Sancti Patres oppugnant paſſim Arianos negantes divinitatem in Chriſto: vel etiam quod rudi ſenſu ingeri poſſet fidelibus ex parte præcepti aliqua imperfectio in Chriſto, dum plerumque putant, ideò dari præcepta ut vel timore pœnæ vel culpæ præcepto cogantur ad opus exequendum: aut etiam, quod ſaltem præceptum ſubditos ignorantes dirigat in actu præceptum: hæc autem tali ſenſu in Chriſto locum habere non poſſunt, in quo nulla culpa, ex qua timor pœnæ; & nullus error aut directio ignorantiæ eſſe poteſt.

Quinimò ex præcepto Patris maximè commendatur Chriſti incarnatio. Primò, ad declarandam Dei charitatem erga hominem, quod eo uſque ſe ſubmiſerit, ut etiam ex præcepto Patris hominem redemerit. 2. Ut ſicut proto-parentes violando præceptum Dei, humanum genus perdiderant: ita Chriſtus præceptum Patris obſervando illud reſtitueret. 3. Ut nobis daret obedientiæ exemplum, conſiderando quantum nos Deo obedire oporteat, quando natura humana à Chriſto aſſumpta vero Patris mandato obedivit ad mortem, mortem autem crucis.

Dicendum 2. Chriſtus non fuit ſubjectus legi veteri; nec legi novæ, nec legi humanæ. Probatur prius, quia illa per adventum Chriſti expirabat, & Filius hominis eſt Dominus etiam Sabbathi, hoc eſt cæremoniarum legis. Fuit tamen illi de facto obediens, ut probaret eam ſanctam, averteret occaſionem Judæis calumniandi, obedientiam commendaret, &c. *Quare Chriſtus ſervaverit legem.*

Quæres, quomodo ergo Chriſtus ait Matthæi 5. *Non veni ſolvere legem ſed adimplere*: & iterum ad

Q 2 Gal.

Gal. 4. *Miſit Deus Filium ſuum natum ex Muliere, factum ſub lege:* Atqui nemo propriè legem implet aut conſtituitur ſub lege, niſi qui lege tenetur. Reſp. cum divo Thoma hic q. 47. a. 2. quod lex poſſit impleri multipliciter, uti & omnis obligatio: aliter enim impletur obligatio promiſſionis gratuitæ, aliter obligatio rigoroſi præcepti, v. g. ut debitor implet obligationem creditori factam: Chriſtus autem L. V. implevit, non ut debitor; ſed variis de cauſis jam recenſitis, puta, ut probaret eam ſanctam, averteret occaſionem Judæis calumdiandi, &c. & ut veritas figuram expelleret. Factus quoque fuit Chriſtus ſub lege, non quaſi legis debitor; ſed ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, & conſequenter non ſervili ſubjectione, ſed voluntariâ obſervantiâ, de qua mox plura.

Chriſtus non tenebatur lege novâ.

Probatur 2. Quia ipſemet erat legiſlator & author legis novæ. Neque refert quod aliquando legiſlator teneatur propriâ lege, quia hoc tantùm fit, quando materia legis æquè ipſum concernit ac ſubditos, v.g. in lege Eccleſiaſtica de jejunio. Quando autem lex concernit ſubditos, ut ſubditi ſunt, tunc non obligat legiſlatorem ſuperiorem, patet in lege ſolvendi tributum. Talis autem lex erat L. N. quæ concernebat hominem ut ſalvandum adventu Chriſti.

Chriſtus quomodo erat ſubjectus Patri.

Dicendum 3. Chriſtus ſecundùm humanitatem fuit ſubjectus Patri. Probatur ex dictis, quia fuit eidem obediens uſque ad mortem. Deinde Chriſtus ut talis, fuit creatura, ergo erat factori ſuo deſerviens, uti omnis creatura. Imò ex Scriptura conſtat Chriſtum fuiſſe ſervum Dei Patris: ſic Iſaïæ 53. *Juſtificabit ipſe juſtus ſervus meus multos.* Quæ ſervitus in eo ſita eſt, quod ſit ſubjectus Patri, uti ſervi Domino in exequendis mandatis, ab ejus nutu pendeat ſecundùm humanitatem, &c. Hinc quando Conc. aut SS. Patres negant Chriſtum fuiſſe ſervum, intelligunt ſervitutem peccati, aut dejectionem quæ in ſervis propriè dictis contemptibilis eſt & abjecta.

Di-

Dicendum 4. Chriſtus non eſt Filius Dei adoptivus, ſed eſt Filius Dei à natura. Probatur, quia adoptivus dicitur perſona aliena, quæ aſſumitur in hæreditatem: Chriſtus autem non eſt perſona extranea à Deo, ſed eſt perſona qui ſit verus Deus & Homo, adeoque non aſſumitur ut extranea ad hæreditatem, cui ipſa hæreditas tamquam naturali filio competit. Impropriè tamen ſecundùm humanitatem dicitur adoptivus, cùm adoptare humanitatem idem ſignificet, quod illam aſſumere, quo ſenſu intelligendi ſunt aliqui SS. PP. Ita loquentes de Chriſto. Deinde dicitur aliquando Chriſtus ſibi meruiſſe adoptionis jus, hoc ſenſu ſcilicet, quod meruerit nos omnes adoptare in hæreditatem ſalutis. Nec denique poteſt Chriſtus dici Filius Dei adoptivus ratione humanitatis, quæ Deo extranea eſt, & poteſt aſſumi ad hæreditatem regni, quia adoptio non tribuitur naturis, ſed perſonis. *Chriſtus eſt Filius Patris naturalis.* *Quomodo dici poſſit Filius Dei adoptivus.*

Dicendum 5. Chriſtus Homo eſt Filius Dei naturalis, imò Chriſtus in quantum homo, eſt talis. Prius patet, quia Chriſtus homo eſt Deus, ergo Filius Dei Patris. Poſterius quoque verum eſt hoc ſenſu, quod Chriſtus quatenus eſt perſona, cui humanitas competit, & per eamdem ſubſiſtens, ſit Filius Dei naturalis, cùm verbum in divinis ſit tale. *Chriſtus ut homo eſt Dei Filius naturalis.*

SECTIO IV.

De Oratione Chriſti.

Dicendum primò, Chriſtum verè & non tantùm ſimulatè oraſſe, tam pro ſe, quam pro nobis. Probatur 1. quia ut ait Scriptura Lucæ 6. *Exiit in montem orare: & erat pernoctans in oratione.* Idem dicit alibi ſæpe. Etſi autem aliquando SS. Patres dicant Chriſtum ſimulatè oraſſe, intelligendi *Chriſtus verè oravit.*

 ſunt

ſunt de ſimulatione ſuæ indigentiæ & neceſſitatis, quam orando præ ſe gerebat Chriſtus quæ talis non erat, ut apparebat: vel etiam quod ſimulatè orabat, ſecundùm divinitatem.

Quomodo poterit mens Chriſti in Deum ferri.

Objicies: oratio eſt aſcenſio mentis in Deum, atqui Chriſtus de novo non poterat mente ſuâ ferri in Deum, cùm ab initio conceptionis in illum tenderet per viſionem beatificam. Reſp. etſi non poterat de novo ferri in Deum viſione beatificâ, poterat tamen per deſiderium novum aliquid à Deo impetrândi.

Etiam peti poteſt quod certò futurum eſt.

Dices 2. Nemo prudenter id rogat fieri, quod certò ſcit futurum vel non futurum, prout ſciebat Chriſtus. Reſp. ſi quid petatur, quod etiam certò futurum ſcitur, ſed dependenter à ſua oratione, aliàs non futurum: tunc rectè & prudènter, id poſſe peti & rogari. Sciebat autem Chriſtus aliqua non facturum ſuum Patrem aut non impediturum, niſi mediante ſuâ oratione, ergo illud prudenter rogabat fieri aut impediri.

Omnis Chriſti oratio efficax eſt exaudita.

Dicendum 2. Omnem Chriſti orationem fuiſſe exauditam à Patre, uti dicitur Joan. 11. *Scio quia ſemper me audis.* Hoc autem intelligendum eſt de oratione efficaci, aliàs multa petiit inefficaciter, id eſt propoſuit ſolummodò ſuæ voluntatis beneplacitum circa aliqua, quæ tamen non ſunt ſecuta: ut in horto Matth. 26. *Tranſeat à me calix iſte, &c.* Ratio autem dictæ concluſionis eſt, quia ſi quid efficaciter poſtulaſſet, quod tamen non futurum ſciebat, voluiſſet aliquid, quod pater non voluiſſet, adeoque voluntas ejus, voluntati Patris non fuiſſet conformis. Notandum tamen velle aliquos, abſolutè omnem omninò Chriſti orationem fuiſſe exauditam, & docent orationem debere eſſe efficax alicujus rei deſiderium; ſi autem alibi legatur, non ſecutum fuiſſe quod rogabat, docent illius rei non fuiſſe veram orationem, ſed nudam ſuæ voluntatis & deſiderii propoſitionem.

Dicen-

Dicendum 3. Chriſtus etiamnum pro nobis rogat in cœlis, uti ait Apoſt. ad Rom. 8. *Qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Hinc dicitur, *Advocatus noſter, &c.* quamquam autem Chriſtus morte ſuâ nobis meruerit, quidquid gratiæ nobis accidere poteſt, non ideo tamen deneganda eſt vera Chriſto oratio in cœlis, cùm illud nobis meruerit, dependenter ab applicatione per ipſius orationes aut noſtras faciendâ. Orat autem in cœlo propriè, non tantùm Metaphoricè repræſentando Deo Patri ſua merita, ut volunt alii: cùm in eo nihil indecentiæ ſit, & SS. Patres abſolutè dicant, Chriſtum *rogare, orare* pro nobis, &c. Si verò id negent aliqui, intelligendi ſunt, quod jam non amplius Chriſtus roget, uti rogavit in terris, cum clamore valido, genuflexione, &c. *Chriſtus in cœlis orat.*

Objicies: ergo poſſemus dicere, *Chriſte ora pro nobis.* Reſp. ſecluſo ſcandalo nos poſſe ita orare: quia tamen Eccleſiæ uſus habet contrarium, & honoratiori titulo Chriſtum veneratur, dicens: *Chriſte Fili Dei, miſerere nobis*, à ſimili petitione erit abſtinendum. *An poſſit dici, Chriſte ora pro nobis.*

Adde, ſimilem rogandi modum non admittendum eſſe propter periculum Arii & Neſtorii: deinde etiam, quod oratio dirigatur ad perſonam; Chriſti autem perſona eſt Verbum divinum, cujus non eſt orare propriè, ſed propriâ virtute miſereri. Denique, cùm juxta Concilium Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. in Chriſto vivimus, meremur, ſatisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habeant, ab illo offeruntur, & per illum acceptantur à Patre, rectè etiam peti poſſet à Chriſto, ut oret pro nobis, orationes noſtras Patri offerat, & illas ſuis conjungat.

Quomodo verò Chriſtus dicatur ſedere ad dexteram Patris, docet S. Aug. Sermone de aſcenſione, ubi ait: *Licet* (dextera) *dignitatis gradus non ſit, ubi plenitudo eſt divinitatis, tamen ideò ad dexteram ſe-*

dit Filium, non quod præferatur Patri, ſed ne inferior eſſe credatur. Et alibi paſſim dexteram Patris vocat beatitudinem uti l. 1. de Symbolo c. 4. *Sedet ad dexteram Patris, id eſt beatitudinem: ipſius enim beatitudinis nomen eſt dextera Patris.* Et in Pſ. 137. *Ideò jam in ipſa immortalitate poſitus Chriſtus, dicitur ſedere ad dexteram Dei: non enim Deus habet in ſe ipſo dexteram & ſiniſtram, ſed dextera Dei dicitur felicitas illa, quæ quoniam oculis oſtendi non poteſt, tale nomen accepit.*

SECTIO V.

An Chriſtus ſit Sacerdos.

Chriſtus Sacerdos ſecundùm humanitatem ſolùm.

DICENDUM primò, de fide eſſe, Chriſtum fuiſſe verum Sacerdotem. Probatur ex S. Scriptura ad Heb. 5. ubi de Chriſto dicitur: *Tu es Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Et c. 7. *Hic* (Chriſtus) *eo quod maneat in æternum ſempiternum habet Sacerdotium.* Deinde ille eſt Sacerdos, qui ex officio offert Deo Sacrificium, quod Chriſtus fecit offerendo ſe ipſum in ara Crucis Deo Patri.

Dicendum 2. Chriſtum ſecundùm humanitatem tantum, non item ſecundùm divinitatem eſſe Sacerdotem. Probatur: quia Chriſtus ſecundùm divinitatem non habet ſuperiorem ſe, cui offerri debet Sacrificium. Unde rectè S. Amb. l. 3. de fide c. 5. *Sacerdos* ait, *idem & hoſtia: Sacerdotium tamen & Sacrificium humanæ conditionis officium eſt.* Dicitur tamen Chriſtus eſſe Sacerdos in æternum, eo quòd ab æterno ſit ordinatus à Deo, ut in tempore futurus Sacerdos.

Chriſtus Sacerdos & hoſtia.

Dicendum 3. Chriſtum ſimul eſſe Sacerdotem & Sacrificium. Probatur ex Epheſ. 5. *Tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo.* Quod intelligendum eſt, non tantum de cruenta oblatione in ara Crucis, ſed etiam de incruenta, quando con-

conſecravit in cœna Domini. Probari hoc poteſt ex verbis conſecrationem ſubſequentibus : *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus verbis, non tantùm inſtituit Apoſtolos Sacerdotes, ſed & ordinavit, ut alii Sacerdotes offerrent Corpus ſuum & Sanguinem, ut declarat Conc. Trid. ſeſ. 22. can. 2. Ex quo conſequitur, quod debuerit Chriſtus antecedenter id obtuliſſe, aliàs malè dixiſſet *hoc facite* id eſt, hoc idem quod ego jam ante feci.

Objicies primò, Chriſtus ſeſe non occidit, ergo non ſeſe obtulit in Sacrificium. Reſp. Non requiritur ut phyſicè Sacerdos ad deſtructionem hoſtiæ concurrat, ſed ſatis eſt quod moraliter id faciat: Chriſtus autem moraliter concurrit ad ſui occiſionem & ſui immutationem, liberè in eam conſentiendo, eam non prohibendo, imò ſe illi exponendo. *Quomodo ſe obtulit Chriſtus.*

Dices: ergo Martyres SS. etiam dicendi ſunt Sacerdotes & hoſtiæ. Reſp. Etſi illi ſe quoque, & vitam & mortem Deo offerant in proteſtationem ſupremi ejus dominii, nequeunt tamen dici Sacerdotes eo quod hoc agant propria authoritate tantùm, ubi tamen ad Sacrificium pertinet, ut id fiat & offeratur plublicâ authoritate. Plura de hac re vide in tract. de Sacrificio, in materia de Sacram. Euch. *Quare Martyres non ſunt Sacerdotes & hoſtia.*

Dicitur autem Sacerdotium Chriſti permanere in æternum, quoad effectum, qui in æternum manet, quatenus Chriſtus in æternum conſummavit ſanctificatos. Item etiam quoad ipſam rem; Chriſtus enim manet in æternum. Dicitur autem Sacerdotium ſecundùm ordinem Melchiſedech, quia Melchiſedech repræſentat Chriſtum, nomen enim ejus ſignificat, *Regem Juſtitiæ*, quod Chriſto competit, cùm ſit Deus fortis & juſtus. Dicitur quoque *Rex Salem*, id eſt Rex pacis; Chriſtus autem eſt Princeps pacis : denique quia panem & vinum obtulit, ſub quarum rerum ſpeciebus oblationem ſuam & ſui ipſius Chriſtus inſtituit & immolavit. *Sacerdotium Chriſti quâ ratione manet in æternum.*

SE-

SECTIO VI.

De Chriſto Rege & Propheta.

Chriſtus eſt Rex.

DICENDUM primò, Chriſtus ut eſt Deus, eſt Rex Regum & Dominus Dominantium: ut eſt homo, etiam eſt Rex, ut ipſe Chriſtus teſtatus eſt Pilato roganti & dicenti: *Rex es tu?* cui reſpondit Chriſtus. *Tu dicis: quia Rex ſum ego.* Quatenus autem eſt homo, eſt Rex Eccleſiæ, quâ ratione dicitur Chriſtus caput Eccleſiæ, Pontifex, &c. Hâc poteſtate uſus eſt, dum Eccleſiam fundavit, Petro ejuſdem primatum dedit, Sacramenta inſtituit, leges novi Teſtamenti ſancivit, &c.

Chriſtus habebat poteſtatem in totum orbem.

Dicendum 2 Chriſtus ut homo, non fuit Rex temporalis. Probatur ex verbis ipſius Chrſti Joan. 18. ubi dicit: *Regnum meum, non eſt de hoc mundo.* Id eſt terrenum aut temporale, ſed ſpirituale: quæ dicta intellige quoad uſum; nam quoad proprietatem & radicalem poteſtatem, habebat Regium jus in hoc univerſum; non ſolum indirectum, quatenus ut Pontifex poterat de illo diſponere in utilitatem ſpiritualem, ſed etiam directum, cùm ut ait Joan. c. 3. *Omnia dedit* (Pater) *in manus ejus.* Et ipſe Matth. 11. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.* Hanc poteſtatem aliqualiter deduxit in actum, dum areſecit ficulneam, dæmonibus imperavit ire in porcos, &c. Notandum autem, ſi quando SS. Patres doceant, Chriſtum habuiſſe dominium paucarum rerum, fuiſſe paupetem, &c. Intelligendos eſſe, de dæmonio quoad uſum.

Chriſtus fuit Propheta.

Dicendum 3. Chriſtum fuiſſe Prophetam. Patet ex Deut. 18. ubi de Chriſto dicitur: *Prophetam de gente tua, & de Fratribus tuis, ſuſcitabit tibi Dominus.* Patet etiam ex eo, quòd futura prædixerit, quod Prophetis eſt proprium, ſecreta cordium

cogno

cognoverit, & eadem noſcens Phariſæos reprehenderit, &c.

Dicendum 4. Chriſtum fuiſſe legiſlatorem, & Judicem futurum. Probatur prius, quia eſt legiſlator novæ legis; hinc toties in Scriptura dicit: *Mandata* Mea *ſervate: hoc eſt Præceptum* Meum, *&c.* Quod autem ſit futurus Judex, qui antea fuit Salvator, probatur clarè ex act. c. 10. ubi de Chriſto dicitur: *Ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à Deo Judex vivorum & mortuorum.* & iterum Joan. 5. *Poteſtatem dedit ei judicium facere, quia Filius Hominis eſt.* Porro judiciaria illa poteſtas, non ſolùm pertinet ad judicium futurum generale, ſed & ad particulare in morte cujuſque faciendum, uti conſtat ex Joan. 5. ubi dicitur: *Pater non judicat quemquam: ſed* Omne Judicium *dedit Filio, ut omnes honorificent Filium.*

Chriſtus Judex & legiſlator.

SECTIO VII.

De Prædeſtinatione Chriſti.

Dicendum primò etſi non competat Chriſto prædeſtinatio propriè dicta, quâ liberantur certiſſimè, quicumque liberantur, competit tamen ipſi prædeſtinatio, prout eſt divina prædeſtinatio eorum, quæ quis per gratiam in tempore facturus eſt. Pater enim in divinis ab æterno præordinavit & decrevit exiſtentiam Chriſti: ejus merita, gloriam reſurrectionis, &c.

Chriſtus prædeſtinatus ut ſit Filius Dei.

Dicendum 2. Certo ſenſu dici poſſe, Chriſtus homo eſt ab æterno prædeſtinatus ut eſſet Filius Dei: ſi ſenſus ſcilicet ſit, quòd verbum ſeu Perſona divina, quæ ſimul erat homo, ad hoc ſit prædeſtinata. Et ſic ad Rom. 1. ab Apoſtolo dicitur: *Qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundùm carnem, qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute, &c.* Si verò

ſenſus ſit, quòd Chriſtus homo ſeu quatenus homo, ad hoc ſit prædeſtinatus, ut ſit Filius Dei, ſic eſt falſa prædicta propoſitio. Quamvis autem Chriſtus ab æterno fuerit Dei Filius, adeoque videri poſſet quod non poſſet prædeſtinari ut eſſet Filius Dei, inde tamen hoc non ſequitur, loquendò de Chriſto prout habet ſibi humanitatem ſubſtantialiter conjunctam, etſi hoc recte ſequatur de Chriſto, ut eſt verbum Patris.

Dicendum 3. Chriſtus ſecundùm humanitatem prædeſtinatus eſt ad gratiam & gloriam, cum illa Chriſto ab æterno Deus præparavit, prædeſtinatio autem nihil aliud eſt S. Auguſtino, quam gratiæ præparatio.

Prædeſtinatio Chriſti eſt cauſa prædeſtinationis noſtræ.

Dicendum 4. Prædeſtinatio Chriſti eſt cauſa noſtræ prædeſtinationis meritoria, finalis & exemplaris. Patet ex hactenus dictis de prædeſt. de fine incarnationis & merito Chriſti. Quòd autem ſit meritoria, patet ex eo, quod omnis gratia noſtra & gloria ex meritis Chriſti profluat. Finalis vero eſt, quod ipſe ſit prædeſtinatus, ut omnis noſtra gratia & gloria referretur in Chriſtum, ejuſque gloriam tamquam finem. Quod vero ſit exemplaris patet ex eo, quod ſicut Chriſtus gratis eſt prædeſtinatus ſine ullo intuitu ad ipſius merita, ita & nos: Deinde ſicut Chriſtus prædeſtinatus eſt ad filiationem naturalem, ita nos ad adoptivam.

SECTIO VIII.

De Circumciſione, & Baptiſmo Chriſti.

Dictum eſt ſupra ſectione 3. quomodo Chriſtus ſubjectus fuerit legi veteri, & quomodo legem non ſolverit, ſed adimpleverit. Lex erat Geneſis 17. *Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum*

pactum meum irritum fecit. Hanc legem etiam Chriſtus voluit adimplere per circumciſionem: etſi enim, prout circumciſio adhibebatur ad tollendum peccatum originale, Chriſto adhibenda non eſſet: varias tamen alias cauſas recenſet Divus Thomas quare Chriſtus voluerit circumcidi.

Prima eſt ut oſtenderet Chriſtus veritatem carnis humanæ contra Manichæos docentes Chriſtum aſſumpſiſſe corpus phantaſticum, cujus contrarium voluit Chriſtus oſtendere per circumciſionem. Secunda, ut Chriſtus circumciſionem ſuo facto approbaret tamquam à Deo Patribus imperatam. Tertia, ut comprobaret, ſe eſſe ex genere Abrahæ, cui præceptum circumciſionis à Deo datum fuerat Geneſis 17. *Hoc eſt pactum meum, quod obſervabitis inter me & vos, & ſemen tuum poſt te, circumcidetur ex vobis omne maſculinum.* Si enim Chriſtus circumciſionem omiſiſſet, videretur quaſi de ſtirpe Abrahæ jam excidiſſe. Quarta, ut auferret Judæis occaſionem non recipiendi Chriſtum: *Non enim ferebant audire verbum Dei ab incircumciſo,* ait Chryſoſt. hom. 34. in Acta. quinta, juxta Chryſoſt. ibidem: *opus fuit circumcidi, ut circumciſionem tolleret.* Et ſanctus Aug. ſerm. 30. de tempore: *Dominus quidem ſuſcepit circumciſionem ablaturus ipſam circumciſionem; ſuſcepit umbram, daturus lucem; ſuſcepit figuram, impleturus veritatem.* Sexta, ad evitandum ſcandalum Judæorum, ad quod evitandum, ſicuti naſci voluit de Virgine deſponſatâ Joſeph: ſic ad illud idem evitandum voluit circumcidi. Septima, ut nobis natus ſtatim pro nobis ſanguinem funderet, juxta illud Euſebii Emiſſ. in octavâ Nativitatis: *nobis circumciditur Dominus; ſicuti enim pro nobis eſt baptizatus & paſſus, ita & pro nobis eſt circumciſus.* Octava ad demonſtrandum humilitatis exemplum dum ille, qui nec veſtigium quidem vulneris habens, alligaturam non refugit vulneris, ut ait ſanctus Bern. ſerm. 1. de cir-

circumciſione. Denique, ad commendandam circumciſionem cordis ſpiritualem, ne ut Judæi à ſancto Stephano redarguantur incircumciſi corde.

Quod ad baptiſmum Chriſti attinet, quo à Joanne baptizari voluit, certum eſt, quod nullâ neceſſitate illum ſuſceperit: quamvis aliquas rationes congruentiæ ſoleant adferre ſcriptores ſacri ſic Divus Thomas 3. p. q. 39. a. 2. docet, Chriſtum baptizari voluiſſe, ut nos ſuo exemplo induceret ad baptiſmum, juxta illud ſancti Amb. lib. 2. in Lucam. *Nemo refugiat lavacrum gratiæ, quando Chriſtus lavacrum pœnitentiæ non refugit.* Et illud ſancti Aug. tract. 5. in Joan. *auctoritatem dare baptiſmo ſuo dignatus eſt, ut cognoſcerent ſervi ſui, quantâ alacritate deberent currere ad baptiſmum Domini, quando ipſe dignatus eſt accipere baptiſmum ſervi.*

Aliam rationem reſpondit ipſe Chriſtus, Joanni baptiſmum excuſanti dicens: *Decet nos implere omnem juſtitiam*, in quod ſanctus Amb. lib. 2. in Lucam cap. ultimo: *hæc eſt juſtitia, ut quod alterum facere velis, prior ipſe incipias; & tuo alios horteris exemplo*, quod enim quiſque juris ſtatuit in alium, eodem debet ipſe teneri, ut dicitur in regulis juris. Sanctus Greg. Nazianzenus orat. 39. aſſignat rationem baptiſmi, ut ſuum baptizatorem ſanctificaret: quamvis enim Joannes ſanctificatus fuerit ex utero matris ſuæ, dum tamen baptizavit Chriſtum, accepit majorem copiam ſanctitatis, honoris, & gloriæ.

Alias rationes aſſignant ſancti Patres v. g. ad commendandam humilitatem, juxta illud ſancti Aug. in Ench. *in aqua voluit baptizari à Joanne, non ut iniquitas ejus dilueretur, ſed ut magna commendaretur humilitas.* Item, ut Chriſtus ſuo contactu aquas ſanctificaret, ut ablutæ per carnem Chriſti, quæ peccatum non cognovit, baptiſmatis vim haberent, ut ait ſanctus Amb. loco cit. Denique ſan-

ſanctus Damaſc. lib. 4. cap. 10. ideo ait baptizatum eſſe Chriſtum, *ut veterem Adam in aquis ſepeliret.*

SECTIO IX.

De Paſſione Chriſti.

Paſſio Chriſti an & quomodo ſit neceſſaria.

Dicendum primo, non fuit abſolutè neceſſarium pati Chriſtum, dum aliis remediis pluримis potuiſſet redimere genus humanum: quia non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum. Suppoſitâ tamen præſcientiâ, & decreto voluntatis divinæ, quod per paſſionem & mortem ſuam genus humanum eſſet redimendum, poſſet dici neceſſarium Chriſtum pati neceſſitate conſequentiæ, quæ tamen neceſſitas libertati non officit, ut notavimus aliquoties; unde Chriſtus liberrimè paſſus eſt juxta illud Iſaiæ 53. *oblatus eſt, quia ipſe voluit.*

Dicendum ſecundo, ſuppoſitâ præſcientiâ & præordinatione divinâ, neceſſaria dici poteſt paſſio Chriſti ad noſtram ſalutem convenienti modo procurandam. Sic Joan. 3. prædixit Chriſtus Nicodemo: *oportet exaltari filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* 2. Neceſſaria ſic dici poſſet paſſio Chriſti ad conſequendam nominis ſui exaltationem, ſicut poſt reſurrectionem diſcipulis in Emmaus euntibus dixit: nonne oportuit Chriſtum pati & ita intrare in gloriam ſuam. Et Apoſt. ad Philip. 2. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* 3. Neceſſaria item poteſt dici paſſio Chriſti ad impletionem ſcripturarum, juxta illud Lucæ ultimo: *quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis.* Di-

Paſſio Christi quomodo à Patre definita.

Dicendum 3. Paſſio Chriſti à Patre ab æterno fuit præordinata & decreta, non ſolùm permiſſa juxta illud Lucæ 22. *Filius hominis, ſecundùm quod definitum eſt, vadit*: & Actorum 2. *Hunc definito conſilio & præſcientiâ Dei traditum interemiſtis.* Chriſtus enim cum ſimul eſſet Deus, diſponebat, quid, quando, à quibus pateretur, juxta illud ſancti Aug. tract. 119. in Joan. *quis poteſt, quæ facit, ità diſponere quomodo diſpoſuit homo iſte, qui paſſus eſt? homo namque apparebat, qui Deus latebat, patiebatur hæc omnia qui apparebat, hæc idem ipſe diſponebat hæc omnia, qui latebat.* Non tamen juxta ſanctum Leonem ſerm. de paſſione Domini, inde proceſſit voluntas interficiendi, undè moriendi: nec de uno ſpiritu extitit atrocitas ſceleris & tolerantia Redemptoris: dum impias manus Judæorum in ſe non immiſit Chriſtus, ſed admiſit & permiſit.

Dicendum 4. dicitur à ſancto Thomâ patrem tradidiſſe filium in mortem 3. p. q. 47. a. 3. primo, quia filium non protexit à furore Judæorum: undè Chriſtus in paſſione Matthæi 27. *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me*; Secundò, quia pater inſpiravit filio voluntatem patiendi. 3. Quia pater æternâ voluntate paſſionem Chriſti ordinavit ad ſalutem generis humani.

Quare Chriſtus ſit paſſus.

Dicendum 5. Paſſio & mors Chriſti aliter facta fuit in Chriſto, quam mors aut paſſiones fiant in nobis; in nobis enim mors & miſeriæ trahuntur ex parte peccati originalis, quod conſequitur concupiſcentia, cum quâ originaliter concipimur, & generamur, juxta dicta alibi de peccato originali: ſed Chriſtus, nec ratione naturalis propagationis ex Adàmo, nec ex parte concupiſcentiæ conceptus aut natus, eſt obnoxius peccato originali, aut deſideriis carnis, adeoque nullo tali reſpectu obnoxius fuit neceſſitati moriendi, ſicuti nos.

Dicen-

Dicendum 6. quamvis Chriſtus propriâ voluntate paſſus ſit & liberè, variæ tamen ſolent allegari rationes congruentiæ à ſanctis Patribus.

1. Propter exemplum virtutis, puta humilitatis, juxta illud: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Matth. 11. Obedientiæ, juxta illud Apoſt. Philipp. 2. *Chriſtus factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.* Et cæterarum virtutum, juxta illud, 1. cap. 2. Petri: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum ut ſequamini veſtigia ejus.*

2. Ad corroborationem fragilitatis noſtræ: voluit enim Chriſtus ſubire mortem acerbiſſimam, ut nos doceret nullum pœnarum genus pro fide & veritate eſſe pertimeſcendum, unde etiam monet non eſſe timendos eos qui corpus occidunt, animam autem occidere non poſſunt. Matth. 10. hinc etiam Paſſio Chriſti & ejus efficacia à martyribus mente concepta, ad martyrium fortiter ſubeundum eos maximè confortavit.

3. Aliam rationem dat Apoſt. ad Rom. 5. ſcilicet ad commendandam Dei charitatem erga genus humanum: *Commendat autem Deus charitatem ſuam in nobis quoniam cum inimici eſſemus Chriſtus pro nobis mortuus eſt.*

Denique, ut hominem à peccatis de cætero magis deterreret, dum videret ſe à peccatis eorumque ſervitute non corruptibilibus auri & argenti, ſed pretioſo ſanguine Chriſti eſſe redemptum. Varias inſuper eaſque digniſſimas rationes congruentiæ adfert hîc ad rem noſtram ſanctus Thomas opuſc. de ſymbolo Apoſtolico, ad illum articulum *Paſſus ſub Pontio Pilato.*

An Chriſtus in Paſſione deſperaverit.

Dicendum 7. horrendum eſt quod ait Calv. 2. inſtitut. cap. 16. quod Chriſtus in paſſione ſuâ diros in animâ cruciatus damnati ac perditi hominis pertulerit; item quod Chriſtus Matth. 27. exclamans, Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me,

emiſerit vocem deſperationis. Chriſti enim anima ab initio conceptionis ſuæ verbo divino cum corpore perſonaliter unita fuit beata, de ſuâ ſalute ſecura; adeoque impoſſibile quod ſtante beatitudine, perpeſſa eſſet dolores inferni, aut deſperationis verba protuliſſet. Imò potius Apoſt. ad Heb. 12. ait Chriſtum paſſum eſſe, non in deſperatione, ſed potius cum hilaritate animi, dum dicit: *Aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem, confuſione contemptâ.* Nec quidquam obeſt, quod Act. 2. dicatur de Chriſto. *quem Deus ſuſcitavit ſolutis doloribus inferni*, quaſi Chriſtus doloribus inferni anteà teneretur, ſed quo tenerentur alii, puta Patres in limbo, quos Chriſtus poſt paſſionem deſcendendo ad inferos liberavit: undè etiam Petrus loco cit. continuò addidit: *Juxta quod impoſſibile erat teneri eum ab eo: David enim dicit in eum: providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commovear*, &c. quæ verba confirmant rationes jam ſtatim pro contrario adductas.

Quando ergo ſancti Patres & auctores docent, Chriſtum perpeſſum fuiſſe dolores maximos, acerbiſſimos, &c. intelligendi ſunt de pœnis hujus vitæ, non de pœnis inferni, ut vult Calv. dum Chriſtus paſſus eſt ab omni genere & ſexu, in ſe, in amicis, in famâ, in honore, in corpore, & animâ, in omnibus ſenſibus externis, &c. Adeo ut rectè dicatur Threnorum 1. *Videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus.*

CAPUT QUARTUM.

De adoratione Chriſti & Sanctorum.

SECTIO PRIMA.

De Adoratione Chriſti.

DICENDUM primo, rectè impendimus Chriſto Domino, laudes, honorem & adorationem. Diſtinguitur autem laus & honor & adoratio, in eo quod laus propriè ſita ſit in verbis alterius excellentiam efferentibus, honor autem in factis ad idem ordinatis. Adoratio verò ultra dictam teſtificationem excellentiæ alterius, requirit ſubmiſſionem in adorante, reſpectu ejus quod adoratur, in quo differt à laude & honore, cum etiam honoremus & laudemus æquales, imo & inferiores. *Quid laus honor & adoratio.*

In adoratione autem tres actus præcipui notandi ſunt: 1. actus eſt intellectûs, quo excellentiam alterius apprehendimus. 2. Actus eſt voluntatis, quo alteri inclinamur, volentes aliquid ei exhibere, quo noſtram ſubmiſſionem, ejuſque excellentiam proteſtemur: 3. Denique eſt actus exterior, quó velut ſigno interiorem animi ſubmiſſionem declaremus. *Actus adorationis*

Dicendum 2. Duplex potiſſimum eſt excellentia, increata, & creata, quibus diverſus reſpectivè cultus debet adhiberi. Increatam excellentiam colimus cultu, qui dicitur latria, id eſt cultus, qui ſoli Deo eſt debitus, in ſignum ſupremi dominii, quod in omnia creata obtinet. Ab hac loquendi methodo, vocati ſunt in Scriptura & alibi *idolola-* *Cultus latriæ, duliæ, hyperduliæ.*

 træ,

træ, qui idolis divinum hunc honorem exhibebant. ut act. 17. 1. Cor. 10. creatam verò excellentiam colimus diverſô cultu, ut magiſtratum cultu politico; item ſervi Dominos, &c. cultu honorario & abjecto, ſanctos autem ob eorum virtutes & ſanctitatem colimus cultu pio & religioſo, & communiter vocatur hic cultus *dulia*. Porro inter actus exteriores adorationis aliqui ſunt communes Deo & creaturis, alii Deo ſunt proprii. Proprii ſunt, ut actus ſacrificii, erectio templorum & altarium: communes ſunt alii, ut genuflexio, capitis inclinatio, &c. Hinc etiam eiſdem vocabulis cultus Dei & creaturæ ſubinde ſignificatur, nunc eoſdem vocando, adorationem, nunc ſervitutem, nunc honorem, gloriam, &c.

Humanitas Chriſti adoratur Latriâ, non tamen ſe ſola.

Dicendum 3. Chriſti humanitas eâdem latriâ adoratur, quâ adoratur Verbum. Probatur ex Conc. Epheſ. Can. 8. ubi dicitur, quod Chriſtus homo Deus, unâ adoratione ſit adorandus. Ratio eſt, quia illâ adoratione adoratur verbum incarnatum, ſive habens carnem: unde ſicut honorando regem purpurâ indutum, honoramus ſimul & concomitanter purpuram: ita adorando verbum incarnatum, adoramus humanitatem verbi. Etſi autem latria non poſſit principaliter impendi creaturæ, ſed tantùm creatori, poteſt tamen ſecundariò & propter creatorem.

Dicendum 4. Humanitas ſecundùm ſe præcisè ſumpta, cùm ſit eatenus creatura & ſe ſolâ conſideretur, non poteſt adorari cultu latriæ, ſed duliæ tantùm, etſi ut ait D. Th. *Non cujuſcumque, ſed cujuſdam excellentioris, quam hyperduliam vocant.*

Notant tamen rectè aliqui has abſtractiones in praxi non tolerandas, ſed ſimpliciter Chriſtum adorandum eſſe ut Deum cultu latriæ, nec in rebus tanti momenti conceptibus noſtris eſſe ludendum, ne in re tanta detur ſcandali & erroris occaſio.

Sectio II.

Quid & quomodo Sancti à nobis invocari poſſint.

Dicendum 1. Cùm Sancti quoque habeant propriam excellentiam ſupernaturalem, quæ aliam creatam naturalem v. g. politicam longè antecellit: Sequitur quòd iidem adorari poſſint & invocari. Probatur hoc ex perpetuo Eccleſiæ uſu, de quo ita Juſtinus Apolog. 2. *Deum, bonorumque Angelorum exercitum & ſpiritum Propheticum colimus, atque adoramus, verboque & reveneramur.* Patet idem ex eò quòd Hæretici & Judæi, ab initio naſcentis Eccleſiæ hanc Catholicorum praxim accuſaverint idololatriæ, quòd homines mortuos pro diis colerent, dum eoſdem invocarent; quibus omnes cum Theodoreto l. 8. curat. Græc. aff. iis repoſuerunt & dixerunt: *Nos Martyribus nec hoſtias, nec libamina ulla deferimus, ſed ut Sanctos homines, Deique amiciſſimos honoramus.* Hinc etiam in principio, Abraham adoravit Angelum, Loth Balaäm, Abdias Heliam, Nabuchodonoſor Daniëlem, &c. Quod nullibi Scriptura reprehendit. *Invocatio Sanctorum.*

Denique ipſe Deus Sanctos honorat, imò nimis ipſi honorificati ſunt amici ejus, ergo pari causâ homines, eoſdem licitè venerantur & adórant.

Dicendum 2. Etiam Sancti rectè invocantur. Patet ex facto Jacob Geneſ. 48 dum invocavit Angelum. Job. 5. etiam monet dicens. *Ad aliquem Sanctorum convertere.* Deinde ſi à vivis preces rogarint Apoſtoli ut Paulus fecit ad Romanos 15. rectè quoque idem fit à Beatis. Non enim minus de vivorum Fratrum ſalute ſolliciti ſunt, quam Dives Epulo Lucæ 16. pro ſuis anxius fuit in inferno, neque illorum Charitas in patria extincta eſt, ſed potius adaucta; Unde etiam gaudere eos Scriptura do-

cet, de converſione Peccatorum Matth. 14. Probatur inſuper ex facto SS. Patrum V. T. qui merita Patrum in Patrocinium aſſumpſerunt: ſic Exodi 32. dicit Moyſes: *Recordare Domine Abraham, Iſaac & Iſraël Servorum tuorum.* Et Pſalm. 131. *Memento Domine David*, &c. Ubi hoc quoque notandum numquam in L. V. Patres invocatos eſſe, & dictum v. g. *S. Abraham ora pro nobis*, eo quòd S. Patres ante adventum Chriſti, à viſione Dei fuerint excluſi, adeòque preces noſtras illos non potuiſſe cognoſcere in verbo, ſed ſolummodo Deo eorum merita allegabantur: Jam verò in Cœlis cum Chriſto regnantes, & Deo fruentes invocantur, ut pro nobis orent, cùm preces noſtras probè noſcant uti patet ex perpetuo Eccleſiæ uſu & ſenſu.

Quare PP. V. T. invocati memoriam eorum ſolum renovando.

Sancti cognoſcunt preces noſtras.

Dicendum tertiò Sanctos cognoſcere preces noſtras. Probatur concluſio ex eo, quòd Sancti in Deo cognoſcant omnia quæ ad ſe pertinent, ad quæ ſpectat quoque cognoſcere ea quæ à ſe rogantur, cùm ſit infirmitatis, honorantes ſe non agnoſcere, nec eis poſſe ſubvenire. Deinde cùm Sancti, puta Prophetæ, & alii hìc in mundo noverint ſecreta cordis, cur in patria id illis denegamus? Unde Prudentius hymno de S. Caſſiano ita canit. *Audit, crede, preces martyr proſperrimus omnes.* Et S. Greg. l. 2. mor. c. 14. *Quid*, ait, *de his, quæ ſcienda ſunt neſciunt* (Sancti) *qui ſcientem omnia ſciunt*; Hoc tamen rectè notat Illuſtriſſimus D. Caſtorienſis l. de cultu D. Virginis & SS. etiam Sanctos poſſe ritè invocari, etſi preces noſtras non cognoſcerent: Eo quod Deus intuitu Sanctorum ſibi amicorum, preces noſtras ſtatuerit exaudire, quas certè ipſe Deus audit & cognoſcit.

Quomodo ſoli Deo ſerviendum ſit.

Objicies ad ante dicta: Invocatio & adoratio ſpecialiter interdicitur, hoc præcepto, *Ipſi ſoli ſervies, dominum tuum adorabis*, &c. Deinde honor ille & adoratio, diminuit honorem Deo debitum. Denique Deus de ſe eſt paratiſſimus ad nobis ſuccur-

cur-

currendum ergo fruſtranea eſt Sanctorum invocatio. Reſp. ad 1. illo præcepto ſolummodo interdici cultum Latriæ qui ſoli Deo impendi poteſt: Sancti autem non honorantur latriâ, ſed cultu inferiori, ſcilicet duliâ. Ad aliud reſp. cultum SS. non diminuere cultum Deo debitum, ſed èconrra eum augere, quia ut ait D. Hieron. in Epiſt. ad Riparium: *Honoramus Sanctos, ut honor ſervorum redundet in Dominum.* Et Amb. Serm. 6 *Qui honorat Martyres, honorat & Chriſtum, qui ſpernit Sanctos, ſpernit & Dominum.* Et S. Aug. Epiſt. 42. *In Petro,* rogat, *quis honoratur, niſi ille defunctus pro nobis*; Ad ultimum reſp. quamvis Chriſtus dicat, *Petite & dabitur vobis*, tamen aliquando interventum Sancti alicujus expoſcit & neceſſarium conſtituit, ut quæ petimus, efficaciter conſequamur.

Dicendum 4. Cùm animæ in Purgatorio ſint Deo gratæ & amicæ, rectè quoque poſſunt invocari. Hinc 2. Machab. 15. dicitur, quod Onias ſummus Sacerdos, & Jeremias in limbo exiſtentes oraverint pro populo, eiſque victoriam impetraverint. Deinde Greg. l. 4 Dialog. c. 40. & 41. refert quemdam Paſchaſium in Purgatorio exiſtentem miraculosè alium à dæmone liberaſſe. Denique eo pacto major erit Communio Sanctorum ſe mutuo juvando precibus & aliis auxiliis.

Animæ in Purgatorio rectè invocantur.

Dices cum D. Th. 2. 2. q. 83 a. 4. & 9. ad 3. animæ illæ ſunt nobis inferiores quoad pœnam, ergo invocari nequeunt: deinde defectu viſionis beatificæ noſtras preces non cognoſcunt. Reſp. ob has rationes probabiliter ſentit D. Thomas contrarium: ad quæ tamen Reſp. illos quorum preces Paulus expoſcit in vita, etiam Paulo fuiſſe inferiores. Deinde etſi ſint inferiores quoad pœnam, ſunt tamen ſuperiores quoad ſtatum amicitiæ cum Deo. Denique poſſunt illæ animæ preces noſtras cognoſcere per Angelos Cuſtodes, vel etiam generaliter rogare pro iis, à quibus invocantur.

Inferior poteſt invocari.

SECTIO III.

De Cultu imaginum & Reliquiarum.

Cultus Imaginum eſt licitus.

Dicendum primo, cultus Imaginum & Reliquiarum eſt licitus & bonus. Probatur primò ex variis definitionibus Eccleſiæ, & Trid. Seſ. 25. Dec. 2. Probatur 2. ex aſſiduo Eccleſiæ uſu & praxi. Denique Deus ipſe Sanctorum Corpora honoravit, quando Moyſis Corpus per Angelos ſepeliri voluit, dum Oſſa Helizæi mortui mortuum ſuſcitarent, dum Petri Umbra, Pauli Semicinctia, Chriſti Fimbria morbos curarent, &c. Unde Baſilius in Pſalm. 115. ad illud: *Pretioſa in conſpectu Domini mors SS. ejus*, ita ait: *Qui nunc Oſſa Martyris attingit, quamdam Sanctificationis Societatem aſſumit.* Oſſa enim illorum, illorum merita, virtutes & victoriam ob oculos regerunt, ut imitari eos non pigeat, quos celebrare & invocare delectat. Patet quoque Deo gratum fuiſſe cultum Reliquiarum, dum Reliquias occultatas revelavit, ut Ambroſio Corpus Gervaſii & Protaſii, Stephani, &c. S. Norberto Corpus Gereonis & aliorum.

Ad quid ſerviant in Templo Luminaria,

Denique conſtantem Reliquiarum cultum declarant luminaria & lampades, quibus ab initio Eccleſiæ Reliquias honorare conſuevit populus Chriſtianus, lumen enim ſignum eſt honoris & gloriæ. Unde in natali S. Felicis ita canit Paulinus.

Clara coronantur denſis Altaria lychnis.

Notandum autem cum D. Hieron. Epiſt. ad Riparium, *Martyres non egere lumine cereorum, nec illuminari, quaſi ſint in tenebris, ſed gratam eſſe mentis devotionem, placere fidem, honoris officia.*

Objicies 1. Chriſtus reprehendit Judæos Matth. 23. quod ſepulchra Prophetarum ædificarent, eo quod conſentirent hoc pacto neci ipſorum. Deinde

Deus

Deus abſcondit corpus Moyſi, ne poſſet honorari. Reſp. ad 1. Chriſtum eos redarguere, quòd hoc hypocriticè facerent, oſtendentes ſeſe velle accuſare patres, qui Prophetas occidiſſent, & interim ipſi Prophetas & Chriſtum perſequebantur. Deinde, ſepulchra illa exornabant, revera conſentientes neci Prophetarum, hoc facientes ut patrum ſuorum fortitudinem ſic extollerent. Ad aliud Reſp. id à Deo factum eſſe, ne populus idolatriæ deditus, Moyſem latriâ aut quaſi latriâ coleret & veneraretur.

Objicies 2. In Conc. Elibertino c. 34. vetatur accenſio cereorum in cæmeterio. Deinde D. Hieron. l. contra Vigilantium, reprehendit uſum cereorum coram Reliquiis, quem adhibebant mulierculæ, quæ zelum habent, ſed non ſecundùm ſcientiam: Reſp. ad hæc & ſimilia apud SS. Patres ſatis uſitata, ab illis jure merito reprehenſum eſſe morem illum gentilium, quibus Chriſtiani permixti vivebant, quo cibum & potum, luminaria, &c. ad ſepulchra Martyrum & defunctorum deferebant, putantes ex his defunctis aliquid advenire ſolatii. Vide Hier. ſupra citatum. Hinc dicit Concilium Elibertinum, tali uſu potius Sanctos inquietari.

Quiſnam uſus cereorum olim ab Eccleſia interdictus.

In impugnando tamen SS. Imaginum cultum, ſeſe ſufficienter manifeſtat Eraſmus Rott. Hic enim inter alia objicit Catech. 6. quod uſque ad tempora S. Hieronymi, nulla eſſet in templis Imago, nec picta, nec ſculpta, nec texta ne Chriſti quidem; idque ut putat propter Antropomorphitas. Deinde l. 22. Epiſtolarum, ſcribit Catholicos cum Imaginibus fabulari ac ſi ſenſum habeant & animam. Rurſum Epiſtolarum l. 22. docet, perfectius eſſe tollere ſurſum animos ad Chriſtum ſine Imaginibus, quam per Imagines. Iterum de modo orandi dicit, quod Imagines in Eccleſia ſint tolerandæ, quas veteres Eccleſiæ proceres deteſtabantur odio ſcilicet idololatriæ. Eadem ejuſdem farinæ habet

hinc

hinc inde idem author, ex hæretico genio profecta.
Quod enim ad primum attinet, apertè eſt falſum, cùm omnino contrarium conſtet ex S. Baſilio, Chryſoſtomo & aliis Conciliis S. Hieronymo anterioribus, qui Imaginum earumque cultus meminerunt. Audi vel ſolum Gregorium l. 9. Reg. c. 9. id atteſtantem: *In locis*, ait, *Venerabilibus Sanctorum, depingi hiſtorias, non ſine ratione vetuſtas admiſit.* Imo uſus Imaginis Chriſti, etiam eo vivente fuit, prout ex Spondani epitome ad annum 31. conſtat, ubi narratur ex Euſebio, mulierem illam à fluxu Sanguinis à Chriſto curatam Matth. 9. in beneficii hujus memoriam, ſtatuam Chriſto erexiſſe, eamque ultra 300. annos integram permanſiſſe, puta uſque ad tempora Juliani.

Alterum verò quod ſequitur, eſt planè ridiculum; non enim Catholici Imaginibus fabulantur, uti nugatur Eraſmus, ſed cum Sanctis, quos repreſentant.

Subſequens quoque eſt apertè falſum & contra omnem experientiam, quæ docet homines magis ſurſum ferri adminiculo externorum, v. g. Imaginum, &c. quam ſine illis. Juvant enim hominem ut vivacius apprehendat & attendat illi, quod agit, repræſentando homini Sanctum tamquam præſentem, & fortius exorantis animum detinent, ab alienis diſtractionibus coërcendo & avertendo.

Quod ad ultimum ſpectat, falſum eſt ullibi apud veteres Eccleſiæ proceres legi, Imagines in Eccleſiis toleratas, ſed bene plurimum fuiſſe commendatas. Neque ullam plauſibilem Scripturæ vel SS. PP. ſententiam pro ſe adferre umquam potuerunt Iconomachi, niſi loca quædam malè intellecta aut ſiniſtrè ad ſuum errorem contorta, uti egit & ipſe Eraſmus. Adde, quod Gentilium & Ethnicorum Imagines ſæpe ſunt deteſtati, Chriſtianas numquam. Alia hanc materiam concernentia ab eodem authore alibi adducta, ejuſdem ſunt ponderis & mo-

momenti, ex quo ejuſdem ſpiritus luculenter innoteſcit.

SECTIO IV.

De Adoratione ſanctæ Crucis.

Dicendum primò, hæretici tamquam inimici crucis Chriſti (quorum argumenta poſteà refellemus) negant, crucem Chriſti eſſe adorandam; contrarium tamen patet ex continuâ Eccleſiæ praxi & traditione, quam confirmant ſancti Patres imprimis enim Paulinus Nolanus Epiſt. 11. ad Severum, qui floruit Anno 410 ità ſcribit: *Epiſcopus quotannis cum Paſcha Domini agitur, adorandam populo crucem princeps ipſe adorantium promit.* Item Greg. Turonenſis de gloriâ martyrum lib. 1. cap. 5. *Crux*, ait, *Domini, quæ ab Helenâ Auguſtâ reperta eſt Jeroſolymis, in quartâ & ſextâ feriâ adoratur.* Et ſanctus Hieronymus in Pſalmum 98. in illud, *adorate ſcabellum pedum ejus*, intelligit illud de Cruce Chriſti: & ſanctus Amb. orat. in Theodoſium: *Sapienter*, inquit, *Helena egit, quæ Crucem in capite Regum levavit, ut Crux Chriſti in regibus adoraretur.* Idem docet Damaſcenus poſteà referendus.

Quæſtio tamen eſt, quo cultu Crux Chriſti ſit adoranda: & quidem ſanctus Thomas in 3. diſtinct. 9. q. 1. art. 2. cum quibuſdam aliis docet, Crucem Chriſti adorandam eſſe cultu hyperduliæ, ex eo, quod ſit inſtrumentum redemptionis humanæ, & ut ait Eccleſia, *in quâ eſt ſalus, vita, & reſurrectio noſtra, in quâ ſalvati, & liberati ſumus:* & conſequenter excellentiori modò adorari oporteat, quam duliæ: & quia Crux Chriſti, nec Deus ſit, nec Divinati intimè unita, cultu latriæ adorandam non eſſe, ſed cultu quodam medio, puta hyperduliæ: è contra verò ſanctus Bonavent. in 3. diſtinct.

ſtinct. 9. art. 1. cap. 4. docet adorationem propriè poſſe dirigi ad rem animatam, dum adorare idem ſit, quod aliquem orare; cum autem Crux Chriſti ſit res inanimata, conſequenter etiam adorationis eſt incapax; nec aliqua illi reverentia exhiberi poteſt, niſi ratione Crucifixi. Huic Bonavent. ſententiæ videtur ſanctum Thomam rediiſſe 3. p. q. 25. art. 4. dum docet, quod honor, ſeu reverentia non debeatur, niſi rationali creaturæ, creaturæ verò inſenſibili non debeantur illa per ſe, ſed propter naturam rationalem, quam vel repreſentat, vel illi conjungitur; uti ſolent homines venerari eâdem veneratione imaginem Regis, quâ venerantur Regem, vel venerantur ejus veſtimentum.

Dicendum ſecundò, quod quidquid ſit de his ſententiis, quod Crux Chriſti, quatenus repræſentat Crucifixum, adoranda ſit cultu latriæ: dum juxta ſanctum Thomam ibidem, eâdem adoratione adoramus crucem Chriſti, quâ adoramus Crucifixum; & hoc ſatis innuit Eccleſia, dum canit de ſancta Cruce: *O crux ave ſpes unica, hoc paſſionis tempore, auge piis juſtitiam, reiſque dona veniam*: ubi Eccleſia innuit adorando Crucem, non ſolùm adorari crucem ipſam ſecundùm ſe conſideratam, ſed qui in eâ crucifixus eſt Chriſtus: novit enim Eccleſia Crucem Chriſti ſecundùm ſe non eſſe unicam ſpem noſtram, non poſſe augere piis juſtitiam, donare reis veniam, niſi ſolum Deum.

Dicendum 3. ſumendo adorationem propriè loquendo juxta ſanctum Bonavent. ſuprà, non adoratur Crux Chriſti propriè cultu latriæ, hyperduliæ, aut duliæ; ſed ſolummodò eam veneramur honore quodam venerationis, & excellentiæ, ſicuti ſolemus reverentiam exhibere Sacramentis ad noſtram ſalutem ordinatis: imò illâ majori reverentiâ, tamquam ipſo Chriſti ſanguine conſecratæ. Ratio patet ex dictis ſancti Bonavent. Idem dicen-

cendum eſt de clavis, quibus crucifixus eſt Chriſtus; item de lanceâ, quâ perforatum eſt latus, & cæteris paſſionis Chriſti inſtrumentis, juxta illud Damaſceni lib. 4. cap. 12. *Hoc lignum venerandum & ex tactu ſancti corporis & ſanguinis ſanctificatum, optimo jure adorari debet: clavi item, & lancea, & indumentum, ac præſepe.* Quod intellige de adoratione propriè dicta, quatenus adoratio illorum terminatur ad Crucifixum, aut de illorum honore & reverentiâ, quatenus dicuntur adorari in ſe ipſis.

Dicendum 4. quamvis aliæ cruces etiam adorari poſſint in ordine ad prototypum, quatenus nobis repræſentant Chriſtum crucifixum: non poſſunt tamen tantâ reverentiâ honorari per ſe, quantâ Crux Chriſti propria: quia nulla tanta poteſt eſſe conſecratio cujuſlibet imaginis crucis, quam fuerit conſecratio facta per proprium Chriſti ſanguinem in cruce. Hoc tamen addo, quod aliqualis honor & reverentia ratione conſecrationis aut benedictionis aliis crucibus impendi poſſit.

Objicies primo: ergo etiam adorare licet pullum aſinæ, in quo Chriſtus ſedit: labia Judæ, quæ Chriſtum attigerunt; item etiam licebit honorare alias lanceas, clavos, ſicuti alias cruces. Reſp. etiam ſecluſo ſcandalo poſſet adorari pullus aſinæ, tamquam ex contactu Salvatoris venerandi; hoc tamen locum non habet in labiis Judæ, cum illa fuerint impia, adeoque non poſſint honorari, niſi etiam honor cenſeatur referri ad hominem impium, dum ſunt partes hominis impii; deindè Chriſtus ipſe labia Judæ & ſimilia fuit execratus tamquam partes hominum impiorum & conſequenter non habent illam moralem ſanctitatem ex contactu Chriſti, nec ejus titulo ſunt adoranda, ſed odio habenda. Quod ad aliud attinet reſpondet ſanctus Thomas ſuprà, quod etſi omnia paſſionis inſtrumenta adoremus: quia tamen nihil ità repræſentat Cru-

Crucifixum, ſicuti Crux Chriſti, quæ dicitur ſignum filii hominis, quod apparebit in cœlo; ideò potiori jure veneramur, quamcumque crucem, quam quoſcumque clavos vel lanceas. Deindè, ſacra Scriptura faciendo mentionem redemptionis humanæ, deletionis Chyrographi, exaltationis Chriſti, &c. promiſcuè meminit Crucis Chriſti, tamquam quod fuerit præcipuum ac principale inſtrumentum illorum, quod facere non ſolet de lanceis, clavis, &c. addunt alii, quod poſt edictum Conſtantini, qui vetuit in honorem Chriſti crucem adhiberi pro ſupplicio, crux quælibet non habeat alium uſum, niſi ad repræſentandum Chriſtum crucifixum: clavi vero, lanceæ, &c. poſſunt ad alios uſus etiam profanos adhiberi, & conſequenter juxta communem fidelium ſenſum non ingerunt Chriſti memoriam, niſi ſimul cum cruce jungantur.

Objicies ſecundò, quod crux, clavi, lancea, ſpinæ, &c. attulerunt potius Chriſto dolorem & ignominiam, quo titulo magis execranda ſunt, quam adoranda. Deindè abſonum eſt, quod filius honoraret patibulum patris. Reſpondeo, quod Crux clavi, &c. ſcandalum quidem fuerit Judæis & Gentilibus, nobis autem in illis gloriari oporteat cum Apoſtolo, dum fuerunt inſtrumenta ſalutis noſtræ, redemptionis generis humani, exaltationis naturæ noſtræ. Quare etiam Deus variis miraculis inſtrumenta illa decoravit; undè addo, quod ſi pater pro redemptione communitatis ſeſe morti obtuliſſet, & etiam filio gloriandum eſſet in tali patibulo.

Dicendum 5. varias virtutes aſſignant ſancti Patres Crucis Chriſti, quarum multas aſſignat Jacobus Baius Doctor Lovanienſis Inſtitut. relig. Chriſt. cap. 192. & ſequentibus, quæ quamvis magnæ ſint & mirabiles, tamen quam ſancta, quam ſapiens Conſtantini, & aliorum de cruce fiducia, tam

ſtulta

ſtulta eſt plurimorum Chriſtianorum de crucis ſigno præſumptio, ait Epiſcop. Caſtorienſis tract. 1. de cultu ſanctorum §. 62. adferens illud Aug. ſerm. 215 de tempore: *Magna res eſt ſignum Chriſti, & Crux Chriſti, & ideò de iſto tam precioſo ſignaculo res magna & precioſa ſignari debet: quid enim prodeſt, ſi de annulo aureo ſigillum facias, & putidas paleas intus recondas? quid prodeſt, ſi ſignum crucis in fronte, & ore geſtamus, & intus in animâ peccata & crimina recondimus? multi enim, dum ad furtum, aut adulterium vadunt, ſi pedem impegerint, ſignant ſe, & tamen de malo opere non revocant ſe, & neſciunt miſeri, quia includunt in ſe magis dæmones, quam excludunt.* Et iterum idem Doctor ſerm. 20. de diverſis cap. 13. *Signum ipſum crucis in fronte portamus, qui illud intelligimus. Hoc dico fratres, quia multi illud faciunt, & intelligere nolunt! factorem quærit Deus ſignorum ſuorum, non pictorem. Si portas in fronte ſignum humilitatis Chriſti, porta in corde imitationem humilitatis Chriſti.*

SECTIO V.

De Adoratione Imaginum.

DICENDUM primò, quod cultus imaginum & reliquiarum, licitus ſit & bonus, probavimus ſect. 3. illas autem etiam adorandas eſſe ſuo ſenſu, tenet Catholica veritas. Probant primò ex illo Pſalmi 98 adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt, ubi per ſcabellum varii varia accipiunt, puta Arcam fœderis, crucem Chriſti, humanitatem Verbi, &c. quidquid tamen ſit, certum eſt quod per *ſcabellum* intelligatur creatura, quam Propheta vult eſſe adorandam.

Secundò, in veteri Teſtamento, teſte S. Jeronimo Epiſt. ad Marcellam, adorabantur imagines

Che-

Cherubim : *Venerabantur*, ait, *olim Judæi ſancta Sanctorum quia ibi erant Cherubim, & propitiatorium & arca Teſtamenti.* Et ſecundùm Divum Aug. lib. 3. de Trinit. cap. 10. ſerpens æneus in deſerto adorabatur quâdam corporis inclinatione.

3. Idem docent varia Concilia pro adoratione Imaginum celebrata, ut Synodus ſeptima œcumenica : Synodus Romana ſub Greg. III. Synodus Florent. ſeſſ. 5. Concilium Trid. ſeſſ. 25. de quo latius ſect. II. idem probant plurimi ſancti Patres, quos ad longum referunt Bellarm. & alii.

Probatur inſuper ex ratione, tum quod adoratio imaginum ſæpè fuerit miraculis comprobata, quorum aliqua refert Synodus ſeptima art. 4. & 5. & alii Scriptores ſacri : tum etiam, quod perſonis eminentibus debeatur reverentia, non tantùm in ſe, ſed etiam in imagine : undè qui ſtatuam Regis malè tractaret, haberetur reus læſæ Majeſtatis ſicuti enim contumelia facta imagini cenſetur communi hominum ſenſu fieri exemplari, ita è contra etiam reverentia.

Idem ſatis confirmant variæ utilitates, quas adfert reverentia imaginibus facta. 1. Quod homines ſuo aſpectu & reverentiâ excitent ad imitationem illorum, quos repræſentant. Sic laſcivæ imagines excitant ad venerem ; imagines ſanctæ ad ſanctitatem. 2. Revocant nobis in memoriam divina beneficia à Deo per ſanctos collata : undè ulterius excitamur in amorem Dei & gratitudinem. 3. Quod imagines colendo teſtificemur honorem & affectum noſtrum erga ſanctos, tamquam de fide noſtrâ benè meritos : ſicuti ſtatuæ eriguntur perſonis de republicâ benè meritis.

Varia contra jam dicta objiciunt hæretici. 1. Quod cultus imaginum prohibeatur Exodi 20. ubi dicitur, *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in Cælo deſuper, & quæ in terrâ deorſum, & quæ in aquis ſub terrâ, non adorabis ea, neque coles.*

Item,

Item Iſaiæ 40. *Cui ſimilem feciſtis Deum, aut quam imaginem ponetis ei*, item Levitici 26. ubi dicitur: *Non facietis vobis idolum, & ſculptile nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terrâ, ut adoretis eum.*

Objiciunt ſecundò tria Concilia, duo Conſtantinopolitana, unum ſub Leone Iſaurico, alterum ſub Conſtantino Copronymo, quibus definitur, imagines eſſe abolendas: item Concilium Francfordienſe, quod rejecit doctrinam Synodi ſeptimæ de imaginibus.

3. Objiciunt varios ſanctos Patres, ut Irenæum lib. 1. cap. 24. qui inter Carpocratis errores ponit imaginem Chriſti & Pauli: quod Epiph. hæreſi 79. reprehendat Colliridianos, quod imaginem colerent divæ Virginis: quod Jeronymus in caput 3. Dan. dicat cultores Dei imagines adorare non debere.

Ad quæ reſpondeo, quod in priori Scripturæ loco exponendo hîc etiam varient Catholici ſcriptores. Varii enim cum Bonav. docent Judæis vetitam fuiſſe omnem imaginem, præſertim ipſius Dei: & hoc ideò, quod valdè proni eſſent in idololatriam. Addunt tamen, præceptum illud fuiſſe poſitivum, & duraſſe ſolùm uſque ad tempus legis novæ, quando Evangelio ſatis promulgato non eſſet ampliùs idololatriæ periculum; alii tamen cum divo Thomâ melius cenſent contrarium: tum, quia Deus ipſe in veteri Teſtamento ſæpè præcepit fieri imagines, ut Exodi 25. ubi Deus juſſit fieri duo Cherubim ex auro; tum, quod ſit communis Patrum ſententia, quod omnia præcepta Decalogi ſint legis naturalis, excepto Sabbatho: adeoque omnes & ſemper obligaverint.

Nihil tamen dictum Scripturæ præceptum juvat adverſarios: quia illo præcepto ſolummodò prohibetur, ne more gentilium aut infidelium imagines coleremus pro idolis, ſic ut in ipſis imaginibus quoddam divinum eſſe judicarent, ut loquitur Con-

cilium Trid. poſteà referendum: & probat contextus ipſius Scripturæ. Præceſſerat enim ibidem, *Ego ſum Dominus Deus tuus non habebis Deos alienos coram me, non facies tibi ſculptile, &c. non adorabis ea, neque coles.* Quaſi diceretur, ego ſolus Deus, nec alium præter me coletis ut Deum; & ſubditur continuò: *Quia ego Dominus.*

Idem omninò dicendum eſt ad locum Levitici, ubi dicto, *Non facietis vobis idolum, & ſculptile, &c.* continuò etiam additur? *Ego enim ſum Dominus Deus veſter*: Quod etiam in principio immediatè præfixum fuit. Quod autem de cætero eo loco non prohibeatur titulos erigere, ſi erigantur ad gloriam Dei, clarè patet ex eo, quod Jacob viſis Angelis deſcendentibus & aſcendentibus, erexerit lapidem in titulum: & poſt datam legem, tribum Ruben & Manaſſe, erexiſſe altare in titulum, quod & fecit Elias deletis Sacerdotibus Baäl.

Ad locum verò Iſaïæ reſpondeo, ibi ſignificari imaginem, quæ abſolutè & exactè Deo eſſet ſimilis, quæ eſt omninò impoſſibilis, prout alibi diximus de Deo, quod nihil poſſit ipſi eſſe ſimile; non tamen ibi intelligitur, non poſſe fieri imaginem, quæ Deum ſuo modo nobis repræſentaret: ſicuti res ſpiritualis per res corporales poteſt repræſentari.

Ex dictis objectionibus clarè patet, quam enormiter calumnientur, imò nos condemnent hæretici, dum nos hîc inſimulant idololatriæ, prout rectè obſervat Epiſ. Caſtorienſis de cultu ſanctorum in fine, qui & rectè obſervat, ipſos Iconoclaſtas ſua biblia & prædicationes habere ut ſacra, & ut talia venerari; ubi tamen, nec in bibliis, nec prædicationibus (ſi materiam ſpectes,) nihil ſacri, ſed ſolummodo ex parte ſignificationis eorumdem: dum iterum ipſi Calviniſtæ honorem deferunt ſuæ cœnæ Dominicæ tamquam ſigno Corporis & Sanguinis Chriſti: & quidem Anglicani, qui Epiſcopis ſubſunt, ante panem & calicem genua flectunt, &

flexis

flexis genibus cœnam percipiunt. An ergo illi ſignum & imaginem Corporis Chriſti adorando propriâ confeſſione non ſint dicendi Idololatræ, ipſi viderint: hoc interim certum eſt, ut notat idem Caſtorienſis, quod ut ſuum propugnent de Euch. errorem, contra ſe ipſos tueantur Catholicam de cultu imaginum doctrinam.

Ad Concilia objecta reſpondeo, duo priora non fuiſſe legitima. Et quidem primum videtur potius fuiſſe congregatio hominum laïcorum, quam Eccleſiaſticorum: undè vix hujus Concilii meminerunt ſcriptores ſacri: alterum verò ſub Conſtantino, etſi fuerit 138. Epiſcoporum: tamen maximâ ex parte erant infecti hæreſi, pro iconoclaſtis celebratum, nullo præſidente Legato ex parte Pontificis, nullo Patriarchâ, &c. undè & ſeptima Synodus vocat illud Concilium, *profanum, adulterium & exe-crabile*.

Quod ad Concilium Francfordienſe attinet, variè varii reſpondent Sanderus lib. 2 de adorat. imag. c. 5. vult illud Concilium damnaſſe quoddam Concilium Conſtantinopolitanum hæreticum; quod refellit Bellar. cum illa Synodus Conſtantinopolitana non erat pro adorandis imaginibus, ſed pro illis devaſtandis; alii verò reſpondent, ſeptimam Synodum ab illo Concilio vere eſſe damnatam, ſed ex ignorantiâ facti, ex eo, quod putarent in illâ definitum eſſe, quod imagines adorandæ eſſent cultu latriæ, & celebratam fuiſſe ſine auctoritate Papæ: hoc autem iterum aliis non placet ex eo, quod cum conſtaret pluſquam 300. Epiſcopis, veroſimile non ſit, talem errorem ſubrepſiſſe: dum Acta 7. Synodi benè noverant. Hinc alii reſpondent, vel Concilium Francfordienſe nihil contra adorationem imaginum vel ſeptimam Synodum definiviſſe, vel quo ad illam partem ab Adriano primo receptum non fuiſſe, qui ipſemet ſuis ſcriptis impugnatores imaginum impugnavit. Adde, quod alii dicant non fuiſſe

Concilium legitimum, nec inter œcumenica recenſeri, de quo vide Bellarm. de Conciliis cap. 8.

Quod ad ſanctos Patres in tertiâ objectione allatos attinet, reſpondeo illos ſanctos Patres intelligendos eſſe de illis, qui imagines tamquam idola more gentilium adorarunt, quod certè eroneum eſt & reprehenſione dignum. Eodem modo intelligendus eſt ſanctus Hieronymus ibi allegatus, cum agat ibidem de ſtatuâ Nabuchodonoſoris.

SECTIO VI.

Quâ adoratione imagines poſſint coli.

Dicendum primò, variant ſcriptores Catholici in explicando, quâ adoratione imagines ſint colendæ. Alii enim volunt imagines non eſſe adorandas propriè loquendo, ſed tantùm impropriè, quatenus ad præſentiam imaginum repræſentantur ſancti, qui tunc morali modo cenſentur præſentes; adeoque & adorentur. Sententiam hanc aliqui, inter quos & Saurez in 3. part. q. 25. art. 3. graviter cenſurant, ac ſi in illo ſenſu imagines non magis adorandæ eſſent, quam cæteræ creaturæ, quæ etiam ſimili impropriâ adoratione colendæ eſſent: quatenus in omni creaturâ intelligi poteſt ipſe Creator. Alii docent, quod non eodem modo per ſe & propriè adoranda ſit imago, quo exemplar per imaginem repræſentatur, impropriè tamen poſſint imagines adorari, quatenus in imaginibus adoratur exemplar, etiam adoratione latriæ, uti antè diximus, ſect. 4. de adorat. crucis: Si autem imagines venerentur, volunt eſſe venerationem minorem, quam ſit reverentia, quam exhibemus exemplari, adeoque ab adoratione exemplaris eſſe diſtinctam.

Dicendum ergo ſecundò, juxta dicta ſect. 4. quod accipiendo propriè adorationem, quæ non niſi rebus

bus rationabilibus impendi poteſt, ſic imagines ſecundùm ſe ſpectatæ ſine aliquo reſpectu ad exempla non poſſint adorari: tum, quia imago ſecundùm ſe eſt res inanimata, tum, quia adoratio propriè loquendo eſt actus Religionis, vel obſervantiæ, vel pietatis; quæ ſunt partes potentiales juſtitiæ: juſtitia autem non eſt, niſi ad alterum rationis capacem: adeoque & ejus actus potentiales; tum denique, qui imaginem per ſe conſideratam inhonorat ſine aliquo reſpectu ad exemplar, non cenſetur ex eo deliquiſſe, niſi fortè vilipendendo artem, artificem, &c.

Pro quo notandum, imaginem poſſe variè conſiderari. Primò ſecundùm materiam & formam naturalem; ſecundò juxta formam artificialem, & in relatione naturali ad prototypon. 3. ſecundum quamdam benedictionem Eccleſiæ, denique, ratione ipſius prototypi.

Si ultimo modo conſideretur imago, ſic dici poteſt, quod imago adorari poſſit, etiam cultu latriæ, uti diximus ſect. 4. agendo de adorat. Crucis non quaſi adoratio feratur in imaginem ſecundùm ſe, ſed quatenus fertur in prototypum, quod aliquando v. g. in Chriſto, cultu latriæ eſt adorandum, juxtà illud Concilii Trid. ſeſſ. 25. *Per imagines, quas oſculamur & coram quibus procumbimus, Chriſtum adoramus & ſanctos veneramur.* Eodem hoc modo loquuntur alii, dum dicunt, quod qui adorat Chriſti imaginem, Chriſtum adoret, non imaginem: puta imaginem, non colat cultu exemplari debito, aut etiam ſine reſpectu ad exemplar.

Quatenus verò imago eſt conſecrata, vel benedicta ab Eccleſiâ, certum etiam eſt, quod ratione conſecrationis vel benedictionis ſit adoranda & ut cæteræ res conſecratæ ſpeciali devotione ſit colenda. Undè etiam, quia imagines in officinis ſtatuariis non cenſentur conſecratæ, ſicuti imagines collocatæ in templo, ex eo quod dum ſtatuæ collocantur in tem-

plis, ex intentione Eccleſiæ collocantur ibidem ad adorandum, non ad vendendum, ut in officinis; adeoque communi modo loquendi cenſentur deſtinatæ ad cultum divinum.

Quod attinet ad primum & ſecundum modum, quo poſſit imago conſiderari, certum eſt, quod ſub eâ ratione imago adorari non debeat: cum nec materia, nec forma imaginis naturalis aut artificialis adoratione ſit digna ſine reſpectu ad exemplar, niſi forte admiratióne artificii.

Dicendum 3. quod ex reſpectu imaginis ad prototypum ampliori cultu dignæ ſint imagines ſanctorum quam cæteræ creaturæ: quia ex intentione Eccleſiæ cultui divino conſecrantur: tum, quia etiam proximius ſanctos ipſos nobis repræſentant: deinde, quo ſenſu Greg. Magnus lib. 7. Regiſt. 7. indict. 2. Epiſt. 5. ad Serenum, qui imagines ſanctorum confregerat, ne adorarentur ità ſcribit: *Si quis imagines facere voluerit, minimè prohibe: adorare verò imagines omnibus modis devita: ſed hoc ſollicitè fraternitas tua admoneat, ut ex viſione rei geſtæ, quam imagines ingerunt ardorem compunctionis percipiant, & in adoratione ſolius omnipotentis ſanctæ Trinitatis humiliter proſternantur.*

Quæres ergo, quo cultu proſequendæ ſint imagines. Reſpondet Caſtorienſis ſuprà citatus in fine: *Non majore, quam quô proſequenda ſunt ſigna, quibus ad Chriſti amorem ac adorationem, vel ſanctorum ejus, fratrum noſtrorum, vel conſervorum imitationem admonemur. In quo autem iſte cultus conſiſtat, diſcant Iconoclaſtæ ex eo cultu, quo Judæi Arcam Fœderis, & ipſimet ſua Sacramenta & biblia ſolent venerari.*

Ex dictis collige, quâ adoratione colendæ ſint imagines ſanctorum; quomodo verum ſit, quod dicunt aliqui ſancti Patres, imagines vel non eſſe adorandas, vel etiam non eſſe adorandas cultu latriæ. Quomodo item alii doceant, imagines per ſe eſſe adorandas, alii è contra imagines per ſe adoran-

ran-

randas non eſſe, prout diverſa adoratio, & diverſus adorationis modus à diverſis adſtruitur.

Hoc tamen ultimò pro coronide notandum, quod omnis adoratio potiſſimum conſiſtat in adoratione in ſpiritu, ſive internâ: externa enim adoratio ſine internâ correſpondente, umbra potius eſt & imago veræ adorationis, quam vera adoratio: quod eruditè oſtendit Eſtius in lib. 3. Reg. cap. 9. Si aversione aversi fueritis vos et filii vestri ..... auferam Israel de superficie terræ..... et templum projiciam a conspectu meo. *Hic locus oſtendit, quod omnia exteriora, quæ ad cultum divinum deputata ſunt, ſive ſit templum materiale, ſive vaſa argentea & aurea, aliaque Eccleſiæ ornamenta,* (adde etiam externum cultum imaginum) *Deo non ſint accepta, niſi propter cultum interiorem miniſtrorum ac plebis. Cultus autem interior conſiſtit in actibus fidei, ſpei, & charitatis. De quo Aug. in Ench.* Fide, *inquit,* spe, et charitate colitur Deus. *Ubi iſta deſunt quidquid exterius agitur in ſacrificiis, Pſalmis, Hymnis, & Orationibus, inutile eſt, & inimicis geſticulationibus ſimile, magiſque talibus ad iram provocatur Deus, quam commovetur ad miſericordiam.* Hæc Eſtius.

Adoratio externa ſine interna quid ſit.

SECTIO VII.

An à ſanctis rectè poſtulentur particularia bona, illis emittantur vota, fiant peregrinationes ad eorumdem loca?

Dicendum primò, particularia bona à particularibus ſanctis rectè expoſci. Obſtant hæretici, & dicunt Catholicos in eo imitari Ethnicos ſtatuentes plures Deos, ſive Deunculos ad obtinenda diverſa bona. Deindè quod Apoſt. reprehendat Corinthios 1. cap. 1. quod unus eſſet Cephæ, alter Apol-

lo; ubi tamen unus eſt Chriſtus: imò, quod ipſe Thomas à Kempis lib. 3. cap. 58. aſſerat, ipſis ſanctis diſplicere, diſputare vel inveſtigare de meritis ſanctorum, quoſque dicit eſſe homines carnales & animales, qui pro ſuâ inclinatione, non prout placet æternæ veritati, demunt, & addunt.

Aliud tamen oſtendit Script. ſacrâ, dum Job. 42. dicitur: *Ite ad ſervum meum Job: Job ſervus meus orabit pro vobis; faciem ejus ſuſcipiam.* Et lib. 3. Reg. cap. 17. ſtatuit Deus ad ſolius Eliæ preces dare terræ pluviam. Etſi enim Deus ſine interventu alicujus ſancti quævis bona nobis dare poſſit: tamen aliqua non dare conſtituit, niſi hujus vel illius ſancti interventu: hinc etiam videmus per unum ſanctum in hoc genere auxilium miraculoſum, per alium ſanctum non item, prout cuique Deus dividit ſua dona gratiarum.

Deinde, particularem ſanctorum cultum oſtenderunt nobis ſuo facto ipſi ſancti Patres, qui aliis & aliis ſanctis fuerunt addictiores. Sic ſanctus Chryſoſt. mirè affectus fuit ſancto Paulo, ut patet ubique ex ejus ſcriptis: ſanctus Greg. in ſanctum Andræam, ſanctus Baſil. in 40. Martyres, ſanctus Aug. erga ſanctum Stephanum, &c. denique, videmus quomodo varii varios adeant, quos noſcunt habere gratias gratis datas à Deo, ut curentur: ſic ſtrumoſi adeunt Regem Galliæ, alii Regem Angliæ, &c. quare ergo eodem jure non licebit adire aliquos ſanctos, quos noſcimus per effectus & miracula speciales gratias gratis datas à Deo obtinere?

Ad objecta aliorum reſpondeo, quod Catholici in hoc non imitentur Ethnicos ſtatuendo plures Deos, dum probe noſcunt, ſanctos à Deo accipere omnem virtutem, ſed tantùm ſpecialiter à Deo hos vel illos ſanctos alicui loco vel morbo conſtitui. Apoſtolus autem redarguit contentiones & ſchiſmata, quæ ex particulari zelo inordinatò proficiſcuntur, aliis adhærentibus Cephæ, aliis Apollo, &c. Thomas

mas verò Kempenſis damnat illos, qui diſputant & inquirunt de meritis ſanctorum, quis alio ſit ſanctior, aut quis major fuerit in Regno Cælorum; *Quæ*, ait, *generant ſæpè lites & contentiones inutiles, nutriunt quoque ſuperbiam & vanam gloriam: undè etiam oriuntur invidiæ & diſſenſiones, dum iſte illum ſanctum, & alius alium conatur ſuperbè præferre.* Talia *autem velle ſcire & inveſtigare nullum fructum adferunt, ſed magis ſanctis diſplicent: quia non ſum Deus diſſenſionis, ſed pacis, quæ pax magis in humilitate verâ, quàm in propriâ exultatione conſiſtit.* Carpit itidem devotus auctor, illos qui zelo dilectionis trahuntur ad hos vel alios ſanctos ampliori affectu, ſed humano potius, ait, quam divino & Religioſo: honor enim & reverentia ſanctis debita judicium diligit, & diſcretionem.

Dicendum 2. Rectè quoque in honorem Sanctorum ædificantur ſacræ ædes, obeuntur peregrinationes ad diverſa loca, denique rectè Sanctis vota emittuntur. Etſi enim Templa & altaria primariò in Dei cultum erigantur, adeò ut rectè docet S. Aug. l. 1. cont. Maximin. Templi erectio ad latriam pertinet: tamen in quantum Templa conſiderantur tamquam monumenta Sanctorum, in quibus eorum Corpora requieſcunt, vel etiam quatenus Eccleſia aliqua, Sanctum aliquem pro ſingulari Patrono eligit, rectè in illius honorem ædificationem Templi cedere judicatur. Hinc S. Aug. l. 22. de civ. c. 10. *Nos*, inquit, *Martyribus noſtris, non Templa ſicut diis, ſed memorias, ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt ſpiritus, fabricamus.* *Erectio Templorum, peregrinationes, &c.*

De peregrinationibus idem docet continua Eccleſiæ praxis, & Sancti Patres, de qua Beda l. 5. Hiſt. c. 7. ait, Anglis omnibus in more fuiſſe peregrinari ad Apoſtolorum ſepulchra. Ad honorem enim Sanctorum ſpectat, eorum ſepulchra viſendi gratiâ, ſubire laborem, ſumptum, & itinerum pericula. Et licet Sanctorum memoria ubivis haberi poſſit, com-

commodius tamen in uno loco, quam alio: deinde in uno loco per invocationem Miracula ſentimus & videmus, non in alio.

Votum Deo emiſſum in quo differt à voto emiſſo Sanctis.

Vota denique licitè Sanctis emitti, patet ex eo, quod in ſignum gratitudinis, eo quod pro nobis Deum orent & intercedant, licitè aliqua in illorum honorem promittamus. Unde aliud eſt votum Sanctis emiſſum, aliud Deo emiſſum, cui votum emittitur tamquam ſupremo omnium Domino, & omnium bonorum authori: Sanctis verò, ut Dei amicis & interceſſoribus noſtris. Probat dictam concluſionem, Prudentius Hymno de S. Hemiterio, dum ita canit.

Illitas cruore Sancto,
Nunc arenas incolæ
Confrequentant, obſervantes
Voce, votis, munere.

SECTIO VIII.

Quædam in veneratione Sanctorum & imaginum obſervanda.

Cum nullus ſit omninò uſus tam Sanctus, quin abuſu prophanari queat, hinc in prædicto cultu varia proſcribenda præcipit S. Synodus Trid. ſeſſ. 25. decr. 2. quæ ut fortius eradicentur monet Epiſcopos, & Paſtores, ut quæ hucuſque de invocatione Sanctorum ejuſque modo diximus, populum diligenter doceant & inſtruant, ne cultum Deo debitum, Creaturæ impendant, & ita religio in idololatriam degeneret.

1. Ergo monendus eſt populus, *ne imaginibus credatur ineſſe aliqua divinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ, vel quod ab eis ſit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus ſit figenda, veluti olim fiebat*

fiebat à gentilibus, qui in idola ſpem ſuam collocabant.

Hinc peccant & errant illi, qui imagines aliquas, vel propter ornatum honorabiles, vel quia in loco ubi ſtatuuntur Miracula experiuntur, uti divinum quoddam venerantur, uti ſæpe fit à rudi populo, cujus cultus fertur in imaginem ſæpe & uſque ornamenta, nullo facto reſpectu ad prototypa, quorum ſunt imagines.

Peccant itidem qui ſpem ſuam & fiduciam ſuam in imaginibus ponunt, firmè ſibi perſuadentes ſe nullo periculo obruendos, quamdiu imaginem aliquam penes ſe habent & gerunt.

Quare Angeli aliquando ſpe ie juvenum figurantur.

Notandum 2. Nullas falſi dogmatis imagines & rudibus periculoſi erroris occaſionem præbentes, poſſe ſtatui in Eccleſia: quod ſi aliquandò hiſtorias & narrationes ſacræ Scripturæ, cùm id indoctæ plebi expediet, exprimi & figurari contigerit; doceri debet populus; non propterea divinitatem figurari, quaſi corporeis oculis conſpici, vel coloribus aut figuris exprimi poſſit. Hinc quando Pater in divinis in ſpecie ſenis, Spiritus S. in ſpecie columbæ, Angeli in ſpecie juvenum alatorum figurantur, monendus eſt populus, illis ſpeciebus illos figurari, ad recolendas hiſtorias, in quibus tali ſpecie apparuerunt, vel ad figurandas eorum proprietates, v. g. Patris æternitatem, Angelorum promptitudinem ad exequenda Dei mandata, &c. qua in re ſollicitè monendus eſt rudis populus, qui Deum imaginatur, ut hominem, Regem, &c. nec aliquid fermè percipit ſpiritualis, ſed omnia ad carnem menſurat.

Superſtitio à Sanctorum Cultu tollenda.

Notandum 3. Omnis ſuperſtitio in Sanctorum invocatione, reliquiarum veneratione & imaginum ſacro uſu tollatur, & omnis turpis quæſtus eliminetur. Peccant enim ſuperſtitione, ſi cultum divinum Sanctis adhibeant, vel modos inſolitos & ſuperſtitioſos in eo adhibeant. Notandum tamen va-

ria apparere aliquando ſuperſtitioſa, quæ tamen ab Eccleſia tacitè ſunt approbata, & quorum adhibitione Deum remedium ferre experimur, ſicut multa ſtatuit præſtare Deus, ſed non niſi mediantibus cauſis naturalibus adhibendis. Unde nihil novi & inſoliti in his facilè eſt introducendum, nec vanè in dictorum cultu aliqua obſervanda, v. g. quod hoc vel illo modo Sancti imaginem collocent, tali vel tali modo reliquiæ dependeant, toties ea oſculentur & non pluries, & ſimilia, quamvis aliquando ſacram habeant ſignificationem particularem adjunctam. De qua re plura dicta ſunt de ſuperſtitione.

Turpis quæſtus. Omnis quoque turpis quæſtus in dicto cultu eliminari debet: v. g. quod ratione benedictionis, imagines, aut medaliæ aut alia ſimilia pluris juſto vendantur, aut aliquid præcisè ratione ſanctitatis aut rei ſanctitati annexæ exigatur.

Laſcivus ornatus. Notandum 4. *Omnis denique laſcivia vitari debet, ita ut procaci venuſtate imagines non pingantur, nec ornentur: & Sanctorum celebratione ac Reliquiarum viſitatione homines ad commeſſationes atque ebrietates non abutantur, quaſi feſtus dies in honorem Sanctorum per luxum ac laſciviam agatur.* Sollicitè hîc monet Concilium laſcivas imagines ex Eccleſiis tollendas, ne imagines Eccleſiaſticæ ad libidinem potiùs, quàm ad ſanctitatem frequentantium animos inflamment. Enimverò ſi ex privatis ædibus imagines illæ ſint eliminandæ, quantò magis ex loco ſancto? hac in re parum ſollicíti ſunt, judicantes totum id in honorem feſti cedere, quod ſumptuoſum ſolùm aut venuſtate rarum, etſi de cætero lupanatibus magis, quàm templis ſit adoptatum. Adeò ut rectè Franciſcus Horantius contra Calvinum l. 2. c. 27. *Imagines*, ait, *Chriſti, meminerimus completæ honeſtatis ac Religionis, non perditi luxûs exemplaria eſſe: quare omni pudore & verecundia aſperſas eſſe, magnopere convenit. Quid commune Virgini ſanctiſſimæ, pudicitiæ numeris omnibus perfectæ atque expletæ, cum ornatu*

natu illo pene dixerim meretricio? Quid SS. Martyribus, Chriſtique Confeſſoribus cum pluſquam prophano apparatu? In quem apparatum durè olim invecti ſunt SS. PP. & maximè S.Bern. in Apologia ad Guilielm. Abb. S. Theodorici, ubi docet prophanum illum ornatum repræſentare ritus Judaïcos, orantium impedire affectus, &c. Undè aliquorum ſtatuta imagines & picturas, uti & alia curioſa ex ſuis Eccleſiis & ædibus proſcribunt, uti Carthuſiani & alii. Quare rectè Sanderus de adoratione honoraria imaginum c. 3. *Non ſunt*, ait, *prophanæ hiſtoriæ in Eccleſiis pingendæ, qui mos ethnicorum fuit, à Chriſtianis repudiandus, non imitandus.* Cui Concilii decreto & dictorum ſententiæ certò ſatis contraveniunt, qui ornandis Eccleſiis, neſcio quas fabulas Ovidii aut Virgilii, hundinas & alia prophana depicta exponunt, adeò ut domum Dei vertant in imaginum officinam, non ad devotionem aut pietatem, ſed ad luxum & vanitatem. Quod & de ſuo tempore notavit Amb. Catharinus de cultu imaginum, ita ſcribens: *Quod verò omnium teterrimum eſt, hâc tempeſtate, in excelſis templis ſacelliſque offendas picturas tantæ laſciviæ, ut quidquid natura occuluit turpe, noſtrum ibi liceat contemplari, ad excitandam non devotionem, ſed cujuſvis demortuæ carnis libidinem.* Viderint ergo Eccleſiarum rectores, ne ſimilis ornatûs picturas, imagines & tapetes in Eccleſia Dei permittendo, multorum peccatorum ſint vera cauſa, quæ ejuſmodi ornatui ſolent eſſe connexa.

Deindè ſollicitè cavendum, ne reliquiarum viſitatione ad commeſſationes & ebrietates abutantur, non enim ebrietate vitiorum omnium fomite, & origine coluntur Sancti, ſed ſobriâ potiùs (eorum intuitu refectione) factâ. Qua in re peccant Confraternitates, quæ feſto die congregatæ in ſymbolum amicitiæ & confæderationis, ſubminiſtrante potu iracundiæ faces, rixis & pugnis ſuccumbunt.

Notandum quoque ne obeantur peregrinationes,

nes, magis recreationis inhoneſtæ causâ, quam devotionis; in via peccata peccatis addant, uno cumulo confitenda: quo fit, ut peregrinatio ſæpe magis obſit, quam proſit.

Notandum denique, *Nemini licere in ullo loco, vel Eccleſia etiam quomodolibet exempta, ullam inſolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, niſi ab Epiſcopo approbata fuerit: nulla etiam admittenda eſſe nova miracula, nec novas reliquias recipiendas, niſi eodem recognoſcente & approbante Epiſcopo.* Ita Conc. Trid. ibid.

SECTIO IX.

De Diva Virgine, ejuſque Cultu.

Honor Mariæ redundat in Chriſtum.

Dico 1. variæ præ reliquis Sanctis in D. Virgine ſunt prærogativæ; puta primò, quod nullum peccatum commiſerit aut contraxerit. Prior pars patet ex communi Eccleſiæ ſenſu, ut ait Conc. Trid. ſeſſ. 6. Can. 23. Deinde ſicut honor matris redundat in filium, ita econtra etiam ignominia. Hinc S. Bern. ſerm. 2. de aſſumpt. *Abſit, ut proprii quidquam inquinamenti, hæc aliquando habuiſſe dicatur.*

Immaculatè concepta.

Poſterior pars etiam probatur, quia peccatum originale non contraxit, etſi in Adam peccarit, & ſic peccati debitum remotè contraxerit, & proximè contraxiſſet, niſi à Deo in ſua conceptione fuiſſet præſervata. Ratio hujus eſt, quod potuerit D. Virgo, ita concipi, & decens fuerit, nec aliquid obſtet; quin imò Scriptura Sacra & SS. Patres idem ſatis declarent, dicentes eam eſſe totam pulchram, in ea non eſſe maculam, eſſe hortum concluſum, &c. Hinc S. Anſelm. in cap. 1. 2. ad Corinth. *Omnes*, ait, *mortui ſunt in peccatis, ſive originalibus, ſive voluntate additis, nemine prorſus excepto,*

pio, Dempta Matre Dei. Et Pet. Damiani. Serm. de aſſumpt. *Caro*, ait, *Virginis ex Adam aſſumpta* maculas Adæ non admisit.

Idem confirmat Feſtum Immaculatæ Conceptionis à variis Pontificibus approbatum & promotum, adeo ut Paulus V. expreſsè prohibuerit, contrarium aſſere in actibus publicis, lectionibus, concionibus, quod & Greg. XV. ad privata colloquia & ſcripta extendit. Quamquam hoc non obſtante, qui contrarium ſuſtinent non ſint hæreſis arguendi, expreſsè declaravit Sixtus IV. in extrav. *Grave nimis*.

De mente S. Auguſtini, Thomæ & Bernardi, dubitant aliqui. De mente S. Auguſtini tractatum edidit Illuſtriſſ. D. Florentius Conrius, illud atteſtans, quod etſi mentem ſuam S. P. expreſsè non explicet, cùm id, contra Pelagianos agentis ſcopo minimè neceſſarium eſſet; ex rationibus tamen id clarè doceat, dum ait de nat. & grat. c. 36. *Exceptâ S. Virgine Mariâ, de qua propter honorem Domini, nullam prorſus cùm de peccatis agitur, habere volo quæſtionem.* Ex quo colligi liceat, propter honorem Domini à peccato originali ſemper fuiſſe immunem ne aliquando dicta fuiſſet, *Mancipium diaboli, filia iræ*, &c.

De mente D. Thomæ acrior eſt contentio: pro parte noſtra adferuntur hæ ſententiæ ejuſdem S. Doctoris. Prima, quâ ad Gal. c. 3. lect. 6. ita ait: *virum de mille unum reperi, qui eſſet ſine omni peccato: mulierem autem ex omnibus non inveni, quæ à peccato omni libera eſſet, ad minus originali vel veniali: excipitur puriſſima & omni laude digniſſima Virgo Maria.* Secunda ejuſdem Doctoris eſt ex Epiſt. ad Rom. in fine. Ubi ait: *Maria puriſſima fuit: quoad omnem culpam, quia neque originale, neque mortale, neque veniale peccatum incurrit: excedit Angelos quantum ad puritatem.* Quæ etſi in aliquibus S. Thomæ editionibus, haberi negentur ab aliis, citantur tamen à variis Authoribus, & in variis M. S. haberi dicuntur; *D. Thom.*

tur: addunt alii, & meritò, quod quidquid ſit ſi S. Thomas etiamnum viveret, ſuam ſententiam ad Pontificum placita explicaret: aut retractaret, ſi contrarium fortè ſenſiſſet.

S. Bern. De S. Bernardo, dubitant ex eo, quod Epiſt. 174. ad Canonicos Lugdunenſes eoſdem carpat, quòd Feſtum Immaculatæ Conceptionis colerent in Eccleſia. Sed immeritò; carpit enim eos S. Doctor in eo; quod Feſtum illud ſine legitima authoritate inſtituiſſent, non attentâ Pontificis authoritate, ad quod, cùm illi reſpondiſſent, S. Mariam eſſe omni laude digniſſimam, repoſuit Bernardus verum eſſe, ſed honorem Reginæ judicium diligere. Vellem tamen hîc notari, quod habet Exim. D. Sylvius ad inſtruct. Paſt. Caroli Borromæi c. 11. ita ſcribens: *mirum valdè eſt, multos hodie concionari vix poſſe in die Conceptionis B. Virginis, niſi de immunitate ipſius ab originali peccato non loquantur ſolùm, ſed etiam allatis adverſæ partis argumentis & authoritatibus diſputent, ac prout poſſunt eiſdem reſpondeant perſtrictâ ſubindè acrius, quam oporteat, parte quam oppugnant..... melius populum non onerarent inutilibus de Conceptione diſputationibus, inanibuſque concionibus: ex quibus auditores, qui in credendis, agendis, aut fugiendis inſtrui debuerant, ſine fructu revertuntur.*

Inſulſum tamen eſt quod objiciunt Hæretici, quod Catholici celebrando conceptionem immaculatam videantur celebrare peccatum, celebrando conceptionem maculatam, vel ſaltem de quâ non omninò certò conſtat. Ad quod reſpondet Bellarm. lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 16. quod fundamentum hujus feſti præcipuum, non ſit conceptio immaculata, ſed ſimpliciter conceptio Matris Dei futuræ, qualiſcumque enim fuerit illa conceptio: eo ipſo quod conceptio fuit Matris Dei, ſingulare gaudium adfert mundo ejus memoria: addit Bellarm. quod hoc feſtum illi quoque celebrent, qui putant virginem in peccato conceptam. Sed an

illi

Illi celebrent feſtum Conceptionis Immaculatæ, quale feſtum jam colit & proponit Eccleſia ipſi viderint.

Hiſce poſitis quæri poſſet, an ergo in ſententia noſtra Chriſtus non ſit Redemptor D. Virginis? Reſp. quod ſic: quatenus Chriſti redemptione id factum ſit ut à peccato præſervaretur, etſi non à peccato liberaretur. *Chriſtus Redemptor Mariæ.*

Dicendum 2. Alia D. Virginis prærogativa eſt quòd fuerit Mater Dei. Patet ex Scriptura Joan. 2. ubi dicitur, *erat Mater Jeſu ibi:* Neque ita dici poteſt de paternitate Joſeph, cùm ille expreſsè in Sacra Scriptura dicatur, tantùm opinione Pater Chriſti, dicit enim Scriptura Lucæ 3. *Jeſus erat quaſi annorum triginta, ut putabatur filius Joſeph.* Deinde, etſi Chriſtus paſſim Matrem ſuam, *mulierem* vocet, uti etiam quod eam negare videatur eſſe ſuam Matrem, dum dicit Matth. 12. *quæ eſt Mater mea?* nihil dictis obſtat: cum dicat D. Virginem mulierem, per antonomaſiam, puta illam, inter quam & Dæmonem poſitæ erant inimicitiæ, uti etiam ſe dicit aliquando *filium hominis*, id eſt Mariæ. Quærit autem, *quæ eſt Mater mea*, non quaſi eam Matrem neget, ſed quòd inſtruat parum curandam eſſe Matrem, dum prædicando verbo Dei inſiſtimus. *Maria Mater Dei.*

Aliæ inſuper in D. Virgine enumerantur prærogativæ, quòd fuerit gratiâ plena, quod fuerit inter mulieres benedicta, quod illi Jeſus ſuberat, quod eſſet ante & poſt partum virgo, &c. *Mariæ prærogativæ.*

Dicendum 3. Ratione harum prærogativarum, colenda eſt D. Virgo cultu, qui ſit major cultu aliorum Sanctorum, minor tamen cultu latriæ, quem cultum hâc ratione vocant *Hyperduliam.* Primum patet ex eo, quòd ſanctitate & aliis excellentiis, alios Sanctos longè antecellat, adeoque cultum majorem mereatur à nobis ſibi exhiberi. Poſterius quoque patet, quia illis non obſtantibus, vera manet creatura, cui proinde actus latriæ im- *Cultus Mariæ.*

Quomodo ſit ſpes noſtra, advocata noſtra, &c. pendi nequit. Hinc quando dicitur *ſpes noſtra, advocata noſtra*: ſolummodo importatur quòd pro nobis intercedat apud Deum, ut alii Sancti, etſi efficaciùs, in quam proinde interceſſionem ſperare poſſumus: non autem ut ſit advocata, uti Chriſtus, qui propriis meritis pro nobis interpellat, à quo ſalutem noſtram certa cum fiducia expectamus, quo ſenſu, *unus eſt mediator Dei & hominum, homo Chriſtus* Jesus, ut ait Apoſt. 1. Tim. 2. uti etiam eſt *Oſtium*, quo nemo ad Patrem venit, niſi per Chriſtum, id eſt, qui propriis meritis nos ad Patrem ducit; omnia enim merita D. Virginis, ex meritis Chriſti pendent, ſuam virtutem recipiunt, & illis innituntur.

Quomodo unus mediator. Oſtium, &c.

Cultus Mariæ non eſt ſignum prædeſtinationis etiam in iis qui gentiliter vivunt.

Dicendum ultimò, cultum B. Virginis non eſſe notam prædeſtinationis, in iis etiam, qui gentiliter vivunt. Probatur, quia ſolùs cultus ad ſalutem non proderit, ſi vita non quadret, & ſcelera ſceleribus in vita addantur. Imò, uti impiis fit oratio in peccatum, ita & illis cultus ille cedet in ruinam & majorem condemnationem. Unde, ſicut non omnes qui dicunt *Domine, Domine* intrabunt in Regnum Cœlorum, ſed qui fecerit voluntatem Patris: ita nec omnes qui dicunt *Domina, Domina*, niſi voluntatem Dei adimpleverint. Hinc rectè S. Auguſt. l. de dono perſev. cap. 22. *De ipſo autem curſu veſtro bono rectoque condiſcite, vos ad prædeſtinationem divinæ gratiæ pertinere.* Et iterum hom. 50. cap. 5. *Salutem Deus promiſit perſeverantibus in charitate, non in iniquitate: Ubi autem charitas eſt opera illa mala à Regno Dei ſeparantia eſſe non poſſunt.* Unde & Eccleſia damnavit hanc ut ſcandaloſam & in praxi pernicioſam: *Frequens confeſſio & communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis.* De quo alibi. Notent tamen ii, qui exteriora illa pietatis officia ſine interiori animi puritate correſpondente ſibi ſufficere arbitrantur, quod citat ex Amphilochio S. Epiphanius in ſeptimâ Synodo

modo dicens: *Curæ nobis ſit virtutes bonorum virorum eligere, & operum illorum meminiſſe & politiam illorum imitari. Ipſis enim templa fabricare aut imaginem illorum in tabulis circumferri, contemnendo interim illorum virtutes, haud quaquam laudabile eſt. Nemo enim laudaverit virum, quem videt virtutes ſanctorum averſantem, & quotidie illorum imaginem circumferentem aut templa illis ædificantem, aût vaſa comparantem illis: ſui ipſius autem templum divinis virtutibus non ornantem. Multas Cruces in ædicula figurare & præcepta Dei contemnere, imitationiſque paſſionis illius obliviſci, extrema dementia eſt.*

Et verè Caſtorienſis tract. 1. de cultu Sanctorum §. 54. *Quam inepti*, ait, *ergo ſunt, qui ſe putant placere Mariæ, vel ob veſtium colorem, aut figuram; vel, neſcio, ob quam teneram erga eam affectionem, quâ in illâ diligitur, vel quædam fœminei ſexûs mollities; vel iſtius generis patientia in protegendis peccatoribus, de quâ cum Bernardo dicere poſſes:* O PATIENTIA OMNI DIGNA IMPATIENTIA, NON POSSUM, FATEOR, NON IRASCI HUIC PATIENTIÆ. *Dicit Aug. quod nihil Mariæ materna propinquitas profuiſſet, ſi non Chriſtum felicius corde quam carne geſtaſſet. Et neſcio, quî homines ſibi perſuadent, quod multum ſibi proderit, aut brachium roſario, aut collum Deiparæ imagine, aut pectus aut ſcapulas pannis ad virginis honorem ſacratis obtexiſse, licet in illorum corde nullus timor Domini, nullum divini honoris ſtudium, nullus divinæ legis amor vivere noſcatur. Inepta eſt fiducia illis exterioribus pietatis ſignis innixa, niſi illis adjunctum ſit ſtudium colendi virginis filium religioſâ mandatorum obſervantiâ, fruſtra Virginis ſymbola geruntur in carne, niſi Virginis filius geratur in corde. Nec hæc dico, ut iſta ſymbola depretiem, ſed ut perverſam in illis fiduciam caſtigem.*

SECTIO X.

De Antichriſto.

Quid & qualis erit Antichriſtus.

ANTICHRISTUS, idem eſt quod adverſarius Chriſti. Hinç omnes illi, qui moribus & vitâ Chriſto adverſantur, dicuntur, *Antichriſti*, uti Joan. 2. dicitur: *Antichriſti multi facti ſunt.* Dicitur tamen per Antonomaſiam Antichriſtus: homo quidam noviſſimis temporibus venturus, qui vocatur in Scriptura *homo peccati, filius perditionis, &c.* Quem interficiet Dominus JESUS ſpiritu oris ſui. His poſitis

Antichriſtus nondum advenit.

Dico 1. Antichriſtus ille nondum advenit, uti calumniantur hæretici. Probatur 1. quia non adveniet ille, niſi everſum fuerit Romanum Imperium, ut docent SS. Patres. Unde S. Chryſoſt. in 2. Theſ. 2. *Quando*, ait, *è medio ſublatum fuerit Romanum Imperium, tunc veniet Antichriſtus.* Probant hoc unanimiter SS. Patres ex c. 2. & c. 7. Danielis, ex quibus colligunt Regnum Antichriſti fore ultimum inter monarchias hujus mundi, nec oriturum niſi ſubverſo Romano Imperio & in decem Reges diviſo. Tunc enim exſurget Rex quiſpiam, qui 10. Regna, in quæ Romanum Imperium diviſum fuit, invadet, & ſibi ſubjiciet, cujus poteſtas tantùm durabit 3. annis & medio, ut patet Apoc. c. 11. 12. 13.

Locus nativitatis, Regnum, mores, &c.

Dico 2. Quo loco orietur, ubi regnabit, quo mortis genere Antichriſtus interficietur eſt planè incertum; cùm non niſi obſcurè de illa re loquatur Scriptura Sacra. Quidam docent, eum naſciturum ex tribu Dan, adeoque fore Judæum nativitate, idque in Babylone, & pro Meſſia recipiendum à Judæis, quod templi Jeroſolymitani ſit futurus ſtudioſiſſimus, &c.

Dico

Dico 3. Antichriſti mores & Doctrina erunt abominanda. In primis enim, ut dicitur Dan. 7. & 8. & 11. Sermones contra excelſum loquetur: cor ſuum magnificabit: elevabitur adverſus omnem Deum: unde ſibi templa & altaria curabit erigi, & fieri honoris divini officia, donec veniant Henoch & Elias eidem reſiſtentes, qui & ab eodem occidentur, ipſe tandem ſpiritu oris à Chriſto Jesu perimendus: & deſtruendus illuſtratione adventûs ejus, ut ait Apoſt. 2. Theſ. 2.

TRACTATUS VI.

De Sacramentis.

CAPUT PRIMUM.

SECTIO PRIMA.

Quid & quotuplex ſit Sacramentum.

Quid ſit Sacramentum. DICENDUM primò, Vox *Sacramentum* aliquando ſumitur pro arcano, ſive myſterio abſcondito, uti & pro quacumque cæremonia, quâ homo initiatur, & generaliter pro omni eo, quod rem ſacram ſignificat, unde S. Auguſt. l. 10. civit. c. 5; Sacramentum definit *Sacræ rei ſignum*; Et Epiſt. 5. *Signa* ait, *Cum ad res divinas applicantur, Sacramenta ſunt.* *Quid ſignum.* Quid verò ſit ſignum, definit idem S. Doctor l. 2. Doct. Chriſt. ubi ait: *Eſt res, quæ præter ſpeciem, quam ſenſibus ingerit, aliquid aliud ex ſe facit, in cognitionem venire.* Porro ſignum eſt duplex, practicum & ſpeculativum: *Speculativum* eſt, quod ſolùm ſignificat aliud, quod itidem non efficit. *Practicum* eſt, quod efficit rem quam ſignificat. Unde

Efficacia Sacramentorum. Dicendum 2. Sacramenta novæ legis efficiunt rem quam ſignificant, etſi non omnem: Sacramenta verò V. L. non efficiunt ſemper rem quam ſignificant. Probatur prius, quia Sacramenta N. L. ſignificant gratiam, quam uſu ſuo non ponentibus obicem conferunt & efficiunt. Non tamen efficiunt omne id, quod ſignificant, cùm ſignificent Chriſtum,

ſtum, ejus paſſionem, &c. Quæ tamen non efficiunt. Probatur poſterius, quia Sacramenta V. L. non cauſant ſemper juſtitiam, nequidem legalem. Eſt enim duplex juſtitia, legalis ſive externa, alia interna, quæ gratiam adfert, aut cum eadem convenit. Legalem quidem juſtitiam pleraque Sacramenta V. L. conferebant, non tamen omnia, cùm neque eſum agni Paſchalis, neque panes propoſitionis aliquam Sanctitatem legalem contuliſſe, ſed eam præſuppoſuiſſe ſit veroſimilius. Unde rurſum

Differentia Sacramentorum V. & N. L.

Dicendum 3. Diverſitas Sacramenti V. L. à Sacramentis N. L. juxta S. Auguſt in eo ſito eſt, quòd Sacramenta V. L. fuerint Sacramenta non præſtantia ſalutem, ſed promittentia Salvatorem uti ait l. 19. c. 6. cont. Fauſt & c. 17. dicit, quod eadem Sacramentta ad promittendum Chriſtum fuerint inſtituta. Unde & Paulus ad Gal. 4. eadem vocat *Infirma & egena elementa* Ad Hæb. 7. *Inutilia & infirma*: cap. 9. *Juſtitias carnis*: c. 10. Quod *Non poterant perficere, nec emundare conſcientiam*: Et rurſum ad Rom. 3. *Ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro coram illo.* Denique 1. Cor. 7. *Circumciſio*, ait, *nihil eſt*, de qua poſtea. Sacramenta autem N. L. non ſolùm juſtitiam internam per Chriſtum dandam promittunt aut figurant, ſed ut ait P. Aug. in Pſalm. 73. *Illa promittebant Salvatorem, hæc præſtant.*

Conveniunt ergo Sacramenta V. L. & N L. in eo quòd ſignificent rem eamdem ſcilicet Chriſtum in carne venturum aut natum, ſed diverſo modo ſignificandi diſcordant, cùm Sacramenta V. L. ſignificent Chriſtum venturum, Sacramenta N. L. eumdem jam adveniſſe.

Quid Sacramentum N. L.

Dicendum 4. *Sacramentum N. L. eſt inviſibilis gratiæ ſignum viſibile ad noſtram Sanctificationem divinitus inſtitutum, eamque cauſans.* Communis Theologorum ſenſus ſubintelligit ſignum ſtabile & univerſale, ex quo deducunt non fuiſſe Sacramen-

tum, dum Chriſtus dixit Magdalenæ, *Remittuntur tibi peccata tua*, & alia his ſimilia. Sequitur deinde, quòd Cruces, Imagines, Manna, &c. non ſint Sacramentum, eo quòd ne quidem gratiam ſanctificantem ſignificent, uti & Sacramentalia, exorciſmi, aqua benedicta, &c. quæ gratiam præſupponunt, vel viam ad gratiam ſternunt, non itidem gratiam ſuo uſo conferunt.

Sacramentalia an cauſent gratiam.

Requiritur quoque, ut ſignum illud ſit *ſenſibile.* Hinc S. Auguſt. l. 19. contra Fauſt. c. 16. & de Catechiſ. rud. c. 26. vocat Sacramenta *miniſteria corporalia, ſignacula viſibilia*, &c. Deinde, ut rectè infert D. Thomas: æquum eſt homini, ut per res ſenſibiles deducatur in cognitionem Spiritualium.

Materia & forma Sacramentorum.

Requiritur inſuper ad Sacramenta, materia & forma. Materia aliquando eſt proxima, quæ potiſſimùm in actione & adhibitione materiæ remotæ conſiſtit: forma verò ſunt verba, aut alia ſigna verbis æquivalentia, quod addo, eo quòd probabiliter in Sacramento matrimonii ſufficiant ſigna talia, quæ æquè ac verba conſenſum mutuum exprimunt, uti ſuo loco oſtendam. Hinc ait S. Aug. tract. 80. in Joan. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*: & Concil. Florent. quod expreſsè ait, *Sacramenta N. L. tribus perfici, ſcilicet rebus tamquam materiâ, verbis tamquam formâ, & perſonâ Miniſtri.*

SECTIO II.

An Sacramenta N. L. ſint immediatè à Chriſto inſtituta.

Omnia Sacramenta à Chriſto inſtituta.

DICENDUM primò, de Fide eſt Sacramenta N. L. à Chriſto eſſe inſtituta. Probatur ex Trid. quod ſeſ. 7. can. 1. ita definit; *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia à Jeſu Chriſto D. N. inſtitu-*

inſtituta ..... anathema ſit. Ratio eſt, quòd ſolius divinæ poteſtatis ſit ſigna gratiæ practica inſtituere, quæ ſola gratiam poteſt conferre principaliter. Ex hoc allato Concilii Trid. Canone deducunt aliqui eſſe de Fide, omnia N. L. Sacramenta eſſe immediatè à Chriſto inſtituta: verùm, contrarium nobis probant Judocus à Raveſtyn & Ruardus Tapperus DD. Lovan. qui Tridentino adfuerunt, & bene de eodem Concilio ſunt promeriti: quorum prior in Apologia pro Tridentino contra Kemnitium conſcripta, inter alia Hæretico illi imponit, quod textum Concilii falſificaſſet, dum ait: *Si quis dixerit, non omnia iſta 7. Sacramenta à Chriſto* IPSO, &c. addiderat Kemnitius *ipſo*, ad quod à Raveſtyn opponit, mentem Concilii non fuiſſe definire, an omnia N. L. Sacramenta fuerint immediatè, an mediatè à Chriſto inſtituta, puta à Chriſto per Apoſtolos Spiritu S. edoctos. Idem expreſsè docet alter ſcilicet Ruardus propugnans art. 1. confeſſ. Cath. Acad. Lov. juſſu Caroli V. editæ, qui eſt hic: *Credendum eſt eſſe 7. Eccleſiæ Sacramenta, à Chriſto inſtituta, quæ ſunt Baptiſm.* &c. ad quod inter alia ita ait Tapperus: *An in Eccleſia manſerit poteſtas inſtituendi Sacramenta, inquiri poteſt: ſed nil horum requirit articulus, ſed ſolùm habet, quod omnia Sacramenta ſint à Chriſto inſtituta, non autem quod ab eo ſint inſtituta* IMMEDIATE. Addit à Raveſtyn: nec ſolùm ea veriſſimè dicuntur inſtituta, quæ Chriſtus ipſe immediatè & per ſe ipſum inſtituit, ſed etiam ea, quæ dictante ſpiritu ejus, & ejus authoritate per Apoſtolos inſtituta ſunt, & in Eccleſia ordinata. Adde, quòd etſi Chriſtus dicatur inſtituiſſe Sacramenta per Apoſtolos, adhuc non conſequatur eadem eſſe inſtituta mediatè à Chriſto, cùm per eoſdem potuerit eadem inſtituere & immediatè tamen, uti poteſt Deus per alios, etſi quoque immediatè, Miracula facere, conſecrare, &c.

Non definit Conc. Trid quod immediatè à Chriſto ſint inſtituta.

Dicendum 2, Etſi Chriſtus in inſtitutione Sacramento-

Determinatio ad individuum Eccleſiæ à Chriſto eſt relicta.

mentorum determinaverit ad ſpeciem materias & formas, non tamen ita determinavit ad individuum: poteſt enim Sacerdos validè conſecrare hoſtiam, quam voluerit; deinde alia eſt materia valida ordinationis Sacerdotalis apud Latinos, alia apud Græcos. Latini aſſignant traditionem Calicis, &c. Græci docent ſufficere ſolam manuum impoſitionem, cùm tamen conſtet Græcos ita valide poſſe conſecrari & ordinari. Unde & Clemens VII. 1593. 31. Auguſt. edidit conſtitut. ordine 34. quâ ſtatuit, ut Romæ eſſet Epiſcopus Græcus Catholicus, qui Græcos Sacerdotes ordinaret ritu Græco.

Materia adhibenda ſed non neceſſaria.

Quæret quiſpiam, quomodo ergo Conc. Flor. aſſignat & determinat materiam Ord. Sacerdotalis traditionem Calicis, &c. Reſp. Florentinum non aſſignaſſe materias Sacramentorum, ſed ſolùm Armenos inſtruxiſſe ea, quæ ignorabant, vel de quo dubitabant, uti notat ad Baronii ſupplementum Spondanus ad Annum 1439. n. 17. adeoque aſſignaſſe materiam Eccleſiæ praxi obſervatam, etſi non neceſſariam. Hoc interim notandum, Chriſtum determinaſſe materias & formas Sacramentorum materialiter, etſi non formaliter: ſive inſtituit Sacramenta, ſimul determinando, ut materia & forma eorum ſignificaret collationem gratiæ talis vel talis Sacramenti, etſi in individuo tale ſignum tamquam neceſſarium non determinaret, ſed determinationem accidentalem Eccleſiæ relinquendo, quæ tamen à formali ſignificatione materiæ & formæ Sacramentorum, nullatenus poteſt recedere. Unde ſcribit Morinus l. 8. de Sacram. Pœnit. c. 18. Quod ſit de fide certum, Sacramentum adminiſtratum juxta ritum in Pontificali Rom. præſcriptum eſſe legitimum: ſed non eſſe neceſſariò de fide, quod ſcholaſtici diſputant, in quibus verbis ritualis, forma aut materia continetur, niſi hoc expreſsè dictaverit Eccleſia aut publica praxis. Ex quo facile patet, quid & quantum poſſit Eccleſia circa deter-

determinationem materiæ & formæ Sacramentorum.

Immutatio materiæ & formæ Sacramentorum.

Dicendum 3. Immutatio materiæ aut formæ Sacramentorum, alia eſt accidentalis, alia eſt eſſentialis: *eſſentialis* eſt, quando variatur eſſentia formæ aut materiæ, adeo ut neque ex vi verborum, nec uſu hominum forma aut materia immutata, retineat eamdem ſignificationem cum forma aut materia uſitata. Hæc indubiè vitiat Sacramentum, dum vitiat illud, quod eſſentialiter ad Sacramentum eſt requiſitum. Accidentalis verò mutatio eſt, quando ſolùm accidentaliter forma aut materia mutatur, ſic ut retineant eamdem ſignificationem eſſentialem, quæ cùm eſſentiam Sacramenti, aut partium ejus non vitiet, non invalidat Sacramentum. Fit autem potiſſimùm formæ mutatio tranſlatione verborum in aliud idioma vel ſynonima: quæ non officit validitati Sacramenti. 2. Corruptione, 3. Additione, 4. Detractione, 5. Tranſpoſitione, 6. Disjunctione, &c. Pro quibus hoc generaliter notandum eſt, quòd rectè videri poſſit an ſit in ejuſmodi mutatio eſſentialis, an accidentalis, ſi tali mutatione vel uſu hominum vel vi verborum maneat idem ſenſus formæ, aut materia eadem eſſentialiter, an non nonobſtante tali mutatione. Unde inferunt.

Quibus modis fiat.

1. Quòd balbutiens pronuntians corruptè formam, validè conficiat Sacramenta, cùm ex uſu hominum idem ſignificet forma à balbo prolata, quod aliæ prolatæ à non balbo.

2. Quòd qui partim Latinè, partim Græcè aut Gallicè pronuntiaret formam, validè conficeret Sacramenta, cum uſus obtinuit, ut ſalvâ eſſentiâ liceat ita verba alterius idiomatis conjungere, uti habet forma Baptiſmi, *Ego te baptiſo in Nomine Patris*, &c. Ubi to *Baptizo* eſt Græcum cætera Latina.

3. Si Parochus ignarus Linguæ Latinæ ita formam Baptiſmi proferat: *Ego te baptiſo in nomine*

Patriæ

Patrias & Filias, &c. Valebit Sacramentum, uti expreſsè definivit Zacharias Pont. cap. *retulerunt* de conſecratione diſt. 4. Ratio hujus eſt, quòd hæc verba ſpectatis circumſtantiis & accommodatione usûs, idem ſignificent, quod forma ordinaria. Alia dabo agendo de intentione Miniſtri.

Ritus Sacramentorum omnino ſunt adhibendi. Porro, etſi accidentaria mutatio eſſentiam Sacramenti non immutet, tamen ſollicitè Sacramentorum Miniſtro cavendum eſt, ne ſine juſta neceſſitate vel accidentaliter formam corrompat; idem eſt, de cæremoniis in Sacramentorum adminiſtratione adhiberi ſolitis, quæ etſi integritatem vel eſſentiam Sacramenti non vitient, ſi omittantur; tamen illas ſine juſta neceſſitate prætcrire, vetat Eccleſia. Sunt enim maximè utiles ad reverentiam Sacramenti promovendam, fidem & charitatem ſovendam, devotionem augendam, &c. Unde profuerit catholicis cæremoniarum Sacramenti explicationem ſæpiùs proponere & exponere. Si verò propter juſtam cauſam contingat ceremonias omitti, ſedulò ex præcepto Eccleſiæ poſtmodum ſunt ſuperaddendæ, uti patet in Baptiſmo non ſolemni.

SECTIO III.

De Miniſtri Sacramentorum intentione.

Miniſter Sacramentorum debet deputari. DICENDUM primò, Sicut veterum Sacramentorum Miniſtri à Deo vocabantur; ſicut Aäron: ita & in Novo Teſtamento, eliguntur aliqui, & aſſumuntur ex hominibus in his, quæ ſunt ad Deum. Falſum verò eſt illud Lutheri dogma, omnibus hominibus omnium Sacramentorum adminiſtrationem competere; cùm non omnibus ſua dona & miniſteria committat Deus, in ædificationem corporis ſui, id eſt, Eccleſiæ. Quis verò ſit cujuſcum-

que Sacramenti Miniſter dicetur ſuo loco.

Dicendum 2. Præcipuum Miniſtri officium conſiſtit in adhibitione materiæ & formæ Sacramentalis, cujus officio Deus operatur intus Sacramentorum effectus, cùm principalis omnium Sacramentorum Miniſter ſit Deus, nam neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Nec Miniſtri ſunt, qui loquuntur, ſed ſpiritus patris, qui loquitur in illis. Unde ſæpè effectus Sacramenti adſcribitur ſoli Deo, ut pœnitentiæ, dum dicitur Marci 2. *Nemo poteſt peccata remittere, niſi ſolus Deus*: Quo loquendi modo & ſimilibus innuitur. Deum principaliter ex plenitudine ſuæ poteſtatis effectum Sacramenti efficere, cæteros verò dumtaxat miniſterialiter, & ut inſtrumenta: Unde S. Auguſt. tract. 5. in Joan. *Poteſtas*, ait, *in Chriſto eſt, miniſterium autem tranſit in multos.* *Miniſter principalis eſt Deus ipſe.*

Dicendum 3. In Miniſtro requiritur debita intentio, *ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia*, ut ait Conc. Trid. ſeſ. 7. can. 11. eſt autem intentio triplex, actualis, virtualis & habitualis: actualis eſt, quando quis actualiter intendit aliquid efficere: virtualis eſt actualis virtute & moraliter perſeverans: habitualis eſt, inclinatio quædam ad aliquid, orta ex habitu acquiſito vel infuſo. Actualis etſi indubiè ſufficiat, non tamen neceſſariò requiritur: habitualis nequaquam ſufficit, cùm nihil influat in actionem Sacramentalem nec per ſe, nec virtute in eam influendo, virtualis ſufficit, uti in cæteris actibus humanis: ut homo humano modo dici poſſit operari: hæc aliquando dicitur remiſſa actualis, cùm virtute actualis operetur, ut ut ſit, ſaltem uſu loquendi virtualem indigitabimus. Pro quo notandum eſt, D. Thomam ſæpè habitualem intentionem ſumpſiſſe pro virtuali, & maximè in hac ipſa materia. Cùm ergò actualis vel virtualis influat in actionem, & faciat ut actio fiat humano modo, requiritur hic *Quotuplex ſit intentio.* *Qua ſufficiat.*

altera

altera, cùm per intentionem Miniſtri debeat materia Sacramenti ad certum effectum determinari. Neque ullatenus dici poteſt, materiam ad hoc determinari intentione Miniſtri principalis, puta Chriſti, quia ut ait D. Thom. 3. p. q. 64. a. 8. ad 1. *Inſtrumentum animatum (ſicut eſt Miniſter) non ſolùm movetur, ſed etiam quodammodo movet ſe ipſum, in quantum ſuâ voluntate movet membra ad operandum: & ideo requiritur ejus intentio, quâ ſe ſubjiciat principali agenti.*

Quid ſit intentio faciendi id, quod facit Eccleſia.

Dicendum 4. Variant authores in explicando phraſim Concilii Trid. quod Miniſter facere debeat intendere, quòd facit Eccleſia. Aliqui docent illud eſſe, intendere eſſe Sacramenti: verùm infundatè, cùm poſſit Baptiſmus v. g. conferri ab Atheo; nil de eſſentiâ Sacramenti cogitante. Alii docent, quòd debeat ponere actionem illam, quæ æſtimatur actio Chriſti: verùm hoc de Atheo prædictum, rurſum hîc urget. Alii rectiùs docent, illud idem eſſe, quòd debeat Miniſter ſeriò velle ponere ſigna externa, quibus in Eccleſia ſolet Sacramentum conferri, etſi in corde, nec Eccleſiam, nec Chriſtum agnoſcat. Hinc S. Antonin. p. 3. tit. 14. cap. 13. part. 10. Docet ſufficere in Baptiſmo ſolam verborum expreſſionem, & ait: *Concedunt iſti, de Baptiſmo; quod requiratur intentio in Miniſtro proferendi verba, & applicandi materiam, ſicut facit Eccleſia: ſed non requiritur intentio aliquid operandi: unde ſi baptizans intendat ludere vel deludere vult tamen dicere & facere exterius, quod facit & dicit Eccleſia, ſcilicet immergendo, & verba formæ dicendo, & facit ac ſi intendat Baptizare: Baptiſmum petens, vel petens pro parvulo, eſt verè baptizatus, quia Eccleſia, quæ eum poſuit Miniſtrum, non intendebat decipere: etſi ipſe dicebat, quod intendebat ludere, non baptizare, non eſſet ei credendum ad rebaptizandum: imò nec ipſemet, qui eſt certus de ſua intentione debet rebaptizare.* Quod etſi verum ſit ſpeculativè loquendo, practi-

practicè tamen ſub conditione deberet rebaptizari, cùm hic nimia cautio nequeat adhiberi. Prædictis favet S. Thom. in 4. diſt. 6. q. 1. a. 2. quæſtiunc. 1. ad 2. Dum. docet alterutrum eſſe admittendum, vel quod Chriſtus ſuppleat defectum intentionis in Baptizante, caſu quo Baptizans ex malitia debitam intentionem non haberet; vel certè quòd ſufficiat, ad valorem Baptiſmi, ut Miniſter exteriùs ſeriò adhibeat omnia externa ſigna, quibus Baptiſmus perficitur. Idem ferè docet 3. p. q. 64. a. 8. ad 2. Hinc patet, quòd Sacramentum joco interno conferatur, modo externè ſeriò ponat ſigna, quibus Sacramentum perficitur; item ſi conferatur ab eo ſeriò adhibente ejuſmodi ſigna, ſic tamen ut nihil de Eccleſia Romana, aut Chriſto, aut effectu Sacramenti cogitet, valere Sacramentum: quod declarat iterum D. Thom. loco citato a. 9. ad 1. ubi ait, *Non obſtante infidelitate poteſt* (Miniſter) *intendere facere id, quod facit Eccleſia, licet æſtimet id nihil eſſe. & talis intentio ſufficit ad Sacramentum, quia ſicut dictum eſt, Miniſter Sacramenti agit in perſona totius Eccleſiæ, ex cujus fide ſuppletur id, quod deeſt fidei Miniſtri.*

Nec his obſtat definitio Concilii Trid. quod ſeſ. 14 c. 5. negat abſolutionem datam joco, valere: item illud à Leone X. damnatum: *Si per impoſſibile confeſſus non eſſet contritus, aut Sacerdos non ſeriò ſed joco abſolveret, ſi tamen credat, ſe abſolutum, veriſſimè eſt abſolutus.* Tam enim Trid. quam decretum Leonis nihil vult, niſi Lutherum perſtringere, qui volebat ſolam fidem pœnitentis ſufficere ad effectum Sacramenti, adeoque mulierem tantùm poſſe circa Sacramentum Pœnitentiæ, quam Sacerdotem. Unde rectè & appoſitè S. Bonav. in 4. diſt. 6. dub. 4. docet, non omnem jocum excludere intentionem aliquid ſeriò operandi; exemplum ejus habes in Athanaſio, qui etſi joco baptizaret pueros ab Alexandrina Eccleſia pro verè Baptizatis ſunt habiti

habiti pueri ab Athanaſio Baptizati. Neque illud obſtat, quòd dicatur actiones Sacramentales debere determinari ad unum per intentionem Miniſtri, cùm hoc ſolùm habeat locum, quando actiones illæ ex circumſtantiis non ſunt ſatis determinatæ ad eſſe Sacramentale, adeo ut circumſtantiæ actiones illas tam determinent, quam intentio.

Intentio qualis eſſe debeat.

Dicendum 5. Intentio in Miniſtro requiſita debet eſſe abſoluta, aut talis conditionata, quæ abſolutæ æquivaleat: ſola enim abſoluta eſt efficax intentio, qualis hîc requiritur. Cenſetur autem conditionata æquivalere abſolutæ aut in eam tranſire, quando conditio eſt de præſenti aut præterito: ſi enim ſubſiſtat jam tenet Sacramentum, ſi verò non ſubſiſtat, erit nullum defectu intentionis Miniſtri, quæ ab hac conditione dependet. Hinc non valet Sacramentum collatum ſub conditione de futuro, cùm nec ſtatim valeat, cùm necdum poſita ſit conditio: nec poſteà conditione poſitâ valeat, cùm tunc deſierit materia & forma. Excipe tamen matrimonii Sacramentum, quod contractûs rationem obtinet, qui pendere poteſt à conditione futura, cùm conſenſus tam diu perſeverare cenſeatur, donec conditio adimpleatur, quâ poſitâ tranſit in abſolutum.

Non licet ſine cauſa Sacramenta conferre ſub conditione.

Hoc tamen notandum eſt, peccare mortaliter illos, qui ſine juſta cauſa conditionatè Sacramenta cætera adminiſtrant, quod tamen aliquandò aliquibus eſt ſatis familiare: cùm enim Sacramenti valor pendeat ex intentione Miniſtri, ſequitur, quòd ſi conditio non ſubſit, Sacramentum ſine cauſa exponatur periculo nullitatis: aliud eſt, ſi adſit debita ratio, ut in dubio, an quis pœnitens v. g. puer ſit abſolutionis capax, an quis ſit verè Baptizatus, &c. Dubium verò illud debet eſſe fundatum, & rationes pro & contra bene perpenſæ, antequam conditio apponatur. De hac re vide plura de abſolutione ſub conditione.

SE-

SECTIO IV.

De Fide & Probitate Miniſtri.

DICENDUM primò; error eſt Donatiſtarum & aliorum quod valor Sacramenti dependeat à fide & probitate Miniſtri. Contra hunc errorem ita definit Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 4. de Baptiſmo: *Si quis dixerit miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modò omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, ſervaverit, non conficere aut conferre Sacramentum, anathema ſit.* Item: *Si quis dixerit Baptiſmum, qui datur ab hæreticis in Nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, non eſſe verum Baptiſmum, anathema ſit.* Ratio hujus eſt, quod Miniſter principalis Sacramenti ſit Chriſtus, cujus virtute agunt alii Miniſtri, adeoque Sacramentorum vis non dependet à probitate Miniſtri, ſed à ſolo Deo, cùm hic ſit qui baptizat, & qui dat incrementum. Undè ſi æqualiter effigies Regis imprimitur ſigillo ferreo, ac aureo, ſicut ſolis radii non fœdantur, dum pertranſeunt loca fœtida, ſicut aqua æquè tranſit per canalem ligneum ac aureum ad areólas, ita Sacramentorum vis æqualiter tranſit per bonos & malos miniſtros.

Valor Sacramenti non pendet à probitate Miniſtri.

Dicendum 2. Etſi miniſtri probitas ad Sacramenti conſtitutionem non ſit neceſſaria, tamen tum aliis tum miniſtro ipſi plurimùm eſt neceſſaria: Sancta enim ſanctè tractanda ſunt, undè in peccato mortali ſine neceſſitate Sacramentum adminiſtrans, peccat mortaliter; rem ſacram indignè tractando. Unde Iſaiæ 2. dicit Scriptura: *Mundi eſtote, qui fertis vaſa Domini*: & Levit. 22. *Omnis qui acceſſerit ad ea, quæ conſecrata ſunt, in quo eſt immunditia, peribit coram Domino.* Deinde ſuſcipiens Sacramenta

Probitas Miniſtri requiſita.

à miniſtro probo, habet ab eo, quem imitetur; item à probo licitum eſt ſemper petere Sacramenta, non item ab improbo: Denique cum miniſtro probo concurrit tota Eccleſia ad effectum Sacramenti, non item cum improbo: tunc etenim gratia tantùm confertur quaſi ex utero alieno & ſolùm ex benevolentia Chriſti, uti docet S. Aug. l. 1. de Baptiſ. c. 17. quibus hoc adde, quod ex opere operantis devotio Miniſtri aliquos pios motus v. g. poſſit conferre, aliud eſt de effectu Sacramentis proprio, qui eſt, ex opere operato, de quo poſtea, qui nullo modo dependet à probitate miniſtri.

An liceat petere Sacramenta ab improbo Miniſtro.

Dicendum 3. Tempore neceſſitatis licet Sacramenta petere à Sacerdote improbo, etſi noſcas eum in peccato mortali Sacramentum adminiſtraturum. Ratio eſt, quod ille juſtâ neceſſitate petat, id quod alter debitè poteſt præſtare: quod ſi indebitè præſtet, ejus malitiæ culpa eſt adſcribenda, & alter ejus malitiæ non coöperatur, ſed eam juſta de cauſa permittit.

Quomodo Sacramenta ab hæreticis collata, dicantur non eſſe valida.

Hoc denique circa prædicta notandum eſt, ſatis familiare eſſe SS. Patribus, dicere Sacramenta ab hæreticis collata eſſe nulla, quo dicto hoc ſolùm innuunt, quod hæretici plerumque non adhibeant debitam materiam aut formam; Deinde quod ex parte ſuſcipientium plerumque ponatur obex, eo quod cum miniſtris hæreticis in hæreſi communicent; ſi tamen debitam materiam & formam hæretici adhibeant, tenet Sacramentum. Neque hic opponi poteſt varia conſtitutio Canonum aut Conſtitutionum Apoſtolicarum, quarum canon. 46. & 67. negant Sacramenta ab hæreticis ſuſcepta, eſſe valida: maximè cùm Conſtitutiones illæ non ita magnæ ſint authoritatis, & multa contineant ab hæreticis infeſta, imò multa, quæ hæreſim ſapiunt.

Argumenta contraria.

Objiciunt varii contra concluſiones prædictas: ſi non requiratur miniſtri fides aut probitas; ergo nec requiritur miniſtri intentio. 2. Objiciunt illud Ecle-

cleſiaſtici 34. *Ab impio quis mundabitur?* & ibidem: *qui baptizatur à mortuo, quid profuit lavatio ejus?* 3. Quod ſanctus Athanaſ. dicat ſerm. 3. contra Arianos, baptiſmum Arianorum eſſe nullum. 4. Quod ſanctus Cyprianus cum cæteris Epiſcopis Africanis ſuæ ætatis dixerint baptizatos ab hæreticis eſſe rebaptizandos, idque propter miniſtrorum infidelitatem. 5. Quod cap. *Quos à paganis* de Conſecrat. Diſt. 4. dicatur, quod iterum rebaptizandi ſint, quos pagani baptizaverant, & Can. *Si quis per ignorantiam* q. 9. dicitur, rebaptizandos eſſe, qui per ignorantiam baptiſmum acceperant à Sacerdote non baptizato. 6. Quod nemo poſſit dare, quod non habet: ergo nec poſſe non baptizatum dare baptiſmum, v. g. denique, quod nulla ſit ſalus, nec gratia extra Eccleſiam, adeoque non poſſe validè adminiſtrari Sacramenta, per quæ confertur gratia & ſalus, ab illis qui ſunt extra Eccleſiam.

Reſpondeo ad primum N. C. quia collatio Sacramentorum debet eſſe actio humana, & libera, adeoque neceſſariò requirit liberum voluntatis conſenſum, quod non requiritur quoad validam Sacramentorum ſuſceptionem, adeoque ſufficit ad valorem Sacramenti, quod adhibeantur debita forma & materia Sacramentorum, & de cætero intendat miniſter facere, quod facit Eccleſia juxta antedicta.

Inſtabis: non videtur, quod mali miniſtri habeant intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, quandoquidem intentio Eccleſiæ hîc ſit eadem cum intentione Chriſti: intentio autem Chriſti eſt, quod ſancta ſanctè ſint tractanda. Reſpondeo, quomodo etiam Athei poſſint habere intentionem faciendi illud, quod facit Eccleſia, diximus ſect. præcedenti. Et quamvis intentio Chriſti ſit, quod ſancta ſint ſanctè tractanda, inde ad ſummum tantùm ſequitur, quod mali miniſtri non ſervent intentionem Chriſti quoad modum licitè adminiſtrandi Sacra-

menta : etſi de cætero ſervent intentionem Chriſti quod attinet ad validam adminiſtrationem Sacramentorum, dum adhibent debitam formam & materiam cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia. Alii, quod ad fidem attinet, reſpondent; quod alia ſit fides miniſtri, alia Eccleſiæ, & dicunt fidem miniſtri hîc non requiri, ſed tantùm fidem ſolius Eccleſiæ, quæ cenſetur adeſſe, dum debita forma, materia, cum intentione debita in conferendis Sacramentis adhibetur.

Ad 2. reſpondeo, quod nullus ab impio, ut tali, ſive ſecundùm impietatem alterius, aut quatenus impius eſt, poſſit mundari; ſicuti etiam intelligitur illud Matthæi 7. *Non poteſt mala arbor fructus bonos facere*, id eſt, quatenus arbor illa mala eſt: quo tamen non obſtante poteſt impius applicare Sacramenta, quorum vis non dependet à probitate miniſtri, ſed ex opere operato, id eſt, independenter à meritis miniſtri effectum conferunt, adeoque illum in non ponentibus obicem cauſant, dum de cætero eſſentialia adſunt.

Ad alium Scripturæ locum reſpondeo, ibi propriè non agi de Sacramento Baptiſmi, ſed de ablutione aliqua cæremoniali, quâ ille, qui tetigerat mortuum, deberet baptizari, hoc eſt, ablui: adeò ut ſenſus ſit, qui tacto mortuo baptizando, & iterum tangit mortuum, quid proficit lavatio ejus?

Ad tertium reſpondeo, ſanctum Athanaſium & ſimiles ſanctos Patres, dum dicunt baptiſma ab hæreticis collatum eſſe nullum, intelligendos eſſe de hæreticis, qui vel debitam materiam baptiſmi, vel debitam formam non adhibeant, quos etiam varia Concilia juſſerunt rebaptizari; quod magis patefit quoad Arianos, qui ſicuti rectam Trinitatis fidem reſpuebant, ita etiam facilè in forma baptiſmi poterant errare.

Reſpondeo ad 4. Quod quidem ſanctus Cyprianus talis erroris fuerit, etiam uſque ad mortem. Etſi enim

enim juxta ſanctum Aug. lib. 3. de baptiſmate contra Donat. hujus erroris Cyprianus non fuerit primus, ſed quidam Agrippinus: tamen ille error in tantum increverit, ut tempore ſancti Cypriani in Concilio quodam illum defenderint 80. Epiſcopi, prout patet ex operibus ſancti Cypriani: utrùm verò Cyprianus in vita errorem depoſuerit, etſi ſanctus Aug. l. 2. contra Donat. cap. 4. videatur ſubdubitare, cap. tamen ſequenti aſſerit eum uſque ad mortem perſeveraſſe: etſi, ut alibi ait, ubertate charitatis error ille compenſatus ſit ab illo, & paſſionis falce compurgatus. Poſt obitum tamen Cypriani coactum eſt Concilium Carthaginenſe primum, ubi decretum, quod hæreticorum baptiſma, ſi fiat intentione & formâ Eccleſiæ, ſit validum. Cui Concilio, aut ait Aug. ſi interfuiſſet Cyprianus pro ſua eximia humilitate & pacis deſiderio cum iiſdem Patribus ſenſiſſet; idem poſtea definière varia Eccleſiæ Concilia; adeò ut mirum, quod Eraſmus in præfatione ſuper Cyprianum ſcribere auſus ſit contrariam ſententiam adhuc ſuo ſenſu poſſe defendi.

Reſpondeo ad 5. cum Gloſſa & S. Thoma hîc q. 67. a. 5. intelligendum id eſſe de iis, qui non juxta formam Eccleſiæ erant baptiſati. Ad aliud cap. reſpondet Gloſſa, verba illa eſſe interrogatoria, moxque ſubdi, quod Spiritus S. ſubminiſtret gratiam illis, qui à Pagano baptizantur. Alii volunt, priora verba continere falſam aliquorum opinionem, quæ illic condemnatur.

Reſpondeo ad ſextum: illud quidem verum eſt, quod nemo virtute ſuâ, propriâ poteſtate, & ut causâ primariâ poſſit dare, quod non habet: non tamen, prout aliquid agit tamquam cauſa inſtrumentaria, quæ in vim cauſæ principalis poteſt etiam dare id, quod non habet prout hîc patet in Miniſtro Sacramentorum. Ad aliud reſpondeo: illi, qui baptizantur v. g. à pagano, accipere gratiam & ſalutem in Eccleſia, idque per Sacramenta Eccleſiæ: deinde,

etiam baptiſmus ille fit aliquo modo in Eccleſia ex parte miniſtri, quatenus etiam paganus cenſetur habere intentionem faciendi id, quod facit Eccleſia. Denique, etiam baptiſmus à paganis collatus eſt Sacramentum Eccleſiæ de jure, neque vocari debet Sacramentum pagani, niſi forſan uſurpatione; quandoquidem Chriſtus ſoli ſuæ Eccleſiæ dederit Sacramenta de jure adminiſtranda. Hoc tamen addo, quod quamvis ſimpliciter & abſolutè loquendo baptiſma à paganis & ſimilibus collatum ſit validum; tamen propter periculum, ſub conditione ſit repetendum: cùm valdè difficile ſit, quod pagani, infideles, Judæi, habeant legitimam intentionem Chriſti & Eccleſiæ, quorum ſunt apertiſſimi hoſtes; adeoque in praxi ſemper ejuſmodi eſſe rebaptizandos. Vide quæ dicam de baptiſmo ſect. 10.

SECTIO V.

De Suſcipientibus Sacramenta.

Dicendum primò, verius videri, quod in ſuſcipiente Sacramentum requiratur intentio aliqua illud accipiendi, ſaltem interpretativa, adeò ut, ſi quis dormiens baptizaretur, v. g. & numquam antea habuiſſet intentionem illud ſuſcipiendi, non cenſeretur verè Baptizatus. Colligitur hoc ex cap. *majores*, de Bapt. ubi Innocentius III. rogatus an Baptiſma dormientibus & amentibus datum characterem imprimeret, reſpondit imprimere *quando obicem contrariæ voluntatis non invenit obſiſtentem.* Quod communiter exponunt negativè, adeò ut ſenſus ſit, quod Baptiſma non imprimat characterem, niſi aliquam intentionem ſuſcipiendi Sacramentum inveniat. Rationem dat Pontifex, quia àliàs ad fidem deberet compelli invitus: undè patet, quod ſolùm dicta concluſio intelligenda ſit, de Baptiſmo,

mo, nam quoad alia non requiritur conſenſus illud ſuſcipiendi, v. g. quoad ordinem & probabiliter Baptiſmum, etſi quoad Sacramentum Euchariſtiæ, Extremæ-unctionis, Confirmationis & Matrimonii veriùs dicant requiri aliquem conſenſum ſeu intentionem: de quibus ſuo loco agemus.

Dicendum 2. Ut quis ſuſcipiat fructuosè Sacramentum vivorum, requiritur regulariter confeſſio, ſi quis ſit reus peccati mortalis: Ratio eſt, quod cùm valde incertum ſit, an quis habeat contritionem per ſe juſtificantem, & Sacramenta vivorum debeant ſuſcipi in ſtatu gratiæ, debet recurri ad confeſſionem, ut aliqualem certitudinem de juſtificatione noſtra habeamus. Imò, quod valde veroſimile ſit, quod quando adeſt copia Confeſſarii, contritio ſine Sacramento non juſtificet, uti habetur Trid. ſeſſ. 14. c. 4. juſtificat enim contritio ratione voti Sacramenti, quando autem quis habet copiam Sacramenti, non poteſt dici habere votum ſerium ſuſcipiendi Sacramentum, ſi illud non ſuſcipiat, dum poteſt. Ita tenent Doctores varii, & Catechiſm. Rom. p. 2. c. 5. num. 39. ſi verò quis opponat, quod Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 1. de reform. matrimonii ſolùm hortetur conjuges, ut ante conſummationem peccata ſua confiteantur: uti etiam quod ſeſſ. 13. c. 11. ſolùm hoc doceat de Euchariſtia, quod ante ejus ſuſceptionem debeat accedere ad confeſſionem, adeoque in ſuſceptione reliquorum Sacramentorum, ſit alicui liberum confiteri: ad hæc reſp. in priori caſu matrimonii ſolùm agere concilium de iis, qui non ſunt conſcii peccati mortalis. In ſecundo caſu determinavit id, quod erat certum, nec ſeſe miſcere voluit controverſiis ſcholaſticorum, quibus omnibus erat manifeſtum, ante Euchariſtiæ ſumptionem requiri confeſſionem: quoad alia Sacramenta, diſcordabant. Unde, ut ait Pallavicinus l. 12. c. 1. ſolum definit Concilium contra Hæreticos, ſtatuentes Euchariſtiam delere mortalia,

Confeſſio requiſita ante Sacramentum.

Contritio non juſtificat ſine Sacramento, quando adeſt copia Confeſſarii.

lia, & ſolam fidem eſſe diſpoſitionem ſufficientem ad ſuſceptionem Sacramenti.

Non licet miniſtrare vel ſuſcipere Sacramentum juxta opinionem probabilem.

Dicendum 3. Non licet conferre, vel recipere Sacramentum ſecundùm opinionem probabilem Sacramenti, relictâ tutiore, etſi id non vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Unde quoad prius damnata eſt hæc ſubſequens ſententia à S. Sede: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententiâ probabili tantùm utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis aut Epiſcopalis.* Qua ſi verò illud idem non foret illicitum in collatione aliorum Sacramentorum, quod ſine juſta cauſa periculo nullitatis quis exponat Sacramentum, qualiter agit, qui ductus opinione probabili relictâ tutiore illud exigit aut adminiſtrat.

Non licet ſimulare adminiſtrationem Sacramenti.

Dicendum 4. Non licet alicui ſimulare adminiſtrationem Sacramentorum, quod ultra indignam rei ſacræ pertractationem, involvit & mendacium: Unde & hæc nuperrimè eſt condemnata: *Urgens metus gravis eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.*

SECTIO VI.

De Efficacia Sacramentorum.

Vis Sacramentorum N. L.

Dicendum primò, de fide eſt, Sacramenta N. L. majoris eſſe efficaciæ quam Sacramenta V. L. nec ſolùm ab iis differre, quia ritus alios continent. Declarat hoc Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 2. dum ait: *Si quis dixerit, ea ipſa novæ legis Sacramenta à Sacramentis antiquæ legis non differre, niſi quia cæremoniæ ſunt aliæ, & alii ritus externi, anathema ſit.* Definit hoc Concilium contra Hæreticos Neotericos, qui do-

docent, omnia Sacramenta ſolùm eſſe mera ſigna gratiæ juſtificantis, ſed non efficientia eamdem, cùm ſola fides, quæ à Sacramentis excitatur & fovetur, ſit ſufficiens ad juſtificationem diſpoſitio. Unde Concilium ſubdit Can. 6. *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna, tantùm externa ſint, acceptæ per fidem gratiæ vel juſtitiæ & notæ quædam Chriſtianæ profeſſionis, quibus apud homines diſcernuntur fideles ab infidelibus, anathema ſit.*

Dicendum 2. Sacramenta N. L. cauſant gratiam, quam ſignificant ex opere operato. Phraſim hanc ut exoticam rejiciunt ſectarii, verùm, ut quondam S. Aug. in Pſal. 138. *melius* eſſe dicimus, *ut nos reprehendant grammatici, quam ut nos non intelligant populi.* Hâc phraſi uſus eſt Innocentius III. libro de myſterio Miſſæ, Conc. Trid. ita definiens iterum ſeſſ. 7. can. 8. *Si quis dixerit per ipſa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ſolam fidem divinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere, anathema ſit.* Cenſetur verò Sacramentum conferre gratiam ex opere operato, eò quod uſu ipſius Sacramenti, independenter à meritis Miniſtri aut ſuſcipientis effectum conferunt: Hinc agunt ut agens naturale, non item ut morale aut meritorium: Si verò opus bonum requiratur ex parte Miniſtri aut ſuſcipientis, ſolùm illud requiritur ut diſpoſitio ad Sacramenti uſum neceſſaria, prout requiritur contritio in pœnitentiæ Sacramento, &c. Etſi illis, ut operibus bonis ſua quoque gratia correſpondeat: Unde S. Au. l. 4. cont. Creſcon. c. 16. ita ait: *Ipſum per ſeipſum Sacramentum multum valet.*

Cauſant gratiam ex opere operato.

Dicendum 3. Verius videtur Sacramenta cauſare ex opere operato gratiam non ſolùm moraliter, ſed etiam phyſicè. Ratio eſt, quod cauſa moralis, ſolùm impropriè ſit cauſa, ubi tamen vera efficientia

Cauſant gratiam phyſicè.

tia

tia Sacramentis competit. Præbet enim cauſa moralis ſolam occaſionem, quâ cauſa inſtrumentalis agit; ut jubens, conſulens, &c. Unde qui ex conſilio aut mandato alium occidit, non ita dicitur alium occidere per cauſam conſulentem, quam econtra conſulens per agens Phyſicum. Hinc SS. PP. docent vim Sacramentorum eſſe mirabiliſſimam & efficaciſſimam: quâ ratione etiam optimè intelligitur, quomodò Sacramenta juſtificent, abluant, ſanctitatem efficiant, &c. Deinde ſic Sacramenta ultrà rationem ſigni ad veram efficientiam gratiæ aſſurgunt, & à Sacramentis V. L. diſcernuntur: idem innuit, Concil. Trid. dum ſeſſ. 6. c. 7. Paſſioni Chriſti aſſignat, eſſe meritoriam, id eſt moralem cauſam noſtræ juſtificationis, ſed Baptiſmum eſſe cauſam inſtrumentalem; quare ſicut humanitas Chriſti erat cauſa efficiens inſtrumentalis miraculorum, & ſicut dicitur Deus per humanitatem Chriſti gratiam dediſſe, miracula patraſſe, nos redemiſſe in ſanguine Chriſti, &c. Ita etiam Chriſtus per Miniſtros gratiam Sacramentalem confert, cùm hic ſit, qui baptizat, hic ſit, qui peccata remittit. Nec quidquam huic obeſt, quo minus Deus rem corpoream elevet ad productionem rei ſpiritualis, uti & poteſtate divinâ ignis corporeus, agit in ſpiritus.

Urget tamen quod hîc opponunt aliqui, quod Sacramenta dum gratiam conferunt, non ampliùs exiſtant, quod magis clarè patet, quando Baptiſmus v. g. reviviſcit: jam autem illud quod non exiſtit, non poteſt efficienter cauſare gratiam. Reſp. ad prius, etſi Sacramenta ſint actiones ſucceſſivæ, tamen aliquandò verum eſt dicere, jam Sacramentum eſt, etſi aliqua ejùs pars ſolùm exiſtat, & alia præteriit; pars enim illa remanens in vim præcedentium, quæ moraliter perſeverant, confert phyſicè gratiam, etſi illa pars efficiens gratiam ſolùm exiſtat; ſic dicitur aliquandò exercitus urbem ſuperare, etſi aliquæ cohortes nihil conferant. Ad aliud verò reſp. quod

quod quandò Sacramentum reviviſcit, tum non poſſit propriè dici Sacramentum cauſare gratiam, quod nullum fuit, ſed Deus dicitur conferre gratiam, non propriè per Sacramentum, ſed propter Sacramentum, quod manſit in acceptatione Dei, adeò ut Sacramenti abſentiam Deus hoc caſu ſuppleat: adeoque dicimus, quod Sacramenta cauſent phyſicè gratiam ordinariè, & quantum eſt de ſe, non item in omni caſu particulari.

SECTIO VII.

De Effectibus Sacramentorum.

DICENDUM primò, ex dictis ſectione præcedenti patet, effectum præcipuum Sacramentorum N. L. eſſe gratiam ſanctificantem. Hoc ſigillatim de quolibet Sacramento demonſtrat Scriptura Sacra. Ut de Baptiſmo Joan. 3. ubi regeneratio tribuitur Baptiſmo. De confirmatione act. 8. & 19. per impoſitionem manûs datur Spiritus Sanctus. De Euchariſtia dicitur Joan. 6. quod per eam detur jus ad vitam æternam. De Pœnitentia Joan. 20 aſſignatur illi remiſſio peccatorum. De Extrema-unctione Jacobi 5. idem fit. De Ordine 2. Timoth. 1. aſſignatur ordinationi gratia. De Matrimonio denique vide ſuo loco. *Omnia Sacramenta cauſanti gratiam.*

Dicendum 2. Baptiſmus & Pœnitentia ex ſua inſtitutione conferunt primam gratiam & tollunt peccatum mortale, unde & dicuntur Sacramenta mortuorum, eò quod de mortuis ſecundùm animam, vivos faciant per gratiam, quæ eſt vita animæ. *Quæ conferant primam gratiam.*

Deinde, etſi reliqua Sacramenta de ſua inſtitutione non conferant primam gratiam, ſed eam potiùs ſupponant, & ideò dicantur Sacramenta vivorum; tamen ſubinde per accidens primam gratiam conferre poſſe, eſt manifeſtum. Hinc ſi quis bonâ fide *Alia gratiam ſecundam.*

ſide exiſtimans ſe eſſe in ſtatu gratiæ recipiat Euchariſtiam, Extremam unctionem, &c. & tamen reverà ſit in ſtatu peccati, confert Euchariſtia & Extrema-unctio primam gratiam: ſic etiam Sacramenta mortuorum poſſunt conferre gratiam ſecundam, ſive ulteriorem, ſi ab eo ſuſcipiantur, qui eſt in ſtatu gratiæ.

Effectus Sacramenti gratia Sacramentalis. Dicendum 3. Quod etſi gratia juſtificans non diſtinguatur juxta dicta de gratia & alibi, à juſtificatione, tamen ab ea differt, ut eſt effectus Sacramenti, cùm ut talis comprehendat ultrà dona & virtutes, quas confert, auxilium quoddam, opportunum ad finem cujuſque Sacramenti conſequendum, idque pro tempore debito, v.g. Baptiſma confert gratiam regenerativam, & jus ad auxilium, quo vitæ novitatem poſſit conſervare, &c. Prout diverſa Sacramenta ordinantur ad diverſos fines. Porrò auxilia ejuſmodi dantur in actu primo dum Sacramentum confertur, quatenus datur jus ad illud ſuo tempore obtinendum: quando autem finem Sacramenti promovet aut conſervat, dicitur dari in actu ſecundo.

Character. Dicendum 4. Effectus Sacramentorum N. L. ſecundarius eſt character, ſive nota quædam ſpiritualis & indelebilis quæ per Sacramentum animæ imprimitur, quæque eſt à gratia diſtincta. Juxta Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 9. *Si quis dixerit in 3. Sacramentis, ſcilicet Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, id eſt ſignum ſpiritale & indelebile, undè ea reïterari non poſſint, anathema ſit.* Undè & in Scriptura dicitur nos Deus ungere & ſignare Spiritu S. 2. Cor. 1. Epheſ. 4. de quo & ait S. Aug. l. 6. c. 1. de Baptiſmo, quod multi lupi characterem multis lupis imprimant. Quid porrò conferat character in quoquo Sacramento, ſuo loco demonſtrabo.

Dicendum 5. Etſi Sacramenta pro omnibus ſint inſtituta, non omnes tamen Sacramentorum fructum reci-

recipiunt, ſed ii dumtaxat, quibus debitè adhibentur. Undè Sacramenta debent ſuſcipi ſaltem in voto, ſi nequeant re ipſa, & quidem debitè, id eſt non ponendo obicem effectui Sacramentali. Hinc quia peccatum mortale ex diametro repugnat gratiæ, ſi Sacramentum in tali ſtatu voluntariè ſumatur, effectu ſuo fruſtratur, dum invenit obicem effectui reſiſtentem. *Qui fructum Sacramentorum accipiant.*

Aliud eſt de peccato veniali, quod effectum Sacramenti totaliter non impedit, etſi uti minuit gratiæ fervorem, eatenus impedit ferventes Sacramentorum effectus, uti in Euchariſtia uſuvenit. Aliud eſſet ſi peccatum veniale tranſiret in mortale, quo caſu loquendum hìc eſſet, prout in caſu priori.

Dicendum 6. Omnia Sacramenta ejuſdem ſpeciei conferunt æqualem gratiam æqualiter diſpoſitis: ratio eſt, quod Sacramenta operentur ex opere operato tamquam cauſæ naturales, quæ æqualem effectum producunt in ſubjecto æqualiter diſpoſito. Si verò ſubjecta ſint inæqualiter diſpoſita, inæqualem quoque conferunt gratiam. Declarat hoc Concil. Trid. ſeſſ. 6. c. 7. quod docet de juſtificatione per Baptiſma, quod unuſquiſque recipiat gratiam ſecundùm menſuram, quam Spiritus S. partitur prout vult & ſecundùm propriam cujuſque diſpoſitionem. Idque convenit ſuavi & juſtæ Dei providentiæ, etſi pro ſua omnipotentia aliter quandoque facere poſſet, ſi abſolutè vellet. *An conferant gratiam æqualem.*

Si verò ſint Sacramenta diverſæ ſpeciei, videtur quod inæqualem gratiam de ſe conferant. Hinc quia Baptiſma datur tamquam generatio, quâ tota ſubſtantia ſimul confertur; & Euchariſtia, Confirmatio tamquam alimentum & roboratio; ſequitur quod Baptiſma majorem gratiam conferat quam aliud quodvis. Imò Confirmatio majorem, quam Euchariſtia, quæ repeti poteſt illa repeti non poteſt, etſi ſit quoque minus digna.

SECTIO VIII.

De Reviviſcentia Sacramentorum.

Baptiſmus ſublato obice reviviſcit. Dicendum primò. Baptiſmus ſublato obice, quocum erat ſuſceptum, reviviſcit, & confert ſuos effectus. Ratio eſt, quod hoc Sacramentum in re vel in voto ſit omnibus ad ſalutem neceſſarium, cùm tamen hoc non eſſet verum, niſi reviviſceret; aliàs enim qui fictè, & cum obice illud ſuſcepiſſet, ſine Baptiſmo in re vel voto ſuſcepto, poſſet ſalvari, pura per pœnitentiam aut contritionem.

Ordo & Confirmatio. Dicendum 2. Sacramentum Confirmationis & Ordinis probabiliter quoque poſſunt dici reviviſcere: ratio eſt, quòd juxta S. Aug. reviviſcentia adſcribenda veniat characteri, & permanentiæ Sacramenti, uti docet l. de Bapt. unde cùm dicta Sacramenta characterem imprimant, adeoque reiterari nequeant, ſequitur eadem ſublato obice reviviſcere, ne aliàs ſemper effectu ſuo fruſtrata forent. De ordine id docet expreſsè S. Aug. l. 2. cont. Creſcon. c. 10. ubi ait *Chriſtiana ſanè in vobis Sacramenta cognoſco: apud vos quidem aliena ſunt, ſed cum cor veſtrum corrigitur, fiunt ea ſalubriter veſtra, quæ perniciosè habebatis aliena.* Agit autem ibidem S. Præſul de Sacerdotibus in hæreſi ordinatis, & reſipiſcentibus.

Pœnitentia. Dicendum 3. an pœnitentia reviviſcat, res eſt ſatis incerta: & pendet ex eo, an detur Sacramentum Pœnitentiæ informe, id eſt, quod quidem de ſe eſt validum, ſed ob indiſpoſitionem pœnitentis non confert ſuum effectum. Melius docent, non dari tale: quia vel pœnitens eſt verè contritus, vel non eſt; ſi non ſit, Sacramentum eſt nullum, juxta Trid. ſeſ. 14. c. 4. defectu contritionis debitæ: ſi verò ſit verè contritus, nôn erit informe, ſed operabitur ſuum effectum. *An pœnitentia poſſit eſſe informis.*

Di-

Dicendum 4. Euchariſtia non videtur reviviſcere : Ratio eſt, quod poſſit iterari, adeoque jacturam ſpiritualem in Euchariſtiâ fictè ſuſceptâ, perpeſſam, novâ communione poſſit compenſare. Excipe caſum, quo quis peccati mortalis conſcius, ante ſpecierum conſumptionem, de eo contereretur. *Euchariſtia.*

Dicendum 5. de matrimonio & ext. unctione verius dicitur, quod reviviſcant; ſaltem quoad aliquas gratias Sacramentales : videtur enim durum de contrahente Matrimonium, maximè, cùm vivente comparte, non liceat iterari, ſemper debere fruſtrari effectu Matrimonii. Hoc tamen generaliter hîc notandum eſt, rem hanc eſſe ſatis incertam, cùm tota pendeat à Chriſti voluntate. *Matrimonium & Ext. Unctio.*

Dicendum 6. ad reviviſcentiam requiritur aliqua Dei propter ſe dilectio. Declarat hoc multis locis contra Donatiſtas agens S. Aug. dum docet, quod Sacramenta reviviſcant, quando ex corde ſe ad Deum convertunt, quæ converſio dilectionem Dei propter ſe includit. Non tamen exigitur dilectio Dei per ſe juſtificans, aliter juſtificatio deberet adſcribi dilectioni, non item Sacramento reviviſcenti. *Requiſita ad reviviſcentiam.*

SECTIO IX.

De numero Sacramentorum N. L.

DICENDUM primò, de fide eſt, eſſe 7. novæ legis Sacramenta : definit hoc Conc. Trid. ſeſ. 7. Can. 1. ubi dicit : *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis..... eſſe plura vel pauciora, quam 7. videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem & Matrimonium, aut etiam aliquod horum ſeptem, non eſſe verè & propriè Sacramentum, anathema ſit.* Eſt contra hæreticos, qui nunc duo, nunc 3. nunc 4. pro ſuo libitu fingunt Sacramenta. Et quamquam non ita *Sunt 7. N.L. Sacramenta.*

expreſsè illa Sacramenta Scriptura enuntiet, tamen ſatis ex illâ colligitur hic numerus, ſicut aliorum numerus binarius, ternarius, &c. pro quorum confuſione juvat hoc argumentum ipſis proponere: juxta illorum dogma, nihil credendum, quod Scriptura non continet: atqui, quod Scriptura dicit de Sacramento Confirmationis Act. 8. & 19. de Pœnitentia Joan. 20. &c. ipſorum cerebro ab eſſe Sacramentorum ejicitur, non à Scripturâ, ergo, quòd doceant illa non eſſe Sacramenta, non eſt illis credendum. Sufficit nobis ergo, quod Eccleſia, quæ eſt columna veritatis, nos doceat Sacramentorum numerum in S. Eloquio, etſi non ita expreſsè contentum: Neque quidquam efficiunt objiciendo illud D. Auguſt. Epiſt. 118. ad Januarium, *Sacramentis numero pauciſſimis, obſervatione facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis, ſocietatem novi populi colligari, ſicut eſt Baptiſmus & communicatio Corporis & Sanguinis Domini.* Cùm ſubdolè illud ſubticere ſoleant, quod eoſdem enervat, ſcilicet illud, quod ſubdit: *Et ſi quid aliud in Scriptura Canonica commendatur.* Unde & l. 5. de Baptiſmo c. 20. expreſsè plura profitetur, dum ait: *Quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel ſuper aquam Baptiſmi, vel ſuper Oleum, vel ſuper Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum quibus manus imponitur?* Patebit id uberius agendo de quolibet Sacramento in particulari. Æquè frivolum eſt, quod objiciunt ex Apoc. 17. quod Sacramenta N. L. ſint beſtia, habens 7. cornua. Per illam enim beſtiam intelligitur Roma gentilis, quæ à 7. montibus dicitur *Septicollis*: vel intelliguntur 7. immanes, quos habuit, Imperatores, unde dicitur quod ſuper 7. cornua ſint 7. diademata.

Quomodo conveniat eſſe 7. Sacramenta. Dominicus Soto in 4. diſt. 1. q. 6. a. 1. rectè aſſerit, convenienter numerari tria Sacramenta per ſe, & 4. alia ex conſequenti: quatenus homo generatur & vivit, quod fit per Baptiſmum quod ſolet vocari *lavacrum regenerationis*. Secundò, quod homo

mò genitus debeat augeri & corroborari, quod fit in vitâ ſpirituali per confirmationem. 3. Quod homo quotidiano cibo debeat nutriri ne deficiat; quod facit in vitâ ſpirituali per Euchariſtiam. Ex conſequenti verò, quod cum homo defectibilis ſæpè cadat in damna ſpiritualia & corporalia, curandus ſit Sacramento pœnitentiæ, quorum reliquias ſi ſuperſint, abſtergit Extrema-unctio: quatenus autem homo eſt animal ſociale & ad conſervandam ſpeciem humani generis à Deo creatus ut externè rectè gubernetur, inſtitutum eſt Sacramentum matrimonii. Quatenus denique homo dirigi debet in vitâ ſpirituali, fit per Sacramentum Ordinis. Undè rectè Catechiſmus Romanus parte 2. de Sacramentis in genere cap. 12. docet, ipſam naturam docere Sacramenta ſeptenario numero eſſe definienda: dum humano generi ſeptem ſunt neceſſaria ad vitam commodè traducendam: *Ut ſcilicet in lucem edatur, augeatur, alatur, & ſi in morbum incidat ſanetur: imbecillitas virium reficiatur: deinde, quod ad Rempublicam attinet, ut Magiſtratus numquam deſint, quorum auctoritate & Imperio regatur: ac poſtremò legitimâ ſobolis propagatione ſeipſum & humanum genus conſervet. Quæ omnia quoniam vitæ illi, quâ anima Deo vivit reſpondere ſatis apparet: ex iis facilè Sacramentorum numerus colligetur.* Ac deinde omnia ſigillatim cuique Sacramento ſingula reſpectivè adaptat.

Objiciunt tamen aliqui, quod videatur varia alia inter Sacramenta eſſe numeranda 1. uſum aquæ benedictæ 2. lotionem pedum factam à Chriſto in ultimâ cœnâ, cum illa fuerit à Chriſto inſtituta Joan. 13. *Si ego lavi pedes veſtros, &c.* quæ lotio etiam ſtatâ lege ſingulis annis in Eccleſiâ obſervatur. 3. Quod videatur martyrium dicendum eſſe Sacramentum, cum ſit ſignum externum & ſenſibile, quod etiam ex opere operato confert gratiam non ponentibus obicem: denique, quod ſolemnis profeſſio Religioſa videatur etiam annumeranda Sacramen-

tis, undè etiam vocatur à ſanctis Patribus *ſecundum Baptiſma.*

Ad quæ reſpondeo, uſum aquæ benedictæ non eſſe Sacramentum, ſed quoddam Sacramentale, quod etiam confert remiſſionem venialium, nec gratiam ſuo uſu & ex opere operato confert, uti diximus ſect. 1. de Sacramentis in genere. Quo ſenſu intelligendus eſt Alexander V. *Can. aquam.* De Conſecrat. diſt. 3. ubi ait, aquam ſale conſperſam valere ad coinquinatorum ſanctificationem & purgationem *Ex quo* ait Soto loco ante citato, *nonnulli ſcioli ſibi videntur elicere eſſe Sacramentum.*

Ad ſecundum reſpondeo, lotionem pedum non poſſe vocari Sacramentum propriè dictum; etſi etiam aliquid ſacrum & divinum ſignificet, ſcilicet humilitatem Chriſti, &c. & ratio eſt, quod gratiam ſanctificantem ex opere operato non conferret, licet ſanctus Cyprianus Serm. de lotione pedum, velit per illam collatam eſſe remiſſionem venialium, quæ remiſſio non exigit novam gratiam, ut mox diximus de aquâ benedictâ: ubi etiam ſanctus Cyprianus illam lotionem vocat *Myſterium* & *Sacramentum*, puta latè dictum. Adde, quod Eccleſia Romana teſte ſancto Amb. lib. 3. de Sacram. cap. 9. numquam receperit illam lotionem ut Sacramentum, nec Chriſtus juſſerit illam ut talem obſervari: ſed tantùm voluerit à nobis adhiberi in exemplum humilitatis, dum dicit Joan. 13. *Si ego lavi pedes veſtros, & vos debetis alter alterius lavare pedes.*

Ad 3. reſpondeo, martyrium non poſſe propriè dici Sacramentum, quandoquidem non conferat gratiam tamquam ejus ſignum ad illam conferendam inſtitutum; ſed per modum meriti tamquam actus fortitudinis, prout latius id patebit agendo de baptiſmo ſanguinis.

Ad ultimum reſpondeo, verum eſt quod profeſſio Religioſa à ſancto Bernardo & aliis vocetur *ſecundum Baptiſma*, quod quaſi hominem ſæcularem rege-

regeneret : non tamen poteſt dici Sacramentum, cum à Chriſto non ſit inſtituta profeſſio, ut ex opere operato gratiam conferat : ſolummodo enim inſtituta eſt profeſſio Religioſa, ut homo per tria vota eſſentialia perfectiùs Deo vivat.

SECTIO X.

An in omni ſtatu fuerint Sacramenta neceſſaria.

Dicendum primò, in ſtatu innocentiæ non fuiſſet indecens à rebus ſenſibilibus ſanctitatem expectare, ſed maximè expediens, ſi pro ſuo commodo & ſalute iis mediis potuiſſent uti. Quod verum eſt, etſi Chriſtus Adamo non peccante, non veniſſet; etſi enim Sacramenta vim ſuam habere dicantur ex paſſione & meritis Chriſti, item quod ſint medicinæ quibus à peccatis ſanamur, in illo caſu verò, neque Chriſtus veniſſet, neque peccatis eſſet medendum, quæ nulla fuiſſent: tamen potuiſſet Deus ex ſua omnipotentia independenter à meritis Chriſti, Sacramentis indere vim ſanctificandi: deinde, etſi illa Sacramenta à peccatis non liberaſſent, tamen potuiſſent contra eadem hominem præſervaſſe, gratiam augere, &c. his adde, quod pro eo etiam ſtatu hoc militaret, quod homini conveniret, per ſenſibilia ſigna devenire in cognitionem ſpiritualium & per ejuſmodi ſigna in unam Religionem coadunari, quod Sacramentis eſt proprium. *De ſtatu innocentiæ.*

Dicendum 2. in ſtatu legis naturæ, id eſt à peccato Adæ uſque ad legem Moyſis, fuit quoque remedium aliquod contra peccatum originale. Docet id apertè S. Auguſt. l. 5. cont. Jul. c. 11. ubi ait: *Nec ideo credendum eſt, & ante datam circumciſionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento ejus opitulatos fuiſ-* *Statu legis naturæ.*

ſe parvulis ſuis, quamvis quid illud eſſet, aliquâ neceſſariâ causâ, Scriptura latere voluerit. Si vero SS. Patres ut S. Greg. & Bern. docent, ſolâ fide parentum parvulis ſuis eos ſubveniſſe, illud *ſola fide*, non excludit externum ſignum fidei, ſed ſolùm determinatam ceremoniam. Ad quod docet S. Thom. 3. q. 70. a. 4. ad 2. quod parentes ſuis parvulis adhibuerint aliquas preces, uti adhibebant adulti: & qu. 61. a. 3. comparat Sacramenta legis ſcriptæ, cum Sacramentis ante illam, ut determinatum ad indeterminatum; unde nota, quod ante legem ſcriptam Sacramenta admittat, etſi indeterminata.

In lege ſcripta.

Dicendum 3. de fide eſt, in lege ſcripta fuiſſe Sacramenta. Docet hoc Florent. Conc. dum differentiam adfert inter Sacramenta V. & N. L. inter hæc præcipuum fuit circumciſio, de qua mox.

Convenientia Sacramentorum.

Dicendum 4. ex Catechiſmo Romano parte 2. cap. 1. §. 7. quod etiam oportuerit apud Chriſtianos inſtitui Sacramenta: 1. propter naturæ noſtræ imbecillitatem, quæ per Sacramenta adjuvatur. 2. Ad erigendam fidei noſtræ tarditatem, dum per ſigna à Deo inſtituta facilè commovemur ad ea credenda, quæ nobis promittuntur. 3. Juxta ſanctum Amb. lib. 5. de Sacram. cap. 4. ut certa & parata haberemus medicamenta ad depellendos animæ morbos, & ſanitatem animæ conſervandam, qualia remedia ſunt Sacramenta. 4. Ut juxta ſanctum Auguſt. lib. 19. contra Fauſtum cap. 11. eſſent Chriſtianiſmi & veræ Religionis ſymbola, ac ſanctæ Societatis vincula. 5. Ut eſſent teſtimonia fidei noſtræ, ejuſdemque certa declaratio. 6. Ad excitandam & exercendam in animis fidelium fidem, & charitatem. Denique, ut hominis ſuperbiam doment, dum rebus ac elementis ſenſibilibus cogimur ſubjacere, ac per eorum uſum gratiam & ſalutem expectare.

SE-

SECTIO XI.

Ad quid ſit principaliter Circumciſio inſtituta.

Dicendum primò, circumciſio primariò eſt inſtituta, ut eſſet ſignum fœderis inter Deum, & ſemen Abrahæ, ut populus Hebræus hoc ritu ab aliis eſſet ſegregatus ac Deo peculiariter dedicatus. Secundariò tamen aſſumpta eſt ad remittendum originale peccatum, nam uti docet Scriptura Gen. 17. *Maſculus cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit.* S. Aug. legit, *Maſculus cujus caro octavo die, &c.* Uti & 70. Proſper & Fulg. quod etſi in Hebræis deſit, tamen *octavo die* legendum eſſe docet S. Amb. l. 9. Epiſt. 77. etſi in hebræo non contineatur, *Quia*, ait, *non in aquila omnis authoritas, qui quaſi Judæus in littera præteriit, nec poſuit octavum diem.* *Finis circumciſionis.*

Hoc tamen notandum quod Apoſtolus & SS. PP. aliquando vituperent & extenuent Sacramenta V. L. uti videre eſt ſect. 1. & negent aliquid ſalutis contuliſſe: quod ut verum ſit, intelligendum eſt de Sacramentis V. L. quâ talibus, cùm circumciſio, ut erat aſſumpta pro Sacramento legis naturæ, quæ uti dictum eſt, duravit uſque ad legem gratiæ, remittebat peccatum originale: aliàs ut erat cæremonia L. V. hoc præſtabat circumciſio, quod per eam populus Judaïcus ſeligeretur ac Deo dedicaretur, ad quod primariò erat inſtituta, adeoque ex prima ſua inſtitutione non conferebat gratiam. Deinde vilipenditur circumciſio poſt legem gratiæ, quando veritati umbræ ceſſerant.

Dicendum 2. ut tamen circumciſio tamquam cæremonia legis naturæ adhibebatur ad remittendum originale, non conferebat gratiam ex opere opera- *Circumciſio non conferebat gra-*

tiam ex opere operato. to, ſed illud Sacramentis N. L. eſt proprium, & in quo Sacramenta novæ legis à Sacramentis V. L. juxta Trid. & Florent. differunt. Et quamquam in lege naturæ admittamus indeterminatum Sacramentum pro originali peccato, quod in lege ſcripta negatur: non ideo tamen legis naturæ ſtatus perfectior erat ſtatu legis ſcriptæ, cùm lex ſcripta legem naturæ ſub ſe continebat & includebat. Unde; etſi ſeorſim lex naturæ erat perfectior lege ſcriptâ, non tamen prout lex ſcripta legem naturæ includebat.

Bene tamen ex opere operantis. Dicendum 3. adultis in circumciſione non fuit collata gratia niſi ex opere operantis, ſcilicet ex fide illorum per dilectionem operante & aliis diſpoſitionibus ad hoc requiſitis, adeo ut attriti non conſequerentur peccatorum remiſſionem: quare circircumciſio hîc erat tamquam conditio ſine qua non, intuitu fidei, quam parvuli elicere non poterant. Adulti verò propriis actibus ad juſtificationem ſe diſponebant, quo pacto non erant illi pejoris conditionis quam parvuli, cum independenter ab aliorum actibus voluntate propriâ ſeſe ad juſtificationem præparabant. Idem accidit modo in adultis & parvulis Baptizandis.

Qua de cauſa per 40. annos in deſerto omiſſa. Dicendum 4. circumciſio, etſi aliquatenus neceſſaria, diſpenſatione divinâ, omiſſa fuit per 40. annos, ob iter continuum per deſertum, neſcientibus Judæis quando movenda erant caſtra, etſi alii, inter quos S. Auguſt. quæſt. 6. ſuper Joſue, doceat, Judæos in eo fuiſſe culpabiles. Alii verò docent, nullum non circumciſum in deſerto mortuum eſſe, antequam Joſue juſſit omnes circumcidi: ſententia tamen S. Auguſtini probabilior apparet, maximè cùm Scriptura Joſue c. 5. omiſſionem illam non excuſet, ſed ſolùm cauſam omiſſionis inſinuet.

Hoc denique notandum eſt, quod ſi puer ante diem octavum periclitaretur, quod ante liceret adhibere remedium legis naturæ, quod diximus indeterminatum; ſi verò puer ſupervixiſſet, debuiſſet adhi-

adhiberi circumciſio, tamquam cæremonia, ut fit in Baptiſmo non ſolemni, quando etiam, uti octavo die nomen pueris imponebant, quod & obſervarunt Romani, quando pueros ſuis diis conſecrabant.

Dicendum denique, Sacerdotium Melchiſedech fuiſſe verum Sacramentum, cùm fuerit *Sacerdos Dei altiſſimi*; imò Philo l. 2. Allegor. ait: *Melchiſedech Regem Salem Sacerdotem ſibi conſtituit Deus*, cui conſtitutioni adveniens populi conſenſus, erat verus Sacerdos & verum Sacramentum, Euchariſtiam præfigurans, offerebat. Quando verò dicitur Sacerdotium incepiſſe ab Aärone à Deo vocato & ordinato, indicatur à Deo tum primitus determinatum fuiſſe, quid, quando, quo loco, deberet Deo offerre, ubi antea aliqua pro libitu aſſumebant pro Sacrificio, modo ad illud idoneum, illi qui vel hæreditariâ ſucceſſione, vel conſenſu populi, vel conſtitutione Dei erant Sacerdotes. *Sacerdotium Melchiſedech.*

CAPUT SECUNDUM.

De Sacramentis in particulari.

SECTIO PRIMA.

De Sacramento Baptiſmi.

Dicendum primò, Sacramentum Baptiſmi ſive ablutionis, *Eſt Sacramentum regenerationis in verbo vitæ*. Dicitur *Janua Sacramentorum*, eò quod portum pandat, ad cætera Sacramenta ſuſcipienda: ita innuit Conc. Florent. Quod quamvis verum ſit, quod nemo poſſit ſuſcipere aliquod Sacramentum ante Baptiſma, *Quid Baptiſma.* *An poſſit Sacramentum ſuſcipi ante Baptiſma*

ptiſma, tamen caſus contingere poſſet, quod quis bonâ fide putans ſe baptizatum, ſumeret Euchariſtiam, quo caſu, ſi de cætero dignè accedat, ex opere operato conferet Euchariſtia gratiam: nec verum eſt, quod fingit quiſpiam, ejuſmodi ſumptionem tantùm proficere, quantùm ſi aſinus ſumeret ſpecies Euchariſticas. Rem noſtram probat Euſeb. l. 7. c. 8. hiſt. ubi refert Dyoniſ. Alex. ad Sixtum ſcripſiſſe de quodam Antidoto, qui invalidè ſuſceperat Baptiſma, & interim aliquoties ſumpſerat Euchariſtiam, quem nolebat Pontifex baptizari ſed dicebat eum virtute Sacramentorum eſſe purgatum. Item cap. *Proveniens* de Presbytero non baptizato, ubi Pontifex declarat, quòd Euchariſtia à non baptizatis poſſit recipi. Melius proinde dicitur, quòd Baptiſma ſit primum Sacramentorum, non quod nullum Sacramentum ante illud ſuſcipi poſſit; ſed uti ait Conc. Flor. *Primum omnium Sacramentorum locum tenet Sacramentum Baptiſmi, quod vitæ ſpiritualis Janua eſt, per ipſum enim membrum Chriſti, ac de corpore efficimur Eccleſiæ.* Indubiè verò, vita ſpiritualis haberi poteſt, ſine ſuſceptione Baptiſmi, puta per votum ejuſdem. Adde, quod ordinariè ſit alio ſenſu Janua Sacramentorum, uti & tonſura ordinum ſubſequentium, ſic ut ordinatio ſubſequens teneat, etſi non præcedat tonſura. Quod autem de Euchariſtia diximus, idem locum habet in matrimonio juxta Adrianum in 4.q. 1.& valde probabiliter in Extrema-unctione, uti & in Ordine: in Pœnitentia autem eſt aliud, ubi requiritur juriſdictio in pœnitentem, qualem non habet in eum, qui nondum eſt membrum Chriſti. Totum interim pendet à voluntate Chriſti, de qua cum non ita certò conſtat, obſervanda erit Eccleſiæ conſtitutio.

Quando Baptiſma ſit inſtitutum.

Dicendum 2. communis tenet opinio, quod baptiſma ſit inſtitutum in Jordane, quando Chriſtus à Joanne baptizaretur, dum deſignavit aquam, ut materiam, & tota Trinitas apparuit, Filius qui baptizaba-

ptizabatur, vox Patris, & Spiritus S. ut columba deſcendens. Quidquid ſit, verius apparet, in Jordane non fuiſſe Baptiſma inſtitutum, ſed poſtea tempore opportuno. Ratio eſt, quòd in Jordane Chriſtus ſolùm ſuſceperit Baptiſma, eoque ſuſcepto confeſtim de aqua adſcendit; cùm tamen inſtituere ſit actus juriſdictionis, ubi tamen ſubibat perſonam pœnitentis & ſubditi. Hoc tamen verum eſt, Baptiſma à Chriſto inſtitutum eſſe ante ſuam mortem, cùm legatur, quòd Chriſtus per Apoſtolos baptizarit, cujus causâ indignatio Joannis Diſcipulorum eſt exorta.

SECTIO II.

De neceſſitate Baptiſmi.

DICENDUM I. *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu S. non poteſt introire in regnum Dei.* Joan. 3. Quod quamvis hæretici metaphoricè exponere velint, intelligendo per aquam illapſum Spiritûs ſancti, pœnitentiam, uti etiam per regnum cœlorum intelligentes Eccleſiam: tamen locus ille adeò apertus eſt, ut etiam convicerit ipſos Pelagianos, qui tamen peccatum originale pernegabant, de quo ſanctus Aug. lib. I. de peccatorum meritis cap. 20. *Terrentur*, ait, *Pelagiani ſententiâ Domini dicentis, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, &c. & propterea conantur parvulis non baptizatis innocentiæ merito ſalutem ac vitam æternam tribuere: ſed qui baptizati non ſunt, eos à regno cœlorum faciunt alienos, novâ quâdam & mirabili præſumptione, quaſi ſalus æterna vitæ poſſit eſſe præter Chriſti hæreditatem & præter regnum cœlorum.* Ubi obiter nota, quod Pelagiani, tametſi negarent originale peccatum; tamen pueros baptizabant, putantes ſine baptiſmo eos poſſe habere vitam æternam,

Baptiſmus omnibus eſt neceſſarius.

Digitized by Google

nam, ſed non regnum cœlorum: diſtinguebant enim Pelagiani inter vitam æternam, & regnum cœlorum.

Idem confirmant ſancti Patres. 1. Cyrillus Hieroſol. Catecheſi 3. ubi dicit, quod ſi quis non baptizatur ſalutem non habeat, præter ſolos martyres. Et ſanctus Aug. Epiſt. ad Hieronymum: *Si quis dixerit, quod in Chriſto vivificabuntur etiam parvuli, qui ſine Sacramenti baptiſmatis participatione è vita exeunt, hic profectò, & contra Apoſtolicam prædicationem dicit, & totam condemnat Eccleſiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis feſtinatur & curritur, ſine dubio creditur aliter eos in Chriſto vivificari non poſſe.* Idem docet ſanctus Hieronymus Dialogo 3. contra Pelagianos: ſanctus Fulg. cap. 33. de fide ad Petrum: ſanctus Proſper lib. 2. de vocatione gentium cap. 8. & plerique alii. Idem docent Concilia, ut Carthaginenſe & Millevit. apud Aug. epiſt. 90. & 92. ubi ex profeſſo damnatur ſententia illorum, qui putabant parvulos poſſe ſalvari ſine baptiſmo. Et. Eugenius IV. in Concilio Florent. poſt ultimam ſeſſ. *Niſi ex aqua & Spiritu ſancto renaſcamur, non poſſumus, inquit veritas, in regnum cœlorum introire.*

Etiam parvulis. Dicendum 2. parvulis ſeu ratione carentibus neceſſarius eſt baptiſmus neceſſitate medii ad ſalutem conſequendam; excepto caſu martyrii, de quo poſtea. Probat illud idem præceptum Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. quod præceptum generale eſt, etiam infantes concernens. Deindè, parvuli etiam à baptizatis parentibus orti, tenentur peccato originali, quod regenerationis lavacro *neceſſe ſit* expiari ad vitam æternam conſequendam, ut ait Conc. Trid. ſeſſ. 5. can. 4.

Objiciunt aliqui, quod parvuli non ſint capaces ullius præcepti: deindè quod reſpectu adultorum ſufficiat baptiſmus in re vel in voto, uti mox dicemus, cum autem lex baptiſmi ſit generalis æquè uni-

univerſaliter proponitur infantibus ac adultis, adeoque etiam reſpectu infantium ſufficiet baptiſmus in voto. Reſpondeo ad primum, quod aliud ſit, aliquid alicui præcipere, aliud præcipere de aliquo: neque Chriſtus dedit propriè præceptum infantibus, ſed parentibus & curatoribus illorum, ut diligenter curarent eos baptizari: quare nec infantes ex omiſſione baptiſmi contrahunt novum peccatum etſi condemnentur propter originale peccatum in quo obierunt.

Ad alterum reſpondeo, quod baptiſmus in voto nullâ ratione poſſit competere infantibus, cum votum baptiſmi neceſſariò ſupponat uſum liberi arbitrii quo infantes carent. Neque objici poteſt cum Caietano, quod voluntas parentum hîc reputetur voluntas parvulorum, adeoque ſicuti adultus per voluntatem propriam poteſt habere votum baptiſmi, ità etiam per voluntatem parentum tale votum poſſent habere infantes: quia voluntas parentum non cenſetur voluntas puerorum, niſi quoad jus gubernandi, non tamen cenſetur voluntas parentum eſſe voluntas puerorum quoad ſalutem, quæ non eſt ſubjecta voluntati & dominio parentum. Neque iterum cum eodem auctore dici poteſt, quod remedium originalis peccati reſpectu parvulorum non debeat magis coarctari in lege novâ, quam in lege veteri, ubi pueri ante octavum circumciſionis diem morientes, ſalvabantur: imò quod in lege naturæ nullum fuerit ſignum, per quod pueri ante uſum liberi arbitrii ſalvarentur. Ad quod reſpondeo, quod fuerit in lege naturæ aliquod ſignum & remedium contra originale peccatum, etſi indeterminatum, juxta illud quod diximus ſect. 10. de Sacramentis in genere. In lege autem veteri, ſi puer ille ante octavum diem periclitaretur, debebat adhibere illud remedium legis naturæ, & ſi poſtea puer ſupervixiſſet, debebat adhiberi circumciſio, uti latius diximus ibidem ſect. 11. ex quo ſequitur,

quod

quod in lege novâ non magis coarctetur ſalus pueri, quam in lege veteri, cum è contra in lege veteri debebat exſpectari ad adhibendam circumciſionem uſque ad octavam diem: ubi jam in lege novâ ſtatim ac editur infans in lucem, poteſt baptizari. Et hinc etiam Pius V. hanc Caietani ſententiam juſſit expungi in ſecundâ editione.

Etiam adultis, & quomodo.

Dicendum 3. adultis, ſive ratione utentibus neceſſarium eſt baptiſma neceſſitate medii in re, vel in voto; quod apertè tradit Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 4. ubi dicitur: *Tranſlatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ in ſtatum gratiæ & adoptionis Filiorum Dei per ſecundum Adam Jeſum-Chriſtum ſalvatorem noſtrum, poſt Evangelium promulgatum ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non poteſt, ſicut ſcriptum eſt, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, &c.* Quod præceptum, cum ſit generale, etiam obligat adultos. Et iterum eadem Synodus ſeſſ. 7. Can. 5. *Si quis dixerit baptiſmum liberum eſſe, non autem neceſſarium ad ſalutem, anathema ſit.* Hinc etiam videmus adultos, etſi jam ante crederent, aut pœnitentiam egiſſent, poſtea nihilominus eſſe baptiſatos, Act. 2. 4. 10. 19. & Apoſtolus, etſi jam ex toto corde ad Chriſtum converſus, poſtmodum tamen fuit baptiſatus, Act. 9.

Dictum eſt in concluſione, *in re, vel in voto*: quia in re baptiſmus adultis eſt neceſſarius, dum habent facultatem illum ſuſcipiendi, aliàs & peccant mortaliter, & pereunt: ſi verò facultas ſuſcipiendi baptiſmi illis deſit, ſufficere illis poteſt votum baptiſmi. Utrumque declarat S Thomas 3. p. q. 68. art. 2. in Corp. ita ſcribens: *Sacramentum Baptiſmi dupliciter poteſt alicui deëſſe: uno modo, & re, & voto, quod contingit illis, qui nec baptizantur, nec baptizari volunt, quod manifeſtè ad contemptum Sacramenti pertinet, quantum ad illos, qui habent uſum liberi arbitrii: & ideò hi quibus hoc*

modo

modo deeſt baptiſmus, ſalutem conſequi non poſſunt: quia nec Sacramentaliter, nec mentaliter Chriſto incorporantur, per quem ſolum eſt ſalus. Alio modo poteſt Sacramentum baptiſmi alicui deeſſe re, ſed non voto, ſicuti cum aliquis baptizari deſiderat, ſed aliquo caſu prævenitur morte, antequam baptiſmum ſuſcipiat: & talis ſine baptiſmo actuali ſalutem conſequi poteſt, propter deſiderium baptiſmi, quod procedit ex fide per dilectionem operante, per quam Deus interius hominem ſanctificat, cujus potentia Sacramentis viſibilibus non alligatur. Undè Ambr. dicit de Valentiniano, qui catechumenus mortuus fuit; QUEM REGENERATURUS ERAM AMISI: VERUMTAMEN ILLE, QUAM POPOSCIT GRATIAM NON AMISIT.

Idem ſtatuit Concilium Braccarenſe primum can. 38. orandum eſſe pro catechumenis, qui antè baptiſmum obierant: nec enim Eccleſia pro eis oraret, niſi crederet, illos potuiſſe obtinere gratiam abſque baptiſmo realiter ſuſcepto. Et ſanctus Bernard. Epiſt. 77. expendens locum Marci ult. *qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur* rectè notat, quod non addatur hic, *qui verò non fuerit baptizatus, condemnabitur*, ſicuti dictum erat, *qui verò non crediderit*: quia nempè ſine baptiſmo ſolâ fide per dilectionem operante poteſt ſalus obtineri, dum ſcilicet baptiſmus non eſt in poteſtate.

Contra jam dicta objiciunt aliqui 1. quod ſanctus Clemens lib. 1. Recog. ſcribat eos non carere periculo, qui ſine baptiſmo intereunt, quamvis bonæ vitæ conſcientiâ muniantur. 2. Quod ſanctus Amb. de initiandis cap. 4. dicat, etiamſi catechumenus credat, non tamen remiſſionem peccatorum obtinêre, niſi baptizetur. 3. Greg. Naz. orat. de baptiſmo, ità ſcribit: *Si eum, qui animo tantùm & voluntate, non autem re ipſâ cædem perpetravit, cædis damnandum putas: ſit ſanè is apud te quoque pro baptizato, qui baptiſmum extra baptiſmi ſuſce-*

ſuſceptionem expetivit : ſin autem abſurdum eſt , quomodo hoc poſſit , haud ſanè perſpicio. 3. Quod ſanctus Aug. ſerm. 13. in Joan. dicat : quantumcumque profeciat catechumenus adhuc ſarcinam iniquitatis portat, non ille dimittitur, niſi cum pervenerit ad baptiſmum.

Ad primum reſpondeo , verum eſſe , quod illi periculo non careant ; qui ſine baptiſmo intereunt: cum valdè obſcurum ſit, & ad diſcernendum difficile, an quis habeat deſiderium ſufficiens, & fidem per dilectionem operantem, quæ tamen ad votum baptiſmi in hoc caſu requiruntur : undè etiam intelligitur , ſecuriori ſemper modo remedium gratiæ & ſalutis eſſe conquirendum. Adde libros illos Clementis , exiguæ eſſe auctoritatis , ut annotavit Baronius.

Ad ſecundum reſpondeo, intelligendum eſſe Ambroſium de Catechumeno , qui vel contemnit baptiſma , aut habitâ facultate ſuſcipiendi idem ſuſcipere negligit : quo ſenſu certum eſt , quod Catechumenus ille non obtineat remiſſionem peccatorum. Idem illud reſponderi poteſt ad locum Nazianzeni, ſcilicet eum loqui , de iis , qui habent facultatem ſuſcipiendi baptiſma , & illud negligentibus : aut etiam de iis, qui quidem illud volunt, ſed voluntate imperfectâ , juxta illud , *vult , & non vult piger.*

Ad locum ſancti Aug. Reſpondeo , vel S. Doctorem loqui de Catechumeno , qui habitâ occaſione Baptiſma negligit , juxta , mox dicta : vel de ſarcina peccati , tam quoad culpam , quam quoad pœnam : etſi ergo votum Baptiſmi deleat omne peccatum quoad culpam : non tamen delet illico omne peccatum quoad pœnam , prout facit Baptiſma.

Qualе de beat eſſe votum baptiſmi in adulto.

Quæſtio tamen eſt , quale debeat eſſe illud votum baptiſmi in adulto , an implicitum , an explicitum. Sunt qui docent , requiri hîc explicitum, credentes , quod lex evangelica etiam de ſuſcipiendo

do baptiſmo, ubique terrarum ſit ſatis promulgata, juxta illud Pſalmi 18. *In omnem terram exivit ſonus eorum.* Verùm infundatè, juxta illa, quæ diximus agendo de neceſſitate fidei: ubi dictum eſt, varios deſtititui fidei & Evangelii gratiâ. Alii ergo docent, ſufficere hìc votum implicitum contentum in eo, quod quiſpiam, qui numquam audivit de baptiſmo, elicit actum veræ contritionis, aut amoris Dei ſuper omnia, in quibus actibus implicitè includitur voluntas ſeria implendi omnia illa, quæ à Deo mandata ſunt, & conſequenter ſuſcipiendi baptiſma. Declarat hoc ſufficienter Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. ubi aſſerit, in adulto neceſſarium eſſe ad juſtificationem ſaltem propoſitum ſuſcipiendi baptiſma. Clarius hoc patet in illis ad quos lex baptiſmi pervenire non potuit & qui conſequenter explicitum baptiſmi votum habere non potuerunt: *Quomodo enim audient ſine prædicante*, ait Apoſt. ad Rom. 10. tales autem etiam ex gratiâ Chriſti, qui Sacramentis non eſt alligatus, illuſtrari poſſe & accendi eſt admittendum, maximè, ſi tales ſeſe cum ad uſum rationis pervenerint, converterint ad Deum tamquam finem ultimum, prout obligantur omnes de juræ naturæ, ut alibi diximus ex ſancto Thomâ.

SECTIO III.

An & quomodo Baptiſmus poſſit differri.

Dicendum 1. pueris nullo modo differendum eſt baptiſma. Cum enim aliud remedium ad ſalutem pueris non detur excepto martyrio, periculosè remedium tam neceſſarium differetur. 1. Quidem propter pericula, quibus propter ætatis infirmitatem & varios vitæ caſus pueri exponuntur: ad quod reflexit Catechiſmus Rom. parte 2. de Baptiſmo

Pueris non poteſt differri.

mo num. 28. hanc rationem aſſignans : ***nam cum pueris infantibus nulla alia ſalutis comparandæ ratio, niſi eis baptiſmus præbeatur, relicta ſit : facilè intelligitur, quam gravi culpâ illi ſeſe obſtringant, qui eos Sacramenti gratiâ diutius, quam neceſſitas poſtulet, carere patiantur. Cum præſertim propter ætatis imbecibilitatem infinita pœnè pericula illis impendeant.*** Deindè cum ex uſu & ſtatuto Eccleſiæ, quam primum fieri poſſit, infantes baptizandi ſint, non ſine ſcandalo aliorum poſſet baptiſmus illorum diutius differri.

Sed quæres; quodnam tempus dilationis hîc cenſeatur eſſe nimium. Reſpondeo, quod quamvis conſuetudo Eccleſiarum aliquarum habeat pueros baptizandos eſſe octavo die, adeoque duorum vel trium dierum ultra 8. dilatio, non videatur eſſe gravis, ut cum Soto docent varii Auctores, maximè, ſi adſit aliqua cauſa : tamen melius alii tempus illud definiunt morali æſtimatione : adeò ut, quam primum commodè fieri poſſit, puer baptizetur : nec enim hîc nimia cautela poteſt adhiberi. Undè varia Concilia idipſum confirmant. Conc. Senonenſe a. 1524. *Deferantur*, ait, *cum primùm fieri poterit, infantes baptizandi in Eccleſiam, nec differatur propter patrinos.* Conc. Pariſienſe a. 1557. *cum primum nati ſunt*, inquit, *deferantur ad baptiſmum ſolemniter baptizandi.* Conc. Bituricenſe 1582. *Præcipimus*, inquit, *ut quam citiſſimè fieri poterit, parentes liberos ſuos baptizandos curent, neque diu exſpectent ſuſceptores & patrinos, ne dum in vanâ ad baptiſmum pompâ tempus teritur, animas Chriſti ſanguine redemptas maximo graviſſimoque periculo, è quo emergere numquam poſſint, exponant.* Et Conc. Aquenſe 1585. imponit excommunicationis pœnam iis, qui infantibus baptiſmum differunt ultra 8. diem. Et Conc. Mediolanenſe primum parte 2. ante nonum diem ſtatuit infantes ad Eccleſiam deferendos ad baptiſma. Adde, quod Synodus Provincialis Mechli-

chlinienſis a. 1608. ſub Matthiâ Hovio tit. 3. de Sacramento Baptiſmi cap. 7. ultra conſuetum juramentum exigat ab obſtetricibus aliud juramentum, quod infantes à ſe excipiendos quantocius, vel ſaltem intra tres dies baptizari curabunt: aut ſi obſiſtentibus parentibus, vel amicis id efficere non poſſint, mox Paſtori loci illos denuntient.

Dicendum 2. quod attinet ad baptiſma adultorum, conſtat ex antiquâ Eccleſiæ praxi, quod Catechumeni longo tempore inſtruerentur in fide, antequam ad baptiſma admitterentur: imò, quod non niſi in Paſchate & Pentecoſte illud illis conferretur, adeoque illis ex rationabili causâ baptiſma differretur; puta, ut majori cum fructu baptiſma ſuſciperent, ut intereà Eccleſia indagaret, an bonâ intentione ad fidem convertantur, an debitas ad illud diſpoſitiones jam conceperint, quales exigit Conc. Trid. ſeſſ. . cap. 6. quibus tamen ſuppoſitis mos Eccleſiæ obtinet adultis jam rectè diſpoſitis quovis tempore baptiſma conferre, & ſi alibi in veſtigium antiqui usûs ſoleat expectari Paſcha, aut Pentecoſtes ut cum Proſelytis facere ſolent Romæ. *Quomodo adultis.*

Et hinc patet reſponſio ad illud, quod hic objici ſolet, quod ſanctus Martinus Catechumenus fuerit per 8. annos: quod D. Amb. in Epiſcopum electus necdum eſſet baptizatus: quod Valentinianus Imp. diſtulerit baptiſmum in tantum, ut morte præventus baptizari non potuerit: quia, vel tales diſtulerunt baptiſma ex rationabili causâ, ut melius ſeſe ad baptiſma diſponerent: aut certè diſtulerunt ex ignorantiâ invincibili aut etiam dici poteſt, paucorum factum non debere trahi in exemplum. Et quamvis ſimiles differentes baptiſmum graviter à ſanctis Patribus aliquando reprehendantur, ut à ſancto Greg. Niceno orat. 40. & aliis, intelligendi ſunt de iis, qui baptiſma differunt ad longum tempus, ut intereà liberius vivant, ac tandem, vel in periculo mortis omnium culparum & pœna-

rum remiſſionem per baptiſma conſequantur, maximo interim pereundi periculo ſeſe exponentes.

Quid ſi ante baptiſma moriatur Catechumenus.

Quæres, quid ſi intereà Catechumenus antè ſuſceptum baptiſma moriatur? reſpondeo, Dominicus Soto in 4. Diſt. 5. q. unic. a. 2. docet, quoſdam tempore Innocentii fuiſſe, qui dubitarent, an Catechumenus antè baptiſmum mortuus, eſſet ſalvus, idque ex eo, quod dicatur de Conſecrat. Diſt. 4. Can. *Catechumenum*: nullum Catechumenum quamvis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere credimus, excepto martyrio; ubi totum Sacramentum baptiſmi completur. Et Sylverius Papa Epiſt. ad Epiſcopum Tarraconenſem monet, ut deſiderantibus fontem ſalutarem, omni celeritate ſuccurratur, ne regnum & vitam perdant, tamen, juxta Soto, hæreticum eſſet de illo dubitare, cum contrariam veritatem tamquam Catholicam jam definierit idem Innocentius Capit. Apoſtolic. de Presbytero non baptizato ubi ait: *Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus: Presbyterum, quem ſine undâ baptiſmatis extremum diem clauſiſſe ſignificaſti, quia in ſanctæ matris Eccleſiæ fide, & Chriſti nominis confeſſione perſeveravit, ab originali peccato ſolutum, & cæleſtis patriæ gaudium eſſe adeptum, aſſerimus.* Et in eorumdem confirmationem aſſignat Auguſtinus lib. 8. de Civitate Dei (ſed juxta Soto, lib. 4. de baptiſmate contra Donat. cap. 22.) ubi ait: *Baptiſmus inviſibiliter miniſtratur, quem non contemptus religionis, ſed articulus neceſſitatis excludit.* Citat etiam ſanctum Amb. de obitu Valentiniani, qui Catechumenus obiit. Ac denique declarat Innocentius, ut ſopitis quæſtionibus Doctorum, Patrum ſententiam teneant: & in Eccleſiâ juges preces hoſtiaſque Deo offerri jubeant pro Presbytero memorato. Adde, quod idem Innocentius Cap. *Debitum*, de Baptiſmo, dicat, quod Judæus, qui ſe ipſum baptizavit, ſi tunc ſine alio Sacramento moreretur, protinus in patriam evolaſſet propter

ſidem Sacramenti, ſine Sacramento fidei.

Ad locum autem Innocentii, ex quo alii ſumpſerunt occaſionem dubitandi, reſpondent aliqui, ut ante, intelligendum eſſe de Catechumeno negligente baptiſmum, quem recipere poterat: alii verò, quod quidem talis Catechumenus ſalvabitur, ſic tamen quaſi per ignem, ſive quod quamvis tali Catechumeno per votum baptiſmi remittatur omnis culpa, non tamen omnis pœna: quod etiam patet ex eo, quod additur, *excepto martyrio*, quod ſicuti realis baptiſmus delet totam culpam & pœnam: undè etiam Innocent. poſteà allatus vult hoſtias & preces offerri pro Presbytero non baptizato.

SECTIO IV.

De materia & forma Baptiſmi.

Dicendum primò, materia Baptiſmi alia eſt proxima, alia eſt remota. Proxima eſt ablutio. Remota eſt aqua elementaris aut naturalis. Hinc nulla alteratio aquæ efficit validitati materiæ Baptiſmi, quamdiu manet vera aqua naturalis: perinde ergo eſt, ſive ſit aqua calida, ſive ſit frigida, ſive ſit marina ſive fontana, ſive ex nive ſive ex glacie reſoluta, ſive turbida, ſive lympida. De aliis verò dubium eſt, ut primò de aqua adhærente in hieme marmori: verùm verius dicitur eam eſſe materiam ſufficientem, cum ſit aqua forinſecus adhærens marmori, ob idoneam materiæ marmoreæ capacitatem ad eam. *Materia Baptiſmi.*

2. Quæſtio, eſt de aqua reſoluta ex ſale: ad quod Reſp. Valde dubiam fore materiam, cum dubium ſit, an in confectione ſalis, aqua ſalſa ſubſtantialiter non mutetur. Unde hoc liquore Baptizatus, eſſet rebaptizandus. *Varii liquores.*

 3. Eſt

3. Eſt de lixivio, aqua ſulphurea & juſculo carneo. Ad quæ Reſp. Lixivium & aquam illam retinere naturam aquæ. Juſculum verò vel elicitum eſt, vel factum ex diuturniori coctione carnis in aqua, vel modicâ: ſi modica coctio fuerit, & caro durior, quæ non ita facile reſolvitur, videtur retinere naturam aquæ, aliâs minimè, ſed juſculum erit ſubſtantia naturaliter ab aqua diverſa.

De aliis, v.g. Cereviſia, vino, lacrymis, lacte, ſudore, oleo, urina, phlegmate, &c. Non teneret Baptiſma in iis collatum, cum non ſint aqua naturalis. Ex quo patet falſum eſſe Lutheri dogma, quo tenet id totum eſſe materiam Baptiſmi ſufficientem, quod ad balneum eſt idoneum, quale quid eſt vinum, oleum, aqua roſacea, de qua poſtea. Hoc quoque ex S. Hieronymo in Iſaiæ c. 55. notari hîc poteſt, lac & vinum in occidentali Eccleſia Baptiſatis dari ſolitum, juxta illud S. Petri 1. c. 2. *Sicut modo geniti infantes, lac rationale concupiſcite.*

Proxima materia

Dicendum 2. Materia proxima Baptiſmi eſt ablutio. Olim in uſu fuit trina immerſio: immo videtur aliquando adhibitam eſſe adſperſionem, v.g. quando una die 3000. ſunt Baptizati. Uſu tamen Eccleſiæ adhibenda eſt ablutio aquæ ad corpus Baptizandi, adeo ut taliter verè poſſit dici eſſe ablutus. Hinc ſufficient modicæ guttulæ, & ſi pars hominis ſaltem principalis ſit aſperſa. Sufficit quoque ablutio occiſiva, v.g. quâ puer in puteum projicitur & ſimul abluitur, quem caſum factum eſſe refert Panorm. in cap. *Ut non apponeres* de Bapt. talis enim puer erit verè baptizatus & ablutus, uti etiam ſi aquâ fervênti imò vehementiſſimè frigidâ ablueretur, quamvis ex tali ablutione moreretur. Hoc tamen pro praxi notatum velim, quòd pueros ſatis crinitos miniſter debeat ſollicitè abluere, ne aquâ ſolùm crines tangat, non itidem & caput, cum vel crines non ſint pars hominis, vel ſaltem de eo

Ablutio occiſiva.

ſit

ſit fundatum dubium. Si tamen ſit extrema neceſſitas, extrema tentanda ſunt; materia dubia & forma dubia adhiberi debet, dum deeſt certior.

Dicendum 3. Forma Baptiſmi eſt hæc: *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti.* Aut alia illi per omnia æquivalens: talis eſt forma Chaldæorum, *Baptiſatus eſt in Nomine Patris, &c.* Pro cujus pleniori ſenſu, notandum eſt, ſenſum formæ Baptiſmalis eſſe, quòd in ea debeat exprimi perſona baptizantis ſeu miniſtri, ille qui baptiſatur, & Trinitas ac Unitas in divinis. Deindè, non debent illa expreſsè exprimi, ſed ſatis eſt, quòd ex communi ſenſu circumſtantiæ id manifeſtent & exprimant, uti fit in prædicta forma Chaldæorum. Et ſi in variis formis ſit dubium & incertum, v. g. quæ implicitè Trinitatem Perſonarum aut alia manifeſtant, an in illis formis Sacramentum valeat. Undè retinenda eſt ſedulò Eccleſiæ praxis, quæ ſimilium, quæ ex Dei voluntate pendent, eſt optima interpres. *Forma Baptiſmi.*

Neque verum eſt, quod opinantur aliqui, quòd Apoſtoli baptizarint in nomine ſolius Chriſti. Declarat illud S. Aug. l. 3. cont. Maximum c. 17. ubi ait: *Si quia non eſt nominatus Spiritus S. quòd etiam per ipſum facta eſt creatura, quando de Filio dictum eſt, omnia per ipſum facta ſunt, ideo putas Dei ſpiritum non eſſe creatorem? procul dubio nec in nomine ejus poteris baptizatos dicere, quibus ait Petrus, agite pœnitentiam & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine D. N. Jeſu Chriſti, quia non ait & Spiritûs S. nec in Patris nomine, quia nec ipſe eſt ibi nominatus?* Supponit ergò ibi S. Doctor debere fieri expreſſam invocationem Trinitatis. Si verò alibi legatur, Apoſtolos baptizaſſe in nomine ſolius Chriſti, intelligendum eſt, eos baptizaſſe in authoritate, poteſtate & virtute Chriſti tamquam miniſtri principalis. Hanc ſententiam plerique ſuſtinent. *Apoſtoli non baptizarunt in nomine ſolius Chriſti.*

Dicendum 4. Pars quæ ablui debet, ex conſtitutio- *Quænam pars debeat ablui*

tutione Eccleſiæ eſt caput, ut primaria hominis pars, in quo quaſi omnes ſenſus Baptiſmate ſanctificantur. Capitis tamen ablutio non eſt neceſſaria ad valorem Sacramenti, quia ſi pectus, aut alia pars corporis principalis perfundatur, tenebit Baptiſma. De perfuſione pedis, manus, digiti ea res eſt incerta, undè ſaltem rebaptizari debent ſub conditione. Pro generali regula erit, eam partem ſufficere, quâ ablutâ homo verè poſſit dici baptizatus, id eſt ablutus.

SECTIO V.

De Baptiſmo Parvulorum.

Parvuli ſunt baptizandi. Dicendum primò, de fide eſt, parvulos eſſe baptizandos: tales enim quoque comprehendit illud Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Deindè circa parvulos ita definit Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 13. & 14. *Si quis dixerit parvulos, eo quod actum credendi non habent, ſuſcepto Baptiſmo, inter fideles computandos non eſſe, ac propterea, cum ad annos diſcretionis pervenerint, eſſe rebaptizandos, aut præſtare omitti eorum Baptiſma, quam eos non actu proprio credentes baptizari, in ſola fide Eccleſiæ, Anathema ſit. Et rurſum: Si quis dixerit ejuſmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos eſſe, an ratum habere velint quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur polliciti ſunt, & ubi ſe nolle, reſponderint, ſuo eſſe arbitrio relinquendos, nec aliâ interim pœnâ ad Chriſtianam fidem cogendos, niſi ut ab Euchariſtiæ, aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec reſipiſcant, Anathema ſit.* Ubi feriuntur diverſi errores materiam hanc concernentes, ac imprimis Anabaptiſtæ, quibus ſatis acceſſit Eraſmus in præfatione paraphraſis, qui volebat parvulos, ubi adoleverint, rogandos eſſe, an ratum habeant,

beant, quod in Baptiſmo promiſerunt: & ſi nolint, eos liberos eſſe remittendos. Prædictis accedit & ratio, quòd parvuli quoque ligentur peccato originali. Ergò remedii contra illud debent admitti capaces. Quandò autem Scriptura ante Baptiſma exigit fidem & alias diſpoſitiones, agit de Baptiſmo adultorum, de quo poſtea: adde, quòd infantes fiant fideles, non ab actu fidei, quem habere non poſſunt, ſed ab habitu fidei, qui illis per Baptiſma infunditur, item à fide Eccleſiæ, ut ſicut alterius ſcilicet Adæ infidelitas illis obfuit: ita aliorum fides illis proſit.

Dicendum 2. Parvuli infidelium, attento jure naturæ, poſſunt invitis etiam parentibus baptizari. Ratio hujus eſt, quòd periculo perverſionis, quod timeri poſſe prætenditur, ſatis poſſit obviari & illud compenſari. Obviari quidem authoritate ſuperioris, qui parentes privare poſſunt jure educationis, quo abutuntur. Compenſari verò, per probabilem ſpem, quòd puer ante ſubverſionis periculum, ſit moriturus, eò quod juxta aliquos tertia pars hominum ante 10. annum moriatur. Imò ad hoc cogendos eſſe parentes Hæreticos ſæpè ſtatuit Hiſpaniæ & Galliæ praxis & leges: & quamvis nemo invitus ſit ad fidem cogendus, tamen parvuli non ſunt inviti, nec parentes rationabiliter inviti; adde, quòd oporteat Dèo magis obedire, quàm hominibus. *Baptiſma parvulorum infidelium.*

Audi quid in hâc re rectè ſcribat Layman cap. 6. q. 5. quod etiam baptiſmo hæreticorum adaptari poteſt de quo ſect. 7. ſequenti: *contraria*, inquit, *praxis* (ſcilicet quod filiis hæreticorum etiam in poteſtate parentum exiſtentibus poſſit miniſtrari baptiſmus) *apud nos à viris doctis ac piis ſæpè obſervata fuit, & rectè quidem: quia periculum perverſionis non eſt adeo propinquum ac certum, cum fieri poſſit ut infantes ante uſum rationis moriantur & per baptiſmum ſalventur. Tum quia ſpes non parva eſt ut hæreticorum*

liberi aliquando in fide Catholica inſtruantur, quam idcirco libentius ſuſcipiunt, ſi ſciant à Catholico Sacerdote ſe baptizatos fuiſſe. Addi etiam poteſt, tametſi à parentibus & miniſtris ſuis hæreticis falſa dogmata edoceantur, interdum ignorantia difficulter vincibili laborare, & pertinaces hæreticos non eſſe: ut proinde tales dogmata fidei baptiſmalis retineant, & ſalvari poſſint ſi de peccatis poſt baptiſmum commiſſis verâ converſione doleant.

SECTIO VI.

De Baptiſmo Adultorum.

Conſenſus Baptizandi. DICENDUM primò, cum novæ vitæ ſuſceptio per Baptiſma debeat eſſe libera, requiritur in adulto baptizando conſenſus aliquis, uti patet ex cap. *majores*, de quo ſect. 5. cap. 1. alias inſuper diſpoſitiones hîc exigit Trid. ſeſſ. 6. c. 6. ac imprimis motum *Fides.* fidei, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo: deindè *Spes.* motum ſpei, quo in Deum babtizandus erigitur, fidens Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore: *Charitas.* denique actum dilectionis, *Ut Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiant, ac propterea moventur adverſus peccata, per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt per eam pœnitentiam, quam ante Baptiſma agi oportet.* Ubi aliqua notari velim: primò odium peccati ac deteſtationem oriri ex amore juſtitiæ: ſecundò, quod ultima diſpoſitio non ſolùm ſit conveniens, ſed eſſe *oporteat*, id eſt, ſit neceſſaria: uti neceſſaria intelligitur fides, dum dicitur: *Accedentem ad Deum oportet credere.* Ultimò non ſufficere actum amoris concupiſcentiæ, aut ex timore ſervili orta pœnitentia, quia ut ait Pallavic. l. 8. c. 13. *Viſum hîc eſt, cum fide & ſpe jungere aliquem dilectionis actum, quia ſi pœnitentia tota eſſet ex timore ſine amore juſtitiæ, & dolor eſſet propter pœnam tantum & non propter*

propter Dei offenſam, eſſet infructuoſa. Si verò contingat Baptiſmum cum obice ſive ſictè eſſe ſuſceptum, poſtmodum debitâ diſpoſitione reviviſcit, uti ſupra diximus: debita autem diſpoſitio hæc eſt juxta S. Aug. l. 1. de Bapt. c. 2. quando ſincerè cor peccatoris ſe ad Deum convertit. *Tunc,* ait, *valere incipit ad ſalutem Baptiſmus, cum illa fictio veraci confeſſione receſſerit, quâ corde in malitia vel ſacrilegio perſeverante, peccatorum ablutionem non ſinebat fieri.* Undè exigitur hîc iterum actus amoris Dei, cum illud non dicatur veraci & ſincero corde provenire, quod ex amore Dei non provenit, ut idem S. Pater alibi docet. Vide dicenda de contritione. De cæremoniis in adulti Baptiſmo adhibendis dicam ſect. 6.

Dicendum 2. caveant omnes quibus animarum cura commiſſa eſt, ne aliquos vagabundos, & pauperes facili negotio ad Baptiſma recipiant, ut nondum baptizatos. Sæpè enim ejuſmodi, ſacrilegia non reformidant, ut nummos & eleëmoſynas extorqueant: hinc, ut in caſu matrimonii, vagabundos ad ordinarium mittet, ut de cauſa plenius informetur & judicet. Si verò eumdem ad Baptiſma diſponat, motivum converſionis diligenter inquiret, fidei rudimenta proponet, & ad ſeriam vitæ emendationem diſponet. *Baptiſma vagabundi.*

Dicendum 3. adulti ſatis inſtructi & diſpoſiti primâ datâ occaſione ſunt baptizandi, aliàs fruſtrandi variis gratiæ auxiliis, quæ Baptiſma confert; etſi aliquando rectè ab Eccleſia, & prudenti directore differatur Baptiſma, uſque ad feſtum ſolemne inſtans, uti Romæ Baptiſma Catechumenorum uſque ad feſtum Pentecoſtes, ut majori cum devotione Sacramentum illud ſuſcipiant, vel aliud alia urgens cauſa expoſtulet. *Inſtructi baptizandi.*

SECTIO VII.

De Baptiſmo Hæreticorum.

An Baptiſma ab Hæretico collatum ſit validum.

Dicendum primo, anno 258. tempore Cypriani acris commota eſt quæſtio ratione cataphrygum & novatianorum hæreticorum, an Baptiſma ab iis datum eſſet validum: quæ quæſtio dudum agitata, deciſa eſt, & concluſum omninò validum eſſe, ſi cætera eſſentialia adeſſent; rationem dat D. Thomas, eò quod Sacramenta operentur in virtute Chriſti, & miniſter merè inſtrumentaliter. Errorem S. Cypriani & aliorum diluebant, objectâ ſolâ traditione: unde S. Aug. l. 2. cont. Donatiſt. c. 9. & 7. *Conſuetudinis*, ait, *robore tenebatur orbis terrarum: hæc ſola opponebatur inducere volentibus novitatem.* Idem habet Vincentius Lyr. in commentario. Verùm licet extra Eccleſiam non ſit ſalus, & Hæretici ſint extra Eccleſiam, tamen qui Baptiſma ſuſcipit, ſalutem accipit in Eccleſia, etſi per aliquem, qui eſt extra Eccleſiam.

Intentio Hæretici.

Dicendum 2. poſſunt habere hæretici intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, etſi Romanam Eccleſiam non agnoſcant. Probatio videri poteſt ex ſect. 3. cap. 1. & *quia*, ut ait Synodus 2. Mechlinienſis tit. 3. de Bapt. c. 6. anno 1608. *Frequens experientia docet, modernos Hæreticos, ſæpè contra receptam Eccleſiæ conſuetudinem & antiquiſſimam traditionem baptizare, uno aquam fundente, alio formam ipſam pronuntiando, ab hæreticis (qui non ſunt ad baptizandum admittendi, ubi aliquis Catholicus præſto eſt) baptizati ſimiliter ſub conditione baptizentur.* Idem habet ejuſdem Diocœſis Paſtorale. Hinc inquam promiſcuè & regulariter ab hæreticis baptizati, ſub conditione ſunt rebaptizandi, niſi certo conſtaret hæreticos quoſdam debito modo baptizare, uti ſæpe fit.

Dicen-

Dicendum 3. non licet puerum tradere extra neceſſitatem hæretico, publico ritu baptizandum. Debent enim tradentes baptizandum implicitè conſentire illorum hæreſi, cum juxta eorum formulam, debeant ſpondere, ſe puerum in illorum ſecta eſſe educaturos, debeant profiteri pueros ante Baptiſma eſſe ſanctificatos, denique in illorum ritu ipſo facto communicant. Unde Hermenigildus, eò quod nollet ab Epiſcopo Ariano baptizari, martyrium ſubiit. Hinc & Illuſtriſſimus Caſtorienſis in ſuis conſtitutionibus fol. 14. *Baptizati ab Acatholicis non temerè de novo baptizentur: ſi conſtet aliquid ſubſtantiale circa illos prætermiſſum, vel rationabiliter de eo dubitetur, baptizandi omninò ſunt: unctiones verò & reliquæ ceræmoniæ Eccleſiæ Catholicæ pro diſcretione Sacerdotum & devotione petentium, poterunt ſuppleri. Doceant Sacerdotes populum, quòd nullo modo liceat, cuipiam permittere proles ſuas baptizari ab Acatholicis, nam eos, qui id facere præſumunt, cenſet Eccleſia ſegregandos & oblationes eorum non recipiendas.* *An liceat offerre baptizandum Hæretico.*

SECTIO VIII.

De Cæremoniis Baptiſmi.

CÆREMONIAS Eccleſiæ explodunt paſſim Acatholici tamquam ſuperſtitioſas, ubi tamen in omni lege Deus juſſit obſervari cæremonias Paſchatis, Agni-paſchalis, &c. prout paſſim refert Scriptura ſacra in Exodo, Levitico, Deuteronomio, &c. eaſdem confirmant paſſim omnes ſancti Patres. Imò, quod ipſi hæretici non ſine cæremoniis quibuſdam ritus ſuos frequentent in Baptiſmo, Cœnâ Dominicâ, ut patet in Calviniſtis, Lutheranis, &c. adde, quod cæremoniæ Eccleſiæ varias habeant utilitates: proſunt enim fidelibus ad inſtructionem, dum per cognitionem ſenſibilium in cognitionem ſpiri- *Cæremoniæ Eccleſiæ an ſint licitæ.*

ſpiritualium eriguntur : deinde, devotionem fidelium excitant, dum, per tales cæremonias moventur ad adhibendum honorem & reverentiam Sacramentis, v. g. debitam, quam actionibus ſimilibus profanis ſeclusis cæremoniis non adhiberent.

Denique addunt alii, quod cæremoniæ v. g. benedictiones, ſufflationes, &c. in Baptiſmo, & orationes in aliis Sacramentis valeant ad cohibendos & arcendos dæmones, ne virtutem Sacramentorum impediant. Undè Catechiſmus Rom. parte 2. c. 1. §. 10. rectè dicit, quod merito à primis uſque Eccleſiæ temporibus illud ſemper ſervatum ſit, ut Sacramenta ſolemnibus quibuſdam cæremoniis miniſtrarentur. Maximè enim decuit ſacris myſteriis eum Religionis cultum tribuere, ut ſancta ſanctè tractare videremur. Præterea, quæ Sacramento efficiuntur cæremoniæ ipſæ magis declarant, ac veluti ante oculos ponunt, & earum rerum ſanctitatem in animos fidelium altius imprimunt.

Et quamvis cæremoniæ naturam rei non attingant, ut loquitur ibidem Catechiſmus : tamen ad materiam & formam Sacramentorum accedunt, adeoque ſine peccato prætermitti non poſſunt, niſi aliud facere ipſa neceſſitas cogat. Addit præterea §. 45. de cæremoniis Baptiſmi, dandam eſſe Paſtoribus operam, ut eas fideles intelligant, certoque ſibi perſuadeant, ſi minus neceſſariæ ſint, plurimi tamen eſſe faciendas, magnoque in honore eſſe oportere, idque ob rationes mox antè dictas.

Varii ritus Baptiſmi. Dicendum 1. cæremoniæ Baptiſmi, quas extra neceſſitatem omitti non licet, uti ex dictis conſtat, aliæ ſunt adhibendæ in Baptiſmo adultorum, aliæ in Baptiſmo parvulorum. In baptiſmate parvulorum, prima eſt, petitio à patrino vice pueri reſpondente, quid velit, ubi ſignificatur libertas novæ vitæ. 2. Eſt exorciſmus dæmonis ſufflatu & ſigno Crucis factus, ut exeat dæmon & det locum Chriſto. 3. Impoſitio manûs ſupra caput infantis, & infuſio ſalis

ſalis benedicti in eumdem : quo ſignificatur, ut cæcitatem mentis & cordis ab eo auferre Deus dignetur, & ſal ſapientiæ infundatur. Poſt iteratum exorciſmum & introductionem in Eccleſiam, ſequitur profeſſio fidei, & abrenuntiatio ſatanæ & omnibus pompis ejus, præmiſſo tactu de ſaliva, ut aures eſuriant Dei verbum : deinde linitur infans oleo Catechumenorum in pectore & ſcapulis, ut oleo linitus conſtanter fidem ſuſcipiat, & profiteatur, & contra malignos ſpiritus fortiter dimicet : deinde Sacerdos profert formam, & materiam adhibet. Datur quoque candela, ut irreprehenſibilis & amore ardens poſſit occurrere Domino venienti ad nuptias; datur itidem veſtis candida, quam immaculatam perferat ante tribunal D. N. Jeſu Chriſti. Denique linitur chriſmate in capite, ut ſignificetur baptizatum eſſe genus electum & regale, in memoriam Chriſti, id eſt uncti.

Quod verò adultorum Baptiſma ſpectat, primò baptizandus nomen Eccleſiæ tradere debet, ut inſtruatur in fide, à quo tempore vocatur *electus*, ſive *competens* : Deinde in ſcrutinio examinabantur de ſufficienti notitia fidei, & alia in Baptiſmo parvulorum fieri ſolita fermè repetuntur, & exactè præſcribit Rituale.

Dicendum 2. quamvis tempus conferendi Baptiſma modò ſit indifferens, olim tamen bis ſolummodò in anno conferebatur, ſcilicèt in Paſchate & Pentecoſte, uti conſtat ex diſt. 4. de conſecratione cap. *Duo tempora*. Ejus veſtigium remanet illis diebus per conſecrationem fontium.

Dicendum 3. ex antiquo Eccleſiæ ritu requiritur in baptiſmate patrinus, tamquam fidejuſſor & ſponſor; cujus rationem aſſignat ſanctus Thomas 3. p. q. 67. a. 7. in corpore dicens : *Dicendum, quod ſpiritualis regeneratio, quæ fit per Baptiſmum, aſſimilatur quodammodo generationi carnali; in generatione autem carnali parvulus nuper natus indiget nutrice & pæda-* *Patrinus baptiſmi.*

pædagogo. Undè & in ſpirituali generatione Baptiſmi requiritur aliquis, qui fungatur vicenutricis & pædagogi, informando & inſtruendo eum, quaſi novitium in fide de his, quæ pertinent ad fidem & vitam Chriſtianam, ad quod Prælati Eccleſiæ vacare non poſſunt, circa communem curam populi occupati, parvuli enim & novitii indigent ſpeciali cura, præter communem: & ideo requiritur, quod aliquis ſuſcipiat baptizatum de ſacro Fonte, quaſi in ſuam inſtructionem & tutelam.

Dicendum 4. patet ex dictis, quodnam ſit officium patrini in baptiſmate, puta inſtruere puerum, inſtar pædagogi in fide & moribus Chriſtianis: undè Can. *Vos ante de Conſecrat. diſt.* 4. ità admonentur: *Vos ante omnia tam mulieres, quam viros, qui filios in Baptiſmo ſuſcepiſtis, moneo, ut vos cognoſcatis fidejuſſores apud Deum extitiſſe, pro illis, quos viſi eſtis de ſacro Fonte ſuſcipere; ideoque ſemper eos admonete, ut caſtitatem cuſtodiant, juſtitiam diligant, charitatem teneant.* Et ideò meritò dolet Catechiſmus Rom p. 2. cap. 1. §. 22. quod hoc munus patrinorum adeò negligenter in Eccleſiâ tractetur, ut nudum tantum hujus functionis nomen relictum ſit, quid autem ſancti in eo contineatur, ne ſuſpicari quidem homines videantur.

Dicendum 5. patrinus tenetur tamquam pater ſpiritualis curam ſpiritualem juxta dicta gerere, ubi neceſſitas occurrit, idque etiam ſub pœnâ peccati mortalis. Ratio illius eſt, quod unuſquiſque obligetur ad exequendum officium, quod in ſe ſuſcepit, quod hîc cenſetur eſſe in re gravi, puta, ubi agitur de ſalute pueri. Ad hoc enim ſolemni profeſſione in facie Eccleſiæ ſeſe obſtrinxerunt; adde quod ideò tam ſeverè admoneantur à miniſtris baptiſmi, ut ſuæ ſponſionis ſint memores. Dicta tamen obligatio non currit, ſi patrinus prudenter credat, quod puer à parentibus, tutoribus, magiſtris, &c. ſufficienter inſtruatur, ex eo, quod ſolùm aſtringitur, dum baptizatus ejus curâ & inſtructione indiget: & hinc

hinc ſæpè excuſari poſſunt patrini inter Catholicos, dum prudenter præſumere poſſunt, quod baptizati à parentibus, tutoribus, & magiſtris, &c. ſufficienter ſoleant inſtrui: ſi tamen quocumque modo crederet de contrario, teneretur juxta jam dicta curam ſpiritualem ſpirituali filio impendere: quod magis urget in partibus hæreticis, aut quibus hæretici Catholicis admixti vivunt.

Dicendum 6. varii ab officio patrini ſunt arcendi ac primò non baptizatus, juxta Concilium Moguntinum Can. 27. de Conſecrat. diſt. 4. Can. *in Baptiſmate*. Idem eſt de hæretico, tametſi baptizato; non enim illi puerum in fide Catholica inſtruent, ſed potius ab eadem avertent, & ſeducent. Secundò arcentur hîc rudes in fide: quomodo enim alios docebunt, quod ipſi ignorant? & eâ de cauſa S. Carolus Actor. p. 2. in Decretis in N. S. Decreto 16. ita monet: *Id curæ ſit Parochis & reliquis animarum curatoribus, ut quos compatres ita rudes eſſe animadverterint, qui fidei Symbolum, orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam ignorent, eos hoc munus obire non patiantur. Eſt enim ab omni ratione alienum, ut qui ſe fidejuſſores conſtituunt, ii res illas neſciant, quibus ſe alios inſtructuros eſſe ſanctè pollicentur. Deinde veroſimile eſt, ut qui in ſe ipſis hoc neglexerint, idque culpa admiſerint, negligentiores etiam in eo ſint, ut alii iis rebus inſtructores fiant, quarum ipſi omnino rudes ſunt.*

Sequitur ex dictis, quod neque pueri ad hoc munus ſint admittendi, niſi in ea ætate, ac capacitate, qua moraliter loquendo videntur apti, ut tempore & loco debito illos inſtruant in fide & moribus, pro quibus ſpondent. Et hinc etiam Conc. Mediolanenſe 5. p. 2. de Baptiſmo, requirit hîc ætatem 14. annorum. Et Rituale Pariſienſe cap. de adminiſtr. Baptiſmi, prohibet ad hoc munus ſuſcipere maſculos infra annum decimum tertium: feminas verò infra duodecim, & niſi de rudimentis fidei ſufficienter reſpon-

reſpondeant. Et Mechlinienſe anno 1609. tit. 5. c. 7. vetat admitti aliquos infra annum duodecimum. Eadem, imò major ratio hic urget contra ſtolidos homines, ſemiſatuos, & ſimiles, qui ad inſtruendos alios ſunt inepti.

Arceantur prætereà ab officio Patrini, Monachi, & Abbates. De his conſtat ex Cap. *Non licet, de Conſecrat. diſt.* 4. de illis verò, cap. *Placuit*, 16. q. 1. quod & varii extendunt ad quoſvis Religioſos, uti in primis colligitur ex Concilio Colonienſi p. ult. c. 16. ubi illud prohibetur æquè Religioſis, ac Monachis. Et quod majus, Concilium Aquenſe 1585. *Compater*, ait, *ne adhibeatur regularis aliquis, nec Clericus ſæcularis, ſacris initiatus, aut beneficium Eccleſiaſticum obtinens.* Et Act. Eccl. Mediolan. pag. 2. decret. in 6. Synodo Decreto 17. *Clericis, qui ſacris Ordinibus initiati ſunt, infantem de ſacro Baptiſmi fonte ſuſcipere vetitum ſit.* Hæc autem, & his ſimilia, contrariâ conſuetudine videntur hîc abrogata: multò magis illud, quod ſcribit Soto in 4. diſt. 4. qu. unica art. 5. quod fortaſſe non minus, quam mortale peccatum eſſet, ſi Abbates & Monachi munus patrini ſubirent

Dicendum 7. etiam baptizandis adultis debet adhiberi patrinus, ut patet ex continuâ Eccleſiæ praxi, qua illis olim ſponſores admittebantur, ut patet ex Tertulliano de corona militis cap. 3. & aliis. Etſi enim tales ætate ſint adulti; in fide tamen ſunt Neophyti, & cenſentur *Quaſi modo geniti infantes*, 1. Pet. 2. unde & antiquitus in ſignum iſtius; dabatur illis in Baptiſmate lac & mel.

Dicendum 8. ſtatuit inſuper S. Tridentina Synodus ſeſ. 24. c. 2. reform. ut unus tantum, ſive vir, ſive mulier, juxta ſacrorum Canonum inſtituta; vel ad ſummum unus & una baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant; inter quos, ac baptizatum ipſum, & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem ac matrem.

trem tantum ſpiritualis cognatio contrahatur. Parochus antequam ad Baptiſmum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quod ſpectabit, ſciſcitetur, quem vel quos elegerint, ut baptizatum de ſacro Fonte ſuſcipiant: & eum, vel eos tantum ad illum ſuſcipiendum admittant: & in libro eorum nomina deſcribat, doceatque eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantiâ ullâ excuſari valeant. Quod ſi alii ultra deſignatos baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahant, conſtitutionibus in contrarium facientibus, non obſtantibus. Si Parochi culpâ, vel negligentiâ ſecus factum fuerit, arbitrio ordinarii puniatur.

Ex quo Concilii ſtatuto colligitur 1. quod etſi olim unicus tantummodo ſponſor adhiberetur in Baptiſmo, ut patet ex cap. *Non plures, de Conſecrat. diſt.* 4. tamen poſtea decurſu temporis etiam plures hîc admiſſos eſſe, patet ex cap. *Quamvis, de cognatione ſpirituali*, adeo ut omnes etiam contraherent cognationem ſpiritualem. Verùm, cum ex frequenti tali cognatione nimia indies orirentur impedimenta matrimonii, ſtatuit S. Synodus, ne de cætero plures in baptiſmo reciperentur patrini, quam unus, vel unus & una, quæ dictam cognationem contraherent. In quo autem hæc cognatio ſita ſit, & quid ad eam requiratur, dicam de impedimentis matrimonii.

Secundò jubet Concilium, ut Parochus diligenter inveſtiget, quem, vel quos elegerint parentes, ut puerum baptizandum de S. Fonte ſuſcipiant, quoſque tantummodo, ut patrinos, in libro annotet. Ubi quæri ſolet, quid ſi nullus eſſet deſignatus, nec id curet Parochus, & plures ſimul eumdem infantem ſuſcipiant, an omnes contraherent cognationem cum baptizato ejuſque parentibus. Negant aliqui cum Sanchez lib. 7. diſp. 57. num 12. idque ex eo, quod deſignationem patrini poſt Concilium

Trid. velint eſſe conditionem omninò neceſſariam; ut tangentes ſint verè patrini, & cognitionem ſpiritualem contrahant, ut ante videtur a Concilio eſſe reſtrictum. Alii è contra communiter id affirmant, & docent omnes tenentes cognationem contrahere tamquam veros patrinos: tum, quod teſte Baſilio Pontio lib. 7. de Matrimonio c. 39. num. 11. caſus ille à Concilio ſit omiſſus, adeoque ſtandum ſit deciſioni juris antiqui, dum ab hoc jure recedendum non eſt, niſi in novo corrigatur L. *Præcipimus* C. *de Appellat.* ſed jure antiquo omnes tangentes contrahebant cognationem ſpiritualem, *Cap. fin. de cognat. ſpir. in* 6. tum, quod ſit eadem ratio pro omnibus; adeoque ſi nullus contraheret cognationem, nullus eſſet ſuſceptor, ac proinde fidejuſſor pro illo coram Eccleſia. Addit ibidem idem Author, id ipſum confirmare declarationem Cardinalium apud Farinacium, & Rebellum num. 95. quam & ipſe refert. Denique, quod teſte Ledeſma de matrimonio cap. 58. art. 3. idem docuerint varii viri doctiſſimi, qui Tridentino interfuerunt. Ex quo etiam patet reſponſio ad fundamentum alterius ſententiæ, quod ſcilicet Concilium Trid. non requiſierit deſignationem patrini tamquam conditionem ita neceſſariam, ut ſine illâ nullus foret patrinus: ſed ſolummodo voluit declarare, quid eſſet, ſi alii ultra deſignatos baptizatum tangeret.

Notant tamen Authores dicti, quod ſi plures nullo deſignato, puerum tangant, ſed ſucceſſivè unus poſt alium, quod inquam ſolummodo contraheret cognationem ille, vel illa, quæ primò tangit; ex eo, quod Concilium Trid. unum tantùm, ſive virum, ſive feminam vult eſſe patrinum, duos autem ex deſignatione, ut plurimùm. Quare in caſu, quo nullus deſignatus ſit, unum tantùm exiſtimo præſumi, vel haberi in jure pro ſuſceptore, ait ibidem Baſilius Pontius. Verùm de his plura de Matrimonio.

SECTIO IX.

De ſubjecto capaci Sacramenti Baptiſmi

DICENDUM eſt primò, ſubjectum Baptiſmi capax eſt omnis homo non baptizatus. De pueris & adultis jam actum eſt, & de diſpoſitionibus eorumdem. Tales ſunt etiam amentes & furioſi, qui ſi ſint in amentia perpetua, neque habent lucida intervalla, comparantur iis, qui quaſi ſunt in perpetua infantia, unde ſine aliquo conſenſu prævio poſſunt baptizari. Si verò habeant lucida intervalla, debent præviè illud petiiſſe, cum aliqualis conſenſus ad Baptiſma ſuſcipiendum in adultis ſit requiſitus, ſicut probavimus. *Omnis homo non baptizatus eſt capax Baptiſmi.*

Dicendum 2. puer in utero matris etiamnum exiſtens, ordinariè ibidem baptizari non poteſt, nam ut ait S. Aug. l. 2. de pecc. mer. c. 27. *Sacramentum Baptiſmi profectò Sacramentum regenerationis eſt, quocirca ſicuti hi qui non vixerint, mori non poſſunt, & qui mortuus non fuerit reſurgere non poteſt, ita qui natus non fuerit, renaſci non poteſt.* Dixi *ordinariè*, quia ſi arte obſtetricis medio inſtrumento puer in matris utero exiſtens ablui poſſet, baptizari ibidem indubiè poſſet, uti ſi mater ſecaretur, item ſi puer utero exiens, caput aut aliam partem exerat. *Puer in utero exiſtens.*

Quid autem Parocho agendum ſit, aut alteri Sacerdoti ad mulierem periculoſo partu laborantem vocato, declarat S. Carol. Act. p. 4. *De iis*, ait, *Parochus curet, cum timetur de partu: Parochus aliquando monebit, ut obſtetrix aliave mulier in partu præſens, ſi quando aliter, quam in parturiendo ita laborantem animadverterit, ut fœtui periculum mortis probabile, antequam integrè naſcatur, immineat; ubi primum aliquod membrum vitalem motum habens ex matris utero extare videbit, illud aquâ perfundens aſpergenſve, nullo nomine impoſito baptizet dicens, ego te*

baptizo, ſi quando autem mulier in partu obierit, hoc fieri admonebit, ut uterus aperiatur, indeque fœtus eductus, ſi vivit, quamprimum baptizetur; id autem magnâ cautione fiat, ut & is vivus ex utero extrahatur, & tunc in primis, cum mater verè mortua eſt, ne pro ſalute filii mater occidatur. Hæc verò etiam parentes & domeſticos, prout opportunitas feret, admonebit, pro fœtu, qui in utero eſt, Deum aſſiduè intimeque precari, ut ille incolumis in lucem edatur, dignuſque ſit, antequam obeat, baptiſmi gratiam ſuſcipere, ne ſine ſalutis Sacramento decedat.

Monſtra. Dicendum 3. monſtra, de quibus dubitatur, an ſint homo an beſtia, quæ quandoque ex nefario coitu hominis cum bruto vel dæmone oriuntur, ſi dubium re bene diſcuſsâ perſeveret, ſub conditione ſunt baptizandi. In his tamen partes principales ſunt attendendæ, v.g. caput, cor, &c. an ſint hominis partibus ſimilia, ex cujus conſideratione judicium aliquod formari poteſt, ſintne monſtra, homo, an aliud diverſum. Idem eſt de monſtris duplicatis, ſive quæ videntur eſſe diſtincta, in quibus ſi duo capita humana, aut duo corda reperiantur, duplici baptiſmo baptizari debent, eò quod videantur eſſe duo ſuppoſita diſtincta. Si verò ex viro & muliere monſtrum oriatur, idque ex vitio ſeminis vel matricis, nec habeat figuram hominis, ſed vel potius gliris, muris, catuli, &c. communiter baptizari non debet, eò quod non ſit homo nec per generationem, ſed ejus defectum prodeat, nec ſit conjunctum in ſimilitudinem naturæ. Si denique monſtrum humanam ſpeciem præferens ex muliere & bruto vel dæmone vel aliunde prodeat, ut de filio Joannis Roceet diximus agendo de originali, baptizari debet, cum homo per ſolam mulierem profectus originali peccato ſubjaceat, uti & alius ille, de quo in dicto loco egimus.

Baptiſmus iterari non poteſt. Dicendum 4. Baptiſmus iterari non poteſt. Eſt enim ſolummodo unus Deus, una fides, unum Baptiſ-

Baptiſma, ut ait Apoſtolus Epheſ. 4. rationes addit D. Thomas, quod Baptiſma ſit ſpiritualis regeneratio, juxta Joan. 3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. Sicuti ergo ſemel tantùm naſcimur corporaliter, ita ſemel tantùm poſſumus renaſci ſpiritualiter. Hinc S. Aug. in illud Joan. 3. *Numquid poteſt iterato in ventrem matris ſuæ introire & naſci, ſic tu*, ait S. Doctor, *intellige nativitatem Spiritûs, quomodo intellexit Nicodemus nativitatem carnis.* Deinde, per Baptiſma commorimur, & conſepelimur Chriſto: ſicuti autem ſemel tantùm Chriſtus mortuus eſt, ita ſemel tantùm illi commori poſſumus.

Præthereà, juxta S. Auguſtinum ideo Baptiſmus iterari non poteſt, quia imprimit characterem indelebilem, juxta id quod ſcribit lib. 2. contra Epiſtolam Parmen. character militaris non repetitur, non enim minus hæret Sacramentum Chriſti, quam corporalis nota militum, ſed permanet etiam in Apoſtatis. Denique, quod remiſſio originalis ſemel tantùm fiat; quæ ſicuti non iteratur, ita nec iteretur Baptiſma, per quod originale remittitur.

Dicendum 5. qui alterum rebaptizare præſumit, non tantùm ſacrilegus eſt abutendo Sacramento: ſed inſuper nullum fit rebaptizando Sacramentum. Hinc ſicuti ſpecies Sacramentales Euchariſtiæ, non ſunt amplius materia conſecrationis: ita neque homo baptizatus de cætero eſt ſubjectum baptiſmi.

Quando liceat rebaptizare ſub conditione.

Dicendum 6. poterit tamen aliquando reiterari Baptiſma, ſed ſubſiſtente legitimâ causâ. Ad hoc autem non eſt ſufficiens quævis ſuſpicio, aut ſcrupulus, quo credi poſſit puerum non eſſe baptizatum: ſed oportet hîc eſſe dubium verè fundatum, ut & debita Sacramento reverentia conſervetur, & neceſſitati proximi conſulatur. *Sunt enim*, ait Soto loco citato, *qui nullum periculum imminere putant, dummodo ſub conditione rebaptizant: & ideo non ſolùm non admodum perſcrutari curant, ſitne puer baptizatus, verùm etiam, ſi conſtet eſſe domi baptizatum, iterum ſub*

ſub conditione ſolenniter eum in Eccleſia ſacro fonte baptizant, quod eſt immane ſacrilegium. Neque ullo pacto à cenſura irregularitatis hujuſmodi Sacerdotes excuſantur: nam forma hæc baptizandi ſolùm in illis permittitur (ut ait Canon) de quibus dubium eſt. Quare, niſi morale ſit dubium, hoc eſt, quod dum controverſia oritur, factâ diligenti indagine definiri non valeat, puerum eſſe baptizatum, nec ne, nemo eſt rebaptizandus, quamvis ſub conditione fiat.

Et Catechiſmus Trident p. 2. c. 1. §. 43. quærens, an poſſit baptiſmus conditionalis ſemper citra ullum diſcrimen uſurpari, ita ſcribit: *Hac in re diligenter à Paſtoribus aliqua providenda ſunt, in quibus ferè quotidie non ſine maxima Sacramenti injuria peccatur Neque enim deſunt, qui nullum ſcelus admitti poſſe arbitrentur, ſi quemvis ſine delectu cum conditione illos baptizent: quare, ſi infans ad eos deferatur, nihil prorſus quærendum putant, &c.* Quæ cum dictis ex Soto ex æquo concordant. Dicta hæc accommodanda ſunt & aliis Sacramentis.

Quæres, quid ergo dicendum de infantibus expoſitis. Reſp ſi nullum apud tales inveniatur ſignum, quo prudenter credere poſſumus eos eſſe baptizatos, tales omninò eſſe baptizandos ſub conditione, etſi etiam ſcedulam de baptiſmo adferant: tum, quod hoc caſu de ſufficienti miniſtro ſufficienter non conſtet: tum, quod teſtes competentes hìc deſint: adeoque in re hac adeo neceſſaria cenſeatur adeſſe ſufficiens ratio ſub conditione rebaptizandi. Confirmant id alii quoque ex praxi variorum hoſpitalium, quæ expoſitos omnes, etſi etiam ſcedulam baptiſmi ſecum ferant, rebaptizare ſolent. Idem etiam ſtatuit Synodus Cameracenſis.

Quâ in re dubiâ attendi poterit illud S. Leonis Epiſt. 9. ad Ruſt. c. 15. *Si nulla extant indicia, inter propinquos, aut familiares, nulla inter Clericos, aut vicinos, quibus hi, de quibus quæritur, baptizati doceantur, agendum eſt, ut renaſcantur, ne manifeſtè*

ſtè pereant : in quibus , quod non oſtenditur geſtum , non ſinit , ut videatur iteratum. Habetur de Conſec. D. 4. c. *nulla.* Et Canone , *Parvulos* ibid. dicitur : *Parvulos , qui à parentibus ſubſtracti ſunt , & an baptizati ſint , ignorant , hos ut baptizare debeas , ſecundum Patrum traditionem , ſi non fuerit , qui teſtificetur , ratio poſcit.* Unde & Synodus Antverp. ſub Joanne Miræo 1610. c. 9. *de Baptiſmo* , ait , *Habeatur diligens ratio de expoſitis , ut diligenter inquirant Paſtores , an baptizati ſint , nec ne. Si dubitetur poſt inquiſitionem diligentem , ſub conditione baptizentur.* Neque ſatis tutò prætendi poteſt , talem ſcedulam nominis apppoſitam , teſtari puerum eſſe baptizatum ; dum illa ſæpè ſolum innuat , puero tale nomen eſſe dandum , & alia mox ante data poſſint obſtare. Sic etiam , dum expoſitiis adhibebatur ſal , colligebant alii eum eſſe baptiſatum , quos tamen rebaptizari vult Synodus Mechlinienſis tit. 3. de bapt. c. 3. habita 1609.

Sectio X.

De Miniſtro Sacramenti Baptiſmi.

Dicendum primò , quilibet homo in caſu neceſſitatis eſt miniſter Baptiſmi , qui ſcit adhibere eſſentialia baptiſmi , & intendit agere , quod agit Eccleſia ; unde in caſu neceſſitatis , vir & femina , fidelis & infidelis poſſunt baptiſare. Ratio hujus eſt, quòd cum Baptiſma ſit Sacramentum extremæ nenecesſitatis , maximè conveniens fuit , ut ejus miniſterium non reſtringeretur ad certas perſonas. Nec obſtat , quòd mulier ab Apoſtolo 1. Cor. 14. in Eccleſiâ prohibeatur loqui , nec ſit capax miniſterii Eccleſiaſtici , quale eſt baptizare : quia priori loco, ſolùm interdicitur mulieri in Eccleſia concionari,aut de rebus ſacris verba facere , poſteriùs verò prohi- *Omnis homo eſt miniſter Baptiſmi.*

bet baptiſma mulieribus, dum ſolemniter fit in Eccleſia.

Ordo Miniſtrorum Baptiſmi in neceſſitate.

Dicendum 2. In caſu neceſſitatis obſervandus eſt ordo dignitatis, adeo ut illicitum ſit minus dignum baptizare, præſente digniori, v. g. Diaconum præſente Sacerdote, Laïcum præſente Diacono, &c. Adeo ut ſine causâ invertere ordinem illum, ſit de ſe peccatum grave, cum in re majoris momenti uſurpetur miniſterium alienum. Ratio autem invertendi ordinem eſſe poteſt, ſi minus dignus calleat ſaltem promptius formam baptiſmi, quàm alter magis dignus, vel ſi puer in egreſſu ex utero baptizari debeat, quo caſu honeſtas & decentia exigit, ut mulier viro præferatur.

Ordinarius miniſter Baptiſmi.

Dicendum 3. Ordinarius hujus Sacramenti miniſter eſt Epiſcopus in ſuâ diœceſi, item Sacerdos, cui ex officio baptizare incumbit, puta Parochus, qui in baptizandum habet juriſdictionem, ſaltem *Latè*: quod addo, quia nondum baptiſatus, non eſt propriè alteri Parocho ſubditus, ſed ſubdendus eſt: unde eſt talis juriſdictio, ſicut habet capitaneus in milites, quos militiæ adſcribit. Diaconus verò non eſt per ſe, & de jure divino baptiſmi miniſter; ſolùm enim dicit Conc. Flor. quòd ordinarius miniſter baptiſmi ſit Sacerdos, *cui ex officio incumbit baptizare*. Si verò quis prætendat Diaconis in ordinatione dici ex Pontificali Rom. *Diaconum oportet Sacerdoti miniſtrare, baptizare, &c.* Tantùm ſequitur, quòd Diaconus ex delegatione ſolemniter poſſit baptizare, quod aliis inferioribus miniſtris, neque ex delegatione competere poteſt. Talem delegationem ab Apoſtolis acceperat Philippus Diaconus, qui baptizavit Eunuchum candacis Reginæ act. 8. ſic etiam ſpeciali mandato Chriſti, Ananias Laïcus aſſumptus fuit ad baptizandum Paulum act. 9. cujus factum ſpeciale, dictis non derogat. Si ergo Laïcus ſolemniter baptizet extra caſum neceſſitatis, peccat mortaliter, & fit irregularis, uti con-

conſtat ex cap. 1. *De Clerico non ordinato* : Imò hoc extendi ſolet ad Diaconum ita baptizantem ſine delegatione. Peccat quoque mortaliter contra conſtitutionem Eccleſiæ, qui privatim extra neceſſitatem baptizat, cum in re gravi, juſtæ ordinationi Eccleſiæ contraveniat.

Obſtetricis obligatio. Dicendum 4. Cum verò obſtetrices periculoſo pariendi negotio adſint communiter, ex officio ſuo, animæ pueri, uti corpori medendi artem habere obligantur. Unde Magiſtratûs obligatio erit, nullas ad hoc officium aſſumere, niſi formam baptiſmi probè adhibere noverint; eò magis, quo medela animæ præſtat medelæ corporali, ubi tamen eo officio indignæ judicantur, quæ parturienti obſtetricem manum adhibere ignorant, umbilicum pueri præſcindendo, membra pueri ritè componendo, lavando, &c.

Dicendum 5. quamvis pro baptizando illegitimo, aut parentibus pauperibus nato nulla detur fidejuſſio pro alimentatione, non poterit tamen Parochus baptiſmum recuſare, aut differre, etſi magiſtratus loci, vel alii quicumque ob prædictas, aut ſimiles alias cauſas, puerum baptizari prohibeant. Ita ſtatuit Synodus Mechl. 1609. de baptiſmo c. 4. nec enim pro bono temporali ſalus æterna pueri erit exponenda.

Nemo poteſt ſe baptizare. Dicendum 6. nemo, etiam in caſu neceſſitatis, poteſt ſe ipſum baptiſare. Declarat illud Alexander III. can. *Debitum* de bapt. ubi conſultus, quid fieri debeat cum Judæo, qui ſe in caſu neceſſitatis baptizaverat, dicendo, *ego me baptiſo, &c.* Reſpondit: *quod, cum inter baptizantem, & baptizatum debeat eſſe diſcretio, ſicuti ex verbis Domini colligitur dicentis Apoſtolis, ite, baptizate omnes gentes, &c. Memoratus Judæus eſt denuò ab alio baptizandus, ut oſtendatur, quod alius ſit, qui baptizatur, & alius, qui baptizat.*

SECTIO XI.

De Effectibus Baptiſmi.

Dicendum primo, cum Conc. Trid. ſeſ. 5. can. 5. *Si quis per* Jesu *Chriſti D. N. gratiam, quæ in baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam aſſerit non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, ſed illud dicit tantùm radi aut non imputari, anathema ſit*. Rationem addit: *In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil eſt damnationis iis, qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per baptiſma in mortem..... ita ut nihil prorſus eos ab ingreſſu cœli remoretur. Manere autem in baptiſatis concupiſcentiam, vel fomitem, hæc S. Synodus fatetur, & ſentit: quæ cum ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, ſed viriliter per Chriſti* Jesu *gratiam repugnantibus non valet: quin imo qui legitimè certaverit, coronabitur. Hanc concupiſcentiam, quam aliquando Apoſtolus* peccatum *appellat, S. Synodus declarat, Eccleſiam Catholicam numquam intellexiſſe peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium ſenſerit, anathema ſit*. Hîc habes effectum baptiſmi primarium, remittere originale, & omnia alia peccata, idque verè, non ſolum tegi, adeo ut nihil damnatione dignum in baptizatis remaneat. Deinde remittit etiam baptiſma omnem pœnam, *adeo ut nihil prorſus eos ab ingreſſu cœli remoretur*, ut ait Concilium. Idem docet S. Aug. qui l. 2. de peçc. merit. c. 28. ita habet: *Statim ad cœlum migrare eum, qui accepto baptiſmo moritur*. Nec refert, quod antiquitus Judæis baptizatis injungeretur pœna 40. dierum, cum illa pœna non injungebatur ad ſatisfactionem, ſed ad Sacramentum majori cum devotione ſuſcipiendum.

Non

Non tamen tollit pœnalitates, puta ignorantiam, concupiſcentiam, patibilitatem corporis, ſed ad agonem & exercitium virtutum ea relinquuntur in baptizatis. Quomodo verò peccatum originale, quod ſtatuimus in concupiſcentia cum ſuo reatu, dimitti hîc poſſit, videri poteſt in materia de peccato originali & de concupiſcentia tract. 2.

Dicendum 2. Ultra gratiam ſanctificantem confert baptiſma jus ad gratiam ſacramentalem, id eſt, quâ finis ſacramenti haberi poſſit: puta, ut homo innocentiam vitæ in Baptiſmo acceptam, poſſit conſervare. Confert inſuper dona & virtutes, quæ an ſit de fide quod ſint veri habitus, diximus agendo de juſtificatione. Denique confert baptiſma characterem, ſive imprimit animæ notam ſpiritualem indelebilem, vi cujus baptiſma reiterari non poteſt: januam cœli aperit, imo aliquando corporalem ſanitatem adfert, uti fecit Conſtantino à leprâ.

SECTIO XII.

De differentia inter baptiſma Joannis Baptiſtæ, & baptiſma Christi.

Dicendum primò, Baptiſma Joannis fuit verum Sacramentum, cum fuerit S. ſignum gratiam ſignificans. Cenſent plurimi; & quidem jure merito, quod fuerit Sacramentum medium inter V. & N. Legem tamquam diſpoſitio media à L. V. ad L. N. abducens, adeo ut rectè comparetur Catechiſmo ante baptiſmum, reſpectu baptizandi Conveniebat autem baptiſma Joannis cum Sacramentis V. L. quod gratiam ſolùm ſignificabat, non itidem conferebat: quod timorem incuteret: *Genimina viperarum, quis demonſtravit, &c.* Unde Matth. 11. *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem, à diebus autem Joan-* *Baptiſma Joannis.*

Joannis regnum cœlorum vim patitur. Et S. Aug. Ench. c. 49. *Non, ait, renaſcebantur, qui baptiſmo Joannis baptiſabantur, ſed Chriſto, in quo ſolo renaſci poterant, parabantur. Hujus enim baptiſmus eſt, non in aquâ ſolùm ſicut fuit Joannis, verùm etiam in Spiritu Sancto.* Adeo ut rectè Conc. Trid. ſeſ. 7. can. 1. de bapt. *Si quis dixerit baptiſmum Joannis habuiſſe eamdem vim cum baptiſmo Chriſti, anathema ſit.* Perſtringit Concilium Hæreticos modernos, qui diſcrimen illud negant, effectum utriuſque ſoli fidei aſſignantes.

Baptiſma Joannis fuit in remiſſionem peccatorum.

Si verò quiſquam urgeat, quomodo erga baptiſma Joannis dicatur in remiſſionem peccatorum, ut in cántico Zachariæ, *Ad dandam ſcientiam plebi ſuæ: in remiſſionem peccatorum eorum.* Ubi tamen in ſymbolo confitemur unum tantùm baptiſma in remiſſionem peccatorum: Reſpondemus, quod remiſſio peccatorum non ſit referenda ad baptiſma Joannis, ſed ad pœnitentiam, quam prædicando in baptizandis cauſabat, & quæ per Chriſtum danda foret: unde & baptiſma Joannis dicitur *Baptiſma pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.* Ita etiam ſcientia ſalutis cauſabat prædicatione illam remiſſionem. Eodem modo intelligendi ſunt SS. Patres, ſi qui ſint, qui docent baptiſma Joannis exuiſſe à peccatis.

Ex quibus ſequitur, non mirum eſſe, quod Act. 19. plurimi à Joanne Baptizati rebaptizentur; quod Joannes à ſe baptizatos ad Chriſti baptiſma remittat, & act. 2. & 4. plurimi videantur baptizati baptiſmo Joannis ex 3. millibus & 2. millibus. Quæ autem fuerit forma baptiſmi Joannis, incertum eſt: ſatis veriſimile eſt, quod expreſſerit adventum Chriſti futurum, cum dicat Scriptura Act. 19. *Joannes Baptizavit baptiſmo pœnitentiæ populum dicens: in eum qui venturus eſt poſt ipſum, ut crederet, hoc eſt, in Jeſum.*

Forma Baptiſmi Joan.

Sed quæſtio eſt an baptizati à Joanne debuerint re-

rebaptizari baptiſmo Chriſti. Reſpondeo abſolutè quod ſic ex eo quod baptiſma Joannis ut diximus non conferret gratiam neque characterem imprimeret, ſed ut dicitur Matthæi 3. erat ſolùm in aquâ non autem in Spiritu ſancto : ubi tamen dicitur Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto*, &c. Deindè quando aliquid eſſentiale Sacramenti omiſſum fuit non eſt ſatis quod illud ſuppleatur, ſed debet totum Sacramentum repeti: quandoquidem ergo baptiſma Joannis erat ſolummodo in aquâ & non in Spiritu ſancto debebat dari baptiſma in utroque. Et quamvis Joannes baptizaverit in eum qui venturus eſt, hoc eſt, in Jeſum ut jam antè diximus de formâ baptiſmi Joannis, adeoque videatur etiam fuiſſe in Spiritu ſancto, hoc tamen contrarium innuit ut docet D. Thomas, quia in hoc quod dicebat Chriſti venturi inſinuavit Joannes ſe non baptizare baptiſmo Chriſti qui nondum fuerat inſtitutus.

SECTIO XIII.

De Baptiſmo Flaminis & Sanguinis ſive Martyrio.

DICENDUM primò, Etſi ad Epheſ. 4. dicat Scriptura, quòd ſit ſolùm unum baptiſma, intelligendo de baptiſmate aquæ, ſive propriè dicto; tamen dantur duo alia baptiſmata, flaminis ſcilicèt, & ſanguinis. Baptiſma *flaminis*, eſt vera cordis contritio, quæ ubi deeſt copia baptiſmi, vicem baptiſmi ſupplet, dum Deus voluntatem pro facto reputat, dum factum excludit neceſſitas: porrò votum illud aliquando eſt *explicitum*, ut quando quis expreſsè deſiderat baptiſma, ubi tamen ejus copia deeſt: *implicitum* eſt, quando votum illud in alio intelligitur eſſe incluſum: v.g. in vera cordis contritione, quâ implicitè vult adhibere omnia *Baptiſma Flaminis.*

ad

ad ſalutem neceſſaria, quæ poteſt. Patet idem ex Conc. Trid. quod ſeſ. 6. c 4. dicit neminem poſſe juſtificari, ſine baptiſmo aut ejus voto, ubi innuit per votum illud, hominem poſſe juſtificari.

Dicendum 2. baptiſma ſanguinis ſeu *Martyrium* idem eſt Græcè quod *Teſtimonium* pro fide Chriſti, etiam profuſo ſanguine aut morte firmatum. Ad hoc tamen non requiritur profuſio ſanguinis, aut mors re ipsâ ſecuta, quia & ſuffocatione, laqueo, inediâ, & inflictione vulneris, ex quo ſpectatâ humanâ conditione mors ſequeretur, niſi Deus impediret, etſi forſan Deo impediente mors non ſequatur, martyrium fieri poteſt. Sic martyr dicitur Joannes Evangeliſta, olei ferventis dolio injectus nec tamen ab eo ullatenus læſus. Sic aliquando dicuntur aliqui martyres ſolâ voluntate, qui de ſe parati ſunt mortem pro Chriſto ſuſtinere, uti de S Martino dicit Eccleſia, *Quem etſi tortoris gladius non abſtulerit, martyrii tamen Palmam non amiſit.* Idem tenet de S. Norberto, qui araneam magnæ corpulentiæ, quæ in calicem conſecratum deciderat, libero animo cum ſanguine ſumpſit, ne irreverentia divino ſanguini obveniret.

Infantes Martyres

Dicendum 2. Infantes per baptiſma ſanguinis ſive martyrium poſſe ſalvari, eſt indubitatum. Confirmat illud Eccleſiæ praxis, quæ ſemper innocentes pro Chriſto occiſos ab Herode, pro veris martyribus propoſuit colendos & invocandos; & eorum reliquiis verum cultum adhiberi voluit. Nec dici poteſt eos eſſe juſtificatos præviè per circumciſionem, cum indubitatum ſit, quòd multi ex illis nondum pertigerant ad 8. diem, quo circumcidebantur. Deinde, etſi nondum actum fortitudinis exercere poterant, neque Chriſtum confiteri, tamen eorum mors in odium fidei inflicta, à Deo acceptatur ad eumdem effectum martyrii, ac ſi eſſet actus à fortitudine elicitus, ut ait S. Aug l. 13. de civit. Deinde, de iis canit Eccleſia: *Deus cujus præconium*

ſolum innocentes martyres non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſunt. Nec denique hîc quidquam obſtat, quòd doceat Trid. ſeſ. 6. c. 4. quòd ſine baptiſmo aut ejus voto non poſſit æterna ſalus obtineri, cum ibi ſolùm agit de caſibus ordinariis; neque caſum martyrii comprehendit.

Dicendum 3. In adulto ad martyrium requiritur varia diſpoſitio: primò ut aliquo modo voluntariè illud ſubeat; cum enim martyrium ſit actus fortidinis, adeoque virtutis moralis, debet eſſe voluntarius. Deinde debet eſſe ex dilectione Dei ſuper omnia: unde Conc. Arauſ. *Fortitudinem gentilium mundana cupiditas: fortitudinem Chriſtianorum Dei Charitas facit*: & S. Aug. l. 4. de bapt. c. 17. *Si propter hoc, quia charitas deeſt, paſſio Hæretico, nihil prodeſt, nec illis prodeſt, quos intus in invidia & malevolentia ſine charitate vivere Paulus dicit, Cyprianus exponit*. Denique perſtat illud Apoſtoli 1. Cor. 13. *Si tradidero corpus meum, ut ardeat, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* *Martyrium adulti.*

Requiritur inſuper in adulto votum baptiſmi, ut expreſsè docet S. Aug. l. 4. de bapt. c. 22. unde, ſi ante martyrium habeat baptiſmi copiam, omnino illum ſuſcipere debet: aliud eſt, ſi habere nequeat, quo caſu votum baptiſmi in amore dicto abunde includitur. Requiritur etiam cauſa patiendi, quæ eſt juſtitia, *beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam*: Aliàs ut notat S. Aug. Diabolus, quem juſti perſequuntur, eſſet dicendus martyr: unde commune dictum: *Martyrem cauſa facit, non pœna*. Debet inſuper martyr vel ſuâ prædicatione, vel vitâ & profeſſione Chriſtianâ reſiſtere tyranno, non itidem viribus; aliàs non conformatur martyrum capiti & prototypo Chriſto, *Qui cum pateretur, non comminabatur*, ſed *ſicut ovis coram tondente ſe obmutuit*: hinc milites in bello pro fide Catholicâ dimicantes & obeuntes, non judicamus martyres. *Cauſa martyrii.*

Quæ

Quæritur qualis baptiſmus ex jam tribus dictis ſit præſtantiſſimus? reſpondeo eum D. Thoma eſſe baptiſmum ſanguinis & ratio eſt, quod nec in baptiſmo aquæ nec in baptiſmo flaminis tam accuratè exprimatur paſſio Chriſti ſicuti in baptiſmo ſanguinis, ut ſicuti Chriſtus verè pro nobis mortuus eſt ità & martyr verè moriatur pro Chriſto. Deindè quod charitas in martyrio ſit maxima & excellentiſſima juxta illud Joan. 15. *Majorem charitatem nemo habet quam ut ponat quis animam ſuam pro amicis ſuis.* Inſuper Eccleſia martyres ſummè honorat credens ſtatim poſt mortem eos eſſe beatos adeò ut juxta ſanctum Aug. injuriam faciat martyri qui orat pro martyre, quæ de aliis baptiſmis dici non poſſunt. His adde aureolam martyrii quibus beati martyres in cœlis coronantur.

Objiciunt hæretici catholicos fabricare hoc modo varia baptiſmata ubi tamen juxta Apoſtolum unus eſt baptiſmus ſicuti una fides. Deindè quod ſoleant etiam res inanimatas baptizare ſcilicet campanas ad quod reſpondeo quamvis à Catholicis aſſerantur eſſe diverſa baptiſmata tamen apud illos ſimpliciter eſſe tantùm unum Sacramentum baptiſmi, in quo reliqua virtute continentur. Baptiſmus enim flaminis & ſanguinis ideò habent effectum baptiſmi fluminis quia abſente ejus copiâ voluntas pro facto reputatur: adeò ut ſi quis baptizatus baptiſmo flaminis deberet ſuſcipere baptiſmum fluminis ſi poſteà haberet copiam illud ſuſcipiendi: appellantur autem uterque baptiſmus quod uterque ſuppleat vicem baptiſmi aquæ, & habeant eundem effectum cum eo ſcilicet remiſſionem peccati originalis. Quod attinet ad baptiſma campanarum notandum eſt campanas ſolummodo benedici ut patet ex pontificali etſi vulgus communiter dicat eas baptizari, niſi fortè baptizari dicuntur quia abluuntur. Nec eſt quod ideò ceremonias illas ut ſuperſtitioſas damnent dum eccleſiam talia ſigna ſimilibus cæremoniis

coap-

coaptat ad fidelium animos ad cultum Dei provocandum, ad auxilium Dei contra diabolum invocandum, &c. Undè etiam pulſari ſolent in tempeſtatibus: dum ut rectè aſſerit Guilielmus Pariſienſis lib. de legibus fol. 44. campanæ ſortiuntur virtutem arcendi fulgura & tempeſtates ex ſuâ conſecratione, non ex aliquâ virtute, quæ campanis inſit, ſed voluntate & poteſtate Omnipotentis, qui ea loca defendit & protegit in quibus earum ſonus auditur. Addunt alii etiam cauſam hujus naturalem, eo quod motus pulſationis campanarum aërem rariorem faciat & denſitatem materiæ diſpergat, undè ulterius ſequitur diſſolutio metheorologicorum, quæ in regione aëris ex concretione materiæ elementaris generantur.

SECTIO XIV.

De Obligatione Chriſtiani orta ex baptiſmo.

Dicendum primò, Sicut ait Apoſtolus ad Gal. 5. *teſtificor autem rurſus omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ:* Sic etiam, qui ſe ſinit baptizari, obligatur ad univerſam legem vitæ Chriſtianæ. Miles, qui nomen dat militiæ, obligat ſe ad opera in militia obſervanda; ita & Chriſtianus, qui dat nomen per baptiſma militiæ Chriſtianæ, tenetur obſervare ea, quæ Chriſtiano præſcribuntur. Unde Conc. Trid. ſeſ. 7. Can. 7. *Si quis dixerit baptizatos per baptiſmum ipſum, ſolius tantùm fidei debitores fieri, non autem univerſæ legis Chriſti ſervandæ; Anathema ſit.* Item: *Si quis dixerit baptizatos liberos eſſe ab omnibus Sanctæ Eccleſiæ præceptis, quæ vel ſcripta vel tradita ſunt, ita ut ea obſervare non teneantur, niſi ſe ſuâ ſponte illis ſubmittere voluerint, anathema ſit.* Huc referri poteſt monitum Conc. Aquiſgranenſis An-

no 816. quod eſt ejuſmodi: *Oportet itaque omnes, qui juxta Apoſtolum in Chriſto baptizati ſumus, Chriſtumque induimus, in novitate vitæ ambulare, ſemperque ante oculos ponere pactum, quod cum Domino in baptiſmate fecimus, ubi abrenuntiavimus ſatanæ, & omnibus pompis ejus, & omnibus operibus ejus. Quod pactum tum irritum fit, cum quis in fide permanendo, vitiis aut à fide exorbitando idolorum cultibus, aut hæreſum erroribus, implicatur.* Unde & Chriſtus expreſsè diſcipulos ad baptizandum emittens admonet Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti, docentes eos ſervare omnia, quæcumque mandavi vobis.* Scandalizantur Laïci improbitate Eccleſiaſticorum, cum ad perfectionem ſpecialiter debeant tendere, & meritò. Verùm confundantur omnes Chriſtiani peccantes, & irritum reddentes baptiſmi juramentum, diabolo rurſum adhærentes, cui renunciarunt, *Qui enim facit peccatum, ex diabolo eſt*, ait Joannes Epiſt. 1. c. 3.

Dicendum 2. naſcitur ex voto in baptiſmate facto, ſpecialis ratio Chriſto adhærendi. Votum illud vocat S. Auguſt. epiſt. 59. *maximum.* Alii, cum Magiſtro 4. ſent. diſt. 38. *commune.* Obligatio hujus pacti juxta aliquos eſt ſub mortali, inter quos eſt Marchant trib. p. 3. tract. 2. tit. 2. q. 1. concl. 2. verùm, etſi SS. Patres ſollicitè ſemper moneant Chriſtianos hujus pacti, & eos vocent ſubinde *tranſgreſſores votorum*: quomodo tamen vi talis voti peccetur, dum pompas Diaboli ſectatur, alibi dictum eſt de voto, ſect. 3. Sollicitè tamen S. Carolus act. p. 4. *ordo bapt. parv.* præſcribit, ut miniſter patrino nomine pueri baptizandi dicat: *Memor eſto ſermonis tui, & numquam tibi excidat, tuæ ſeries cautionis.* Et reſpondet Patrinus, *memor ero.* Unde rectè monet Conc. Pariſ. 2. l. 1. c. 9. *Omnibus fidelibus ſtudendum eſt, ut pactionis, & ſponſionis, quam cum Deo in baptiſmate fecerunt, ſemper ſint memores,*

mores, caveantque ne quibuslibet vitiorum ſordibus ſe maculantes, non ſolùm eumdem ſibi reaccendant ignem: verùm etiam immundum ſpiritum à ſe tempore baptiſmatis expulſum, cum ſeptenario dæmonum numero ſibi addito, ad ſe quoquo modo redire faciat, fiantque illis, ut Dominus ait, noviſſima pejora prioribus.

Hinc etiam ſanctus Carolus act. p. 4. expreſsè admonet concionatores ut cum de baptiſmo loquentur in eo verſentur ut depravatum vitæ morem fidelium exagitet, qui contra quam in baptiſmo ſpoponderint vivant, & carni & mundo, pompiſque ejus, ſatanæ atque illius operibus, Deo autem mortui ſint, & quam laborioſa putent quæ Dei ſunt, quam rurſus facilia, quæ mundi, quæ carnis, quæ ſatanæ. Hinc etiam apud pios Chriſtianos olim invaluêrat mos celebrandi diem baptiſmi ut in memoriam revocarent ſponſionem Deo factam in baptiſmo: de quo ità Synodus Mechlinienſis ſub Matthiâ Hovio 1609. tit. 3. cap. 10. *Religioſi*, inquit, *inſtituti olim fuit, diem baptiſmi qui ſolemni abrenuntiationis ſponſione inſignis eſt quotannis à fidelibus piè celebrari. Quæ ſanè inſtitutio cum ad pietatis chriſtianæ cultum piamque morum diſciplinam non parum adjumenti adferre ſoleat, eam in uſum revocari vehementer in Domino cupimus. Itaque Parochi & confeſſarii prout occaſio tulerit cohortationis officio in id incumbant ut fidelium quorum curam gerunt, unuſquiſque diem illum quo baptizatus eſt, non conviviorum apparatu, non luxu, non operibus tenebrarum cum dies lucis ſit, ſed ardentiori prece, eleëmoſynâ, ſi per facultates liceat, omnique charitatis opere atque officio & pietatis exercitatione ſpiritaliſque gaudii celebritate quotannis recolat, memor ſe Chirographo damnationis deleto hæreditatis cœleſtis participem in Chriſto Domino factum fuiſſe.*

CAPUT TERTIUM.

SECTIO PRIMA.

De Sacramento Confirmationis.

SECUNDO loco ſequitur Confirmatio, non tamen ordine dignitatis, cum Euchariſtiæ Sacramentum ſit longè dignius: neque etiam neceſſariæ ſequelæ, cum ut D. Hieron. contra Lucifer. docet, quòd Diaconi Euchariſtiam poſt Baptiſmum immediatè dabant, abſente Epiſcopo. Luther voluit confirmationem ceſſante dono miraculorum eſſe otioſam cæremoniam: Calvinus docet, eam nihil aliud eſſe, quàm orationem, quæ adhibebatur, quando baptizatus uſu rationis adepto, ſiſtebatur Eccleſiæ, & petebatur, an pro rato haberet baptiſma in infantiâ collatum: hos ambos condemnat Conc. Trid. ſeſ. 7. can. 1. de Confirm. ubi ait: *Si quis dixerit confirmationem baptizatorum otioſam eſſe cæremoniam, & non potius verum & proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuiſſe, quàm Catecheſim, anathema ſit.*

Sacramentum hoc innuit Scriptura dicens act. 8. *Tunc imponebant manus ſuper illos; & accipiebant Spiritum S.* Idem habet c. 19. Idem confirmant omnes SS. PP. de quo ità S. Aug. l. 2. cont. Litteras Petil. c. 104. *In hoc unguento Sacramentum Chriſmatis vult Petilianus interpretari, quod quidem in genere viſibilium ſignaculorum Sacroſanctum eſt, ſicut ipſe Baptiſmus.* Idem poſtea vocat *ſanctum Sacramentum.*

Quandonam Con- Dicendum 2. Variant authores de tempore inſtitutionis hujus Sacramenti: alii in ultimâ Cœnâ inſtitu-

ſtitutum volunt, idque ex Epiſt. 2. Fabiani c. 1. ubi dicit quòd Chriſtus in ultimâ cœnâ Chriſma conficere Apoſtolos docuerit, alii in die Pentecoſtes, alii quando Chriſtus dixit Joannis 20. *Accipite Spiritum S.* quidquid ſit, certum tamen eſt, quòd à Chriſto ſit inſtituta Confirmatio, nam ut ait Clemens Epiſt. 4. de hoc Sacramento ejuſque materiâ diſſerens, *ut à B. Petro accepimus ...... ſancti Apoſtoli præcipiente Domino docuerunt.* *firmatio ſit inſtituta.*

Dicendum 3. Cum D. Thoma 3. p. q. 73. a. 1. ad 3. *Omnia Sacramenta ſunt aliqualiter neceſſaria ad ſalutem, ſed quædam ſunt, ſine quibus non eſt ſalus: quædam verò ſunt, quæ coöperantur ad perfectionem ſalutis: & hoc modo confirmatio eſt de neceſſitate ſalutis, quamvis ſine eâ poſſit eſſe ſalus, dum tamen non prætermittatur ex contemptu Sacramenti.* Hinc per ſe loquendo, non eſt de confirmatione præceptum, quod nec ex Scripturâ Sacrâ, nec Conciliis, nec traditione poteſt oſtendi. Magna tamen hujus Sacramenti eſt utilitas, & aliquibus caſibus quaſi neceſſitas, v. g. ingruente perſecutione, dum adeſt periculum à fide deviandi; ſi inter hæreticos quis habitet, & dum ſæpe ſeſe offert occaſio fidem defendendi. Tali enim caſu cenſetur eſſe magna temeritas, & de propriis viribus præſumptio, negligere tam opportunum remedium pro fide conſervanda & defendenda inſtitutum, adeoque neque excuſandi eſſent eo caſu à virtuali Sacramenti hujus contemptu. Hoc tamen notandum ſummâ ſollicitudine ab Eccleſiâ adhibitum fuiſſe hoc Sacramentum, quaſi neceſſarium, uti etiam aliquando dictum eſſe à SS. PP. hoc Sacramentum Baptiſmo indivulsè connexum; eò quòd Sacramentum hoc eſſet admodum utile, ac Chriſtianum jam Baptiſmo natum roborans & confirmans: unde & *Confirmatio* dicitur. *Neceſſitas Confirmationis.* *Utilitas ejus.*

Omnia prædicta intellige de præcepto expreſſo, varii enim, & quidem meritò, docent aliquod ſal-

tem implicitum præceptum confirmationis, etſi expreſſum non ita firmè oſtendi queat: quod enim dicunt imprimis de præcepto divino dato Diſcipulis act. 1. & repetito Lucæ 24. ne Apoſtoli diſcederent Jeroſolymis, ſed expectarent promiſſionem Patris, id eſt, Spiritum Sanctum; & ut ait Lucas, quod ſederent in civitate, donec induerentur virtute ex alto: item, quod Apoſt. Petrus 1. cap. 5. admoneat, ut diabolo tamquam leoni rugienti, & quærenti, quem devoret, reſiſterent fortes in fide: & conſequenter videatur omnibus eſſe præceptum divinum confirmationis ſuſcipiendæ, non ſatis conſtat. Quod enim ad primum attinet, dici poteſt, tale præceptum datum eſſe Apoſtolis, non tam ob gratiam gratum facientem, quam ob gratias gratis datas, ſine quibus munus Apoſtolicum eo tempore ſubire non potuiſſent. Deindè, quod ad aliud attinet, veroſimilius eſt, quod Apoſtolus Petrus ibi admoneat fideles, ut cum omni ſollicitudine ſibi caveant ab inſidiis diaboli, orando Deum & vigilando, ne intrent in tentationem ipſius: quod certè ſine Sacramento Confirmationis obtineri poteſt. Cum primarius effectus Sacramenti Confirmationis ſit roborare Baptizatum in fide.

Quod autem attinet ad præcepta Eccleſiaſtica cap. *Omnes fideles, de conſecrat.* q. 5. Ubi dicitur omnes fideles poſt Baptiſma debent accipere Spiritum Sanctum per impoſitionem manuum Epiſcopi, ut plenè Chriſtiani inveniantur: & iterum quod cap. *Jejunii* dicatur, quod numqnam erit Chriſtianus, niſi confirmatione Epiſcopali fuerit chriſmatus: & Can. *De his* quod Baptiſmus ſine Confirmatione non ritè perficiatur, & alia his ſimilia, non poteſt tamen ex iis firmiter adſtrui præceptum explicitum Confirmationis. Imprimis enim Chriſtiani non obligantur ad plenitudinem omnimodam hominis Chriſtiani, ſed ſufficit ea plenitudo per Baptiſma aliis Sacramentis & bonis operibus perfi-

perficienda. Aliàs enim jam morituris eſſet neceſſariò Confirmatio conferenda.

Alia intellige, quod ſine Confirmatione non ſint pleni Chriſtiani, nec unum ſine altero poſſit ritè perfici, ſubintelligendo juxta ordinarium ritum & conſuetudinem Eccleſiæ veteris vel modernæ: illa enim ſolebat hoc Sacramentum ſtatim conferre poſt Baptiſma, hæc autem omnibus, dum adeſt commoditas eam ſuſcipiendi ſupereſt ergo, quod aliqualis implicita obligatio admittenda ſit ex natura rei, quod doctè declarat Eſtius in quartum diſt. 7. §. 18. dicens: quod quamvis expreſſum de hoc Sacramento ſuſcipiendo præceptum nuſquam legeretur; illa tamen Sacramenti ad talem finem peculiaris ordinatio tacitam præcepti vim continere videtur, apud eos ſaltem, quibus commoditas ejus ſuſcipiendi non deeſt: deindè, quia etſi non negemus, ait, robur illud ſpirituale ſine hoc Sacramento ejuſve voto haberi poſſe: cujuſdam tamen præſumptionis eſt, non ſequi viam ordinariam, quæ per Sacramenta ordinatur ad tantum bonum conſequendum, vel omnino bonum illud ſe jam conſecutum eſſe putare Sacramento nondum ſuſcepto. Addi denique poteſt, quod hoc Sacramentum non videatur poſſe à quoquam deliberatè omitti per totum vitæ tempus ſine aliquo virtuali contemptu: dum vix poteſt adeſſe juſta cauſa tanti boni negligendi, quod tam facilè haberi poteſt. Hinc etiam in veteri Eccleſiâ olim ſtatutum eſt, ut cujus filius ſine Confirmationis Sacramento mortuus eſſet, quorum negligentiâ id factum fuerat, pœnitentiam agerent tribus annis.

SECTIO II.

De Materia Confirmationis.

Quid ſit Chriſma.

DICENDUM primò, materia Confirmationis eſt Chriſma, hoc eſt unguentum ex oleo & balſamo, ſolemni Epiſcopi conſecratione confectum. Materia hæc perquam opportuna eſt, ad ſignificandos effectus hujus Sacramenti, oleum enim roborat, ſanat, & à rubigine conſervat: balſamum itidem à putrefactione conſervat, bono odore fragrat, &c. Quò ſignificatur confirmationem hominem roborare, & in fide confirmare, & ut Chriſti bonus odor ſit in omni loco. An autem Chriſma ſit materia neceſſaria hujus Sacramenti, non ita convenit inter DD. Morinus l. 9. de pœnit. c. 9. num. 10. docet Græcos antiquos ſolâ manuum impoſitione confirmaſſe, imò S. Cyprianum Latinum in eâdem ſententiâ fuiſſe affirmat. Verùm nullo fundamento hoc adſtruitur, Eccleſiæ quid ſimile fuiſſe conceſſum, etſi Apoſtolis hoc conceſſum eſſe, concedamus, aliàs modo ſola manûs impoſitio eſſet materia ſufficiens: adde, quòd S. Baſilius l. de Spiritu Sancto doceat inter varias Apoſtolicas traditiones, *Conſecrari aquam Baptiſmi & oleum unctionis.* Idem tradit S. Auguſt. vocatur interim ſæpè Confirmatio *manuum impoſitio*, vel à primo Apoſtolorum ritu in collatione hujus Sacramenti, quibus ſpecialiter hoc indulgebatur, juxta D. Thom. 3. p. q. 72. a. 2. vel quòd ille, qui inungit, manus imponat. Sic rectè dicit Conc. Flor. loco impoſitionis manuum Apoſtolorum, dari nunc in Eccleſiâ confirmationem, eò quòd illud, quod tempore Apoſtolorum vocabatur *manus impoſitio*, jam dicatur *confirmatio*, etſi ſit unum & idem Sacramentum.

Undenam confirmatio dicatur impoſitio manuum.

Dicen-

Dicendum 2. Verius apparet, quòd balſamum requiratur ad valorem confirmationis: patet hoc ex antiquâ Eccleſiæ praxi, ob quam Greg 7. l. 8. Epiſt. 1. redarguit armenos, quòd contra Eccleſiæ morem non ex balſamo S. Chriſma, ſed ex butyro conficerent. Idem docent Concilia aſſignantia materiam hujus Sacramenti. Nec objici poteſt, balſamum nullibi reperiri, quaſi verò Pontifices præſcripſiſſent rem impoſſibilem: imò D. Hieronymus tempore ſuo illud creſcere ſcribit in vineis Engaddi: deinde contrarium experientiâ conſtat. Denique, etſi ſit res rara, tamen modica ejus quantitas magnam olei maſſam ſuâ activitate poteſt pervadere & penetrare. *Balſami neceſſitas.*

Alii tamen dictis contrarium ſuſtinent, eo quòd Innocentius III. cap. *Paſtoralis* de Sacramentis non iterandis, conſultus, an qui per errorem ſolo oleo ſine balſamo fuiſſet linitus, deberet reconfirmari: Reſp. *Nihil in talibus iterandum, ſed cautè ſupplendum, quod incautè fuerat prætermiſſum.* Inſinuans balſamum ad valorem Sacramenti non eſſe requiſitum. Verùm infundatè: ſolùm enim docet Pontifex, Sacramenta imprimentia characterem, non poſſe iterari; deinde debere ſuppleri: quod fuerat prætermiſſum, non ſolùm balſamum, quod non niſi in ordine ad oleum adhiberi ſolet: ſed balſamum cum oleo, puta materia Sacramenti Confirmationis.

Dicendum tertiò, Verius quoque apparet, Chriſma ab Epiſcopo debere eſſe benedictum, adeò ut confirmatio in oleo non benedicto collata, ſit pœnitus nulla. Benedictionem hanc exigit Conc. Flor. & continua Eccleſiæ praxis. Hæc benedicendi facultas, ne quidem ſuperioris diſpenſatione poteſt ſimplici Sacerdoti conferri: undè Montanus Archiep. Toletanus Præſes 2. Synod. Tolet. *nova*, ait, *præſumptio præſidentium vobis Preſbyterorum noſtrum pulſavit auditum, ſi tamen nova & non deteſtabilis* *Benedictio Chriſmatis, debet fieri ab Epiſcopo.*

bilis dici poteſt, quæ ab initio fidei numquam niſi nunc ſubrepſiſſe probatur, ut id, quod per manus Summi Pontificis trinæ Divinitatis invocatio ſanctificare conſuevit, Presbyter ignarus diſciplinæ, conficere ſibi Chriſma præſumeret. Pro quo notandum, diu in Eccleſia viguiſſe errorem, & præſertim in Hiſpania, quòd ſimplex Sacerdos ſit Epiſcopo poteſtate æqualis, quod falſum eſſe plures Pontifices confirmarunt. Denique in hâc & aliâ materiâ res ſatis eſt incerta, cum tota pendeat à voluntate Chriſti, de qua nobis, non niſi Eccleſiæ praxi conſtat.

Chriſmate novo hîc utendum. Dicendum 4. Ex præcepto Eccleſiæ tenetur Miniſter adhibere Chriſma illius anni, veteri combuſto, ſi tamen in vetuſto Chriſmate illud Sacramentum conferret, teneret Sacramentum. Legem hujus, etiam in Conc. Carthag. 4. c. 36. invenies, quod ſic habet, *Presbyteri, qui per Diœceſes Eccleſias regunt, non à quiſlibet Epiſcopis, ſed à ſuis, nec per juniorem Clericum, ſed omni anno, aut per ſe ipſos, aut per illum qui Sacrarium tenet, ante Paſchæ ſolemnitatem Chriſma petant.* Idem habet Fabianus Pontifex Epiſt 2. ad Epic. Otientales.

SECTIO III.

De forma & Miniſtro Confirmationis.

Forma Confirmationis. Dicendum primò, His verbis forma Confirmationis abſolvitur præmiſſo confirmandi nomine: *Signo te ſigno crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis in nomine Patris & Filii, & Spiritûs S.* aut aliâ huic æquivalente. Hinc valida eſt hæc Græcorum forma: *Signaculum doni Spiritûs S. Amen.* Nam Urbanus VIII. erexit congregationem Cardinalium, ut corrigerent rituale Græcorum, nec aliquid circa hanc formam fuit immutatum, & poſteà recuſum; Undè patet, eſſe hanc formam impli-

implicitè ab Eccleſiâ approbatam. Neque dici poteſt, quòd dicta Græcorum forma non reddat ſenſum idoneum, aut non exprimat perſonam confirmantis, quod tamen ad debitàm formam requiritur: cum dicta forma ex Eccleſiæ praxi ſit ſatis ad id idonea, & actus miniſtri in actu exercito ſatis declaratur, uti actus dandi ſatis innuitur, dum quis pauperi præbet panem, etſi non dicat, *do tibi panem.* Hinc collige primò, quòd ad debitam confirmationis formam non requiratur, quòd indicativo modo proferatur, nec ſignatio crucis, neque illa verba *Chriſmate ſalutis*, nec geminatio, *ſigno te,* aut *confirmo te*, nec expreſſio Trinitatis, quod etſi exigat Conc. Florent. illud tamen non exigit ut neceſſarium ad formam Confirmationis, ſed ut obſervandum ab Armenis, qui in variis errabant, quos proindè inſtruit Florentinum.

Dicendum ſecundò, Ordinarius hujus Sacramenti Miniſter & Epiſcopus. Patet illud ex variis Conciliis & SS. PP. Verius tamen exiſtimo, quòd ex commiſſione aut diſpenſatione ſuperioris, poſſit munus illud committi ſimplici Presbytero. Probatur hoc ex Toletano I. ubi interdicta Chriſmatis conſecratione Presbyteris: ſubditur: *Statutum eſt Diaconum non Chriſmate, ſed Preſbyterum abſente Epiſcopo, præſente verò, ſi ab ipſo fuerit præceptum.* Neque ullo modo dici poteſt, ſermonem hîc eſſe de Chriſmatione cæremoniali, cum illam in Baptiſmo Presbyteris licitam eſſe manifeſtum ſit, adeóque reſtat, ut intelligantur dicta Concilii verba de confirmatione. Deinde, dum dicit Florentinum *Ordinarium* Miniſtrum Confirmationis eſſe Epiſcopum, ſatis innuit, delegatum poſſe eſſe alium. Imo fecit illud idem Gregorius Magnus, qui l. 9. Epiſt. 3. conceſſit id Sacerdotibus Sardiniæ, ut in locis Epiſcopo deſtitutis, confirmarent: idem fecerunt Nicolaus IV. Joannes XXII. Adrianus VI. Gregorius, ex quo ſequitur, quòd quando Pontifex aut alii

Miniſter Confirmationis.

alii aſſerunt, miniſterium Confirmationis ſolis Epiſcopis reſervari, intelligendi ſint, de miniſterio ordinario, non itidem delegato.

Ratio autem, quare Confirmationis adminiſtratio reſervetur Epiſcopis, aſſignatur à Sancto Thomâ 3. p. q. 72. a. 11. in corp. *Dicendum, quod in quolibet opere ultima conſummatio ſupremæ arti aut virtuti reſervatur: hic autem Confirmationis Sacramentum, eſt quaſi ultima conſummatio Sacramenti Baptiſmi: Ita ſcilicet, quod per Baptiſmum ædificatur homo in domum ſpiritualem & conſcribitur, quaſi quædam ſpiritualis Epiſtola. Sed per Sacramentum Confirmationis, quaſi domus ædificata in templum Spiritûs Sancti, & quaſi Epiſtola conſcripta ſignatur ſigno crucis: & ideò collatio hujus Sacramenti Epiſcopis reſervatur, qui obtinent ſummam poteſtatem in Eccleſiâ: ſicut & in primitivâ Eccleſiâ per impoſitionem manûs Apoſtolorum, quorum vices gerunt Epiſcopi, plenitudo Spiritûs Sancti dabatur, ut habetur Act. 8.*

SECTIO IV.

Quinam poſſint & debeant confirmari.

Pueri. DICENDUM primò, Hujus Sacramenti capaces ſunt infantes, imo olim illis ſimul cum Baptiſmo, conferebatur & Confirmatio, uti patet ex *Amentes.* Tertull. l. de Bapt. c. 7. his æquiparari poſſunt perpetuo amentes, qui, etſi ſine Sacramenti hujus, qui eſt fortis pugna pro fide, numquam gaudebunt, *Energumeni.* capaces tamen ſunt majoris gratiæ & gloriæ, quæ confirmatio c[illegible]ſat. Imo energumenis non eſt confirmatio deneganda, non minus quàm S. Euchariſtia.

Quo tempore debeat confirmatio [illegible]*cipi.* Dicendum 2. Etſi ex communi Eccleſiæ uſu expectetur in confirmandis pueris ſeptennium, ſive uſus

uſus rationis: tamen tempus illud aliquando prævenire licitum eſt, imò & admodum utile, puta ſi ante ſeptennium ratione utantur: ſi adſit copia confirmantis, quæ diu poſt, haberi non poterit, uti aliquando fit in partibus hæreticis & aliis. Imò in illis partibus tempus illud prævenire convenit, cum pueri hæreticorum dolis ſint expoſiti quibus gratia confirmationis plurimum neceſſaria eſt, ad illis reſiſtendum; maximè, quòd, *Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem teſta diu.* Expectatur verò paſſim uſus rationis, ut majori cum devotione & fructu Sacramentum illud recipiant, & recordentur confirmationis receptæ, ne iteretur cui utilitati præponderat timor periculi ſubverſionis in partibus hæreticis, adeo ut præſtet certò accipere minorem gratiam, quàm cum periculo majorem expectare.

Dicendum 3. Si Epiſcopus ob aliquam cauſam juſtam parvulo necdum ſeptenni hoc Sacramentum cenſuerit conferendum; ejus parentes vel ejus curam gerentes moneat, ut ætate procedente eos de ea re certiores faciant: ne parentibus, curatoribuſque poſtea mortuis, ipſi aliquando dubitent; an hoc Sacramentum, quod iterari nefas eſt, ſuſceperint. Ita monet Conc. Mediol. 5. Tit de Confirm.

An debeat ſuſcipi jejunè, aut primò confiteri.

Dicendum 4. Canone *Ut jejuni*, de Conſecrat. Diſt. 5. habetur, ut jejuni accedant ad Sacramentum Confirmationis, & admoneantur prius confiteri ſua peccata. Praxis tamen innuit primum non eſſe neceſſarium, dum poſt meridiem illud Sacramentum aliquando poſſit conferri, atque etiam veſpere. De confeſſionis verò neceſſitate ante Confirmationem, non videtur hic quidquam firmiter ſtatutum. Adeo ut liceat cum venialibus ſine confeſſione illud Sacramentum accipere: & Conc. Trid. ſeſ. 13. cap. 7. confeſſionem neceſſariò præmittendam docet ante S. Euchariſtiam. Deinde, Can. *ut*

jejuni

jejuni, non præcipit confeſſionem jejunis, ſed ſolùm ad eamdem hortatur. Denique ea de re ita ſcribit Catechiſmus Rom. p. 2. de Confirm. num. 15. *Qui adultâ jam ætate confirmandi ſunt, ſi quidem hujus Sacramenti gratiam, & dona conſequi cupiant, eos non ſolùm fidem, & pietatem adferre, ſed graviora etiam peccata, quæ admiſerunt, ex animo dolere oporteat. Quâ in re allaborandum eſt, ut peccata etiam prius confiteantur, & Paſtorum cohortatione ad jejunia, & alia pietatis opera ſuſcipienda incitentur: admoneanturque laudabilem illam antiquæ Eccleſiæ conſuetudinem renovandam eſſe, ut non niſi jejuni hoc Sacramentum ſuſciperent; quod quidem fidelibus facile perſuaderi poſſe exiſtimandum eſt, ſi hujus Sacramenti dona, admirabileſque effectus intellexerint*, ubi Catechiſmus ſolum docet ad confeſſionem allaborandum eſſe, & ut jejuni accipiant admonendos.

Dicendum ultimò: Si quos præmaturè parentibus orbatos, vel alios quoſcumque poſt debitam inquiſitionem adhuc dubitare contingat, num Sacramentum hoc ſuſceperit, nec ne: illi dubium ſuum Epiſcopo exponant, aut aliis ad hoc deputatis, v. g. Paſtoribus, ut ſub conditione confirmentur. Ita ſtatuit Synodus Mechlin. tit. 4. de confirm. 1609.

SECTIO V.

De effectibus & cæremoniis Confirmationis.

Dicendum primò, Confirmatio confert gratiam & robur ad confitendam fidem animo libero, unde hoc Sacramento dicimur fieri *milites Chriſti*: item ſicuti Baptiſmo efficimur quaſi geniti infantes, ita confirmatione induimur virtute ex alto, prout in diſcipulis poſt ſuſceptionem Spiritûs S. contigit, qui egreſſi coram Regibus & tyrannis non

eru-

erubeſcebant Evangelium, ſed animo & ore libero Chriſtum prædicabant, eumque Crucifixum.

Dicendum 2. Confert confirmatio characterem, ratione cujus eſt initerabilis. Unde S. Cyprianus Serm. de ablut. pedum; *Nemo ſacro Oleo lita, iterum linit.* Idem docet Conc. Trid ſeſ. 7. can. 9. quod ita habet: *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale & indelebile, unde ea iterari non poſſunt, anathema ſit.*

Notandum autem, quod character confirmationis neceſſariò præſupponat characterem Baptiſmi: adeò ut, ſi quis non eſſet baptizatus Sacramentum Confirmationis non teneret, nec imprimeret characterem. Rationem hujus aſſignant plerique DD. quod baptiſmus ſit janua aliorum Sacramentorum: adeo ut nullum Sacramentum teneat, ſi antè Baptiſmum ſuſcipiatur. Verùm juxta dicta de Baptiſmo ſect. 1. ratio illa parum firma eſt, ubi diximus, quod ſi quis bonâ fide credens ſe baptizatum, ſumeret Euchariſtiam, & de cætero dignè accederet, Euchariſtia ex opere operato conferret gratiam. Deindè, ideò Baptiſmus dicitur janua Sacramentorum, quod ordinariè antè alia Sacramenta ſuſcipiatur. Vide ibi dicta. Undè meliorem rationem dat Sanctus Thomas 3. p. q. 72. a. 3. in corp. dicens. *Dicendum, quod character confirmationis ex neceſſitate præſupponit characterem baptiſmalem. Ita ſcilicet, quod ſi aliquis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet: ſed oporteret iteratò ipſum confirmari poſt Baptiſmum. Cujus ratio eſt, quia ſic ſe habet confirmatio ad Baptiſmum, ſicut augmentum ad generationem: manifeſtum eſt autem, quod nullus poteſt promoveri in ætatem perfectam, niſi primo fuerit natus. Et ſimiliter, niſi primo aliquis fuerit baptizatus, non poteſt Sacramentum confirmationis ſuſcipere.*

Dicendum 3. In confirmationis collatione adhiberi

beri ſolet patrinus, qui confirmandum Epiſcopo offerat, ratione cujus contrahitur cognatio ſpiritualis ſimilis illi, quam diximus contrahi in patrino baptiſmi. Sicut enim pueri Pædagogo indigent, ita & directore illi indigent, qui militiæ Chriſtianæ ſeſe mancipant, unde & in bello videmus capitaneos, centuriones & alios qui alios milites in re militari inſtruant. Optandum autem eſſet (ſi fieri poſſet) ut nomina ſuſceptorum in acta regererentur à Paſtoribus, ne ejus defectu ſacrilega ſubinde matrimonia ſequerentur.

Deinde confirmati maxillam levi pugnâ Epiſcopus verberat, quo oſtenditur, quòd confirmatus ad probra & verbera pro Chriſto ſuſtinenda paratus eſſe debeat, & ad illud per confirmationem gratiam confirmato eſſe collatam.

Rurſum frons confirmati faſciâ ſolet ligari, tum ob reverentiam ſacro oleo debitam: tum ut ſignificetur, gratiam Sacramentalem ſedulò eſſe cuſtodiendam. Quanto tempore faſcia illa poſt confirmationem geſtari debeat, præſcribit cujuſque Eccleſiæ conſuetudo; alii ad 7. alii ad 4. alii ad 3. dies illud geſtandum volunt alii in provectioris ætatis confirmatis illicò poſt confirmationem removent: in pueris vero ad 2. aut 3. dies continuatur, ut melius collatæ confirmationis recordentur: ſic etiam illicò amoveri poteſt, ſi confirmatus degat in locis Hæreticorum, quo fit, ut ſine incommodo tali faſciâ ligatus, non poſſit prodire in publicum. Cujuſque interim Eccleſiæ praxis eſt hîc obſervanda.

Praxis etiam invaluit confirmati nomen in baptiſmo datum invariare, vel etiam novum ſuperaddere priori, etſi non ita expediat, uti in baptiſmo.

Denique ſolet confirmato dari pax ut intelligat, ait Catechiſmus Rom. num. 20. ſe gratiæ cæleſtis plenitudinem & pacem, quæ exuperat omnem ſenſum, conſecutum eſſe; addens hæc omnia à Paſtoribus, non tam nudis verbis, & oratione, quam inflam-

inflammato quodam pietatis ſtudio explicanda eſſe, ut ea in animis, intimiſque fidelium cogitationibus inſerere videantur.

SECTIO VI.

De Obligatione Chriſtiani ex Confirmatione.

Dicendum primò, Sicuti miles per omnia principi ſubjicitur, adeo ut ſi opus ſit, pro eo vitæ diſcrimen ſubeat: ita homo confirmatus, novus Chriſti miles effectus, per omnia ſuo capiti Chriſti ſeſe ſubjecit, adeò ut eumdem neque timore vitæ amittendæ poſſit erubeſcere. Tenetur ergo ut miles ſtrenuus Chriſtum liberè tum vitâ, tum verbo prædicare, quem ſi erubeſcat, crimen læſæ Majeſtatis divinæ incurret, & eumdem filius hominis erubeſcèt, cum venerit in Majeſtate ſua. Si perſecutiones ingruant, nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem occidere non poſſunt: conſiderandum eſt, ſervum non eſſe ſupra Magiſtrum, & omnes qui piè volunt vivere in Chriſto, perſecutionem paſſuros. Si veritas Chriſtiana ſit pronuntianda, etſi res odioſa ſit veritas & odium pariat, liberè tamen Chriſtus, qui ſe veritatem dicit, eſt confitendus: *Malint* cum Joanne Bapt. *injuſta ſuſtinere, quàm juſta non dicere*, ſicut de eodem ait S. Aug. hæc enim eſt ſæculi noſtri perverſitas, odiſſe veritatem, amare duplicem falſitatem: prudentia carnis prudentiæ Chriſtianæ longè prævalet & ſupereminet: Unde nihil miri, ſi mundus veraces inſequatur & perſequatur. Quare confirmato hoc in corde & ore ſit fixum, quod ait Apoſtolus Rom. 1. *Non enim erubeſco Evangelium.* Et illud S. Chryſoſt. ſerm. de Martyribus tom 3. *Chriſtiane .... exere vires, atrociter in prælio iſto concerta. Conſidera pactum, conditionem attende, militiam*

 noſce:

noſce: pactum quod ſpopondiſti, conditionem quã acceſſiſti, militiam cui nomen dediſti.

CAPUT QUARTUM.

De Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

SECTIO PRIMA.

Quid ſit Sacramentum Euchariſtiæ.

Dignitas Euchariſtiæ.

DICENDUM primò, cùm Conc. Trid. c. 11. ſeſ. 13. *Salvator noſter diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc inſtituit in quo divitias divini ſui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium ſuorum, & in illius ſumptione colere nos ſui memoriam præcepit, ſuamque annuntiare mortem: donec ipſe ad judicandum mundum veniat.* Sacramentum illud omnium Sacramentorum eſt excellentiſſimum, eò quòd ultra gratiam omnibus Sacramentis communem effectum, ipſum gratiæ auctorem in ſe ante uſum etiam Sacramenti contineat. Quòd verò Euchariſtia ſit Sacramentum, res de fide eſt indubitata.

In quo ſita ſit ratio Euchariſtiæ.

Dicendum 2. Sacramentum hoc non conſiſtit in re tranſeunte, puta ſumptione, ut volunt Lutherani: nec in ſigno, ut vult Calvinus: ſed conſiſtit in re verè permanente, unde Conc. Trid. ſeſſ. 13. can. 4. *Si quis dixerit peractâ conſecratione, in admirabili Euchariſtiæ Sacramento non eſſe Corpus & Sanguinem Domini, ſed tantùm in uſu, dum ſumitur, non ante vel poſt, anathema ſit.* Vide etiam can. 7. & cap. 3. & 6. Sacramentum enim hoc perficitur conſecratione, quæ diu ante ſumptionem ponitur.

Dein-

Deinde hoc requirit ſenſus verborum, accipite, *hoc eſt enim Corpus meum*, id eſt, illud quod trado vobis, eſt Corpus antequam detur aut ſumatur. Inſuper aliàs Euchariſtia eſſet opus ſuſcipientis, non conſecrantis, cùm ſuſcipiens illam ſumat & eâ utatur: unde ſumptio nihil eſt aliud, niſi uſus Sacramenti, & ad ſummum ſignificat gratiam, tamquam conditio ſine qua non. Ex quo ſequitur, quod ne quidem verba propriè loquendo ad eſſentiam hujus Sacramenti pertineant, cùm ſint res tranſeuntes. Dicuntur tamen verba à Florentino eſſe forma hujus Sacramenti, non quâ intrinſecè Sacramentum illud conſtat, ſed quâ perficitur, id eſt forma efficiens, non informans aut componens. Unde ſignanter ait Conc. Sacramenta *perfici rebus, verbis, &c.* Non verò ait, *conſtare aut componi.* Quatenus tamen verba conſecrationis determinant ſignificationem ſpecierum per ſe indifferentem, extrinſecè ad hoc Sacramentum pertinent, & moraliter manere cenſentur, quamdiu ordo ille & connexio ſpecierum ad verba manent, quæ eſt, quamdiu manent ipſæ ſpecies. *Quomodo verba ſint forma Euchariſtiæ.*

Dicendum 3. Propriè hoc Sacramentum comprehendit compoſitum ex ſpeciebus conſecratis & Corpore & Sanguine Chriſti. Eo modo optimè intelliguntur SS. PP. dum docent Euchariſtiam conſtare re terrenâ & divinâ, dum aſſimilant Euchariſtiam Verbo Incarnato, in quo ſunt duæ naturæ, ſcilicet humana & divina, & tamen eſt unica perſona Chriſti, ita & hoc unicum eſt Sacramentum. Deinde prædicta gratiam ſignificant & conferunt, ſuntque ratione ſpecierum ſigna ſenſibilia. Dicuntur tamen ſubinde ſpecies *Sacramentum tantùm*, non quod Euchariſtia in eis ſolis conſiſtat, ſed quod ratio ſigni ſenſibilis à ſpeciebus deſumitur, & Corpori Chriſti communicatur, unde per Synecdochem dicuntur ſpecies *Sacramentum tantum.* Sic etiam dicitur Corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia, unde videri poſ- *Quid Sacramentum tantùm.*

 ſet,

ſet, eſſe quid ab Euchariſtia diſtinctum, ſed notandum eſt, quod Corpus Chriſti dicatur eſſe in Euchariſtia ut pars in toto, anima in homine.

Species ſunt quaſi materia. Dicendum 4. Species ſunt quaſi materia in hoc compoſito, & Corpus Chriſti tamquam forma. Sicut enim illud quod eſt nobilius, & à quo aliud accipit ſuam perfectionem eſt forma in compoſito eſſentiali; ita hîc pariformiter Corpus Chriſti dicitur quaſi forma, eò quod omnem ſanctificandi vim, ſpecies à Chriſti Corpore recipiant.

SECTIO II.

Quænam ſit materia Euchariſtiæ.

Materia Euchariſtiæ. Dicendum primò. Materia Euchariſtiæ eſt panis triticeus & vinum de vite. Probatur hoc ex Florent. Lateranenſi & Trident. ſeſſ. 13. 21. 22, &c. Ratio ejus præcipua eſt voluntas Chriſti inſtituentis. Ratio congruentiæ eſt, quod Euchariſtia ſit nutrimentum animæ, quo anima nutritur, ſicut corpus pane & vino: Item hâc materiâ ſignificatur fidelium communio, quia ſicut ex multis granis unus panis, & ex multis racemis unum vinum prodit: ita ex multis fidelibus unum corpus Eccleſiæ exſurgit.

Panis qualis eſſe debeat. Dicendum 2. Panis hîc debet eſſe triticeus, & uſualis: panis verò eſt compoſitum artificiale conſtans granis in farinam redactis, & ex aqua granis immixtâ coctum. Hinc inferes, quod panis conſtans aliis granis, quam triticeis, non ſit apta materia conſecrationis, v. g. ſi ſit panis ex hordeo, millio, oriza, granis indicis, caſtaneis, &c. *Triticeus.*

Siligo, ſpelta. De ſiligine, ſpelta, farre alii univerſim negant, alii affirmant, quæ ſentiendi diverſitas, ex diverſa acceptione vocis *tritici*, quod aliquando ſignificat ſpe-

ſpeciem generalem, prædicta tria ut individua ſub ſe continentem. Valida quoque erit materia, ſi alia grana tritico admiſceantur, ſic ut triticum prædominetur, uti etiam ſi aliquot grana ſalis, aliquæ guttæ aquæ roſaceæ admiſceantur, ſic ut maneat panis verè uſualis.

Dicendum 3. Grana tritici debent in farinam redigi, unde grana tritici integra, etſi per coctionem ſibi invicem adunata, non ſunt apta materia, eò quod non ſint panis uſualis. Hinc etiam panis ex furfuribus non valet ad conſecrandum, cùm debeat panis uſualis eſſe ex medulla tritici, panis verò furfureus non eſt panis hominum uſualis, ſed caninus.

Dicendum 4. Liquor, quo debet farina in maſſam componi, debet eſſe aqua naturalis, aliàs ſi melle, butyro, aut oleo componatur, erit potiùs placenta aut laganum, quàm panis uſualis. Idem dic, ſi adhibeatur maſſæ illi piper, caſeus, &c. Debet inſuper hæc dicta maſſa eſſe igne cocta, non elixa; undè maſſa cruda farinæ, uti & in ſartagine frixa, non eſt apta conſecrationis materia, eò quod non ſit panis uſualis. Perinde tamen eſt, ſive maſſa illa coquatur in furno, ſeu ſub cinere in vaſe, modò ſolo igne coquatur: unde & ex uſu Eccleſiæ coquitur in ferrea lamina, ut major puritas panis poſſit haberi.

Dicendum 5. Panis ex amylo non videtur eſſe materia ſufficiens. Ratio eſt, quod triticum ex reſolutione ſui in amylum corrumpatur, primò enim triticum contunditur, miſcetur aquâ, & calore ſolis aut alio vehementi exſiccatur: unde ad ſummum erit materia dubia.

Dicendum 6. Panis elixus in juſculum non eſt valida materia, uti & azymus panis rubro colore puta cinnabrio confectus, quo litteras obſignamus; Ratio eſt, quod panis ille non ſit uſualis, adeoque etſi fortè hoſtia non mutetur phyſicè, mutatur ta-

men moraliter, unde vocatur alio nomine, quàm panis.

SECTIO III.

An panis ille debeat neceſſariò eſſe azymus.

Chriſtus in azymo pane conſecravit.

Dicendum primo, Chriſtus conſecravit in azymo pane, eò quod inſtituerit S. Euchariſtiam tempore dierum azymorum, quo ſub pœna mortis fermentum in Iſraël eſſe non poterat. Pro cujus intelligentia notandum eſt, Judæos debuiſſe celebrare Paſcha lunâ 14. ad veſperam menſis, *Niſan*, qui ex parte Martio & parte Aprili noſtro correſpondet; annos verò computabant per 12. Lunationes, adeò ut eorum annus minor erat noſtro ſolari XI. diebus: unde habebant annos intercalares, ut motui ſolis ſeſe conformarent. Annos autem incipiebant à menſe *Niſan*, id eſt à novi-lunio illo, quod eſt propè æquinoctium vernum. Quo poſito contendunt Græci, quod Chriſtus illum diem 14. anticipaverit, & celebraverit Paſcha Lunâ 13. licet cæteri Judæi id facerent Lunâ 14. Ratio eſt, quod Joan. 18. de ipſa die Mortis Chriſti dicatur de Judæis, *Non introierunt in prætorium, ne contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha*. Et c. 19. dicitur, *erat autem paraſceve Paſchæ*. Ad quæ volunt aliqui, quod Judæi diem Paſchæ, ob Chriſti occiſionem immutaverint, vel in Sabbathum tranſtulerint, uti moris erat Judæis, ſi feſtum aliquod immediatè Sabbathum præceſſiſſet, cùm illi populo moleſtum erat obſervare duo feſta conſequenter, quod ex antiqua Eſdræ traditione deducebant: verùm meliùs reſpondent, qui dicunt, per *Paſcha* dictis locis, non intelligi Agnum Paſchalem, ſed alias victimas Paſchales, quas tempore 7. dierum azymorum quotidie offerebant, quæ victimæ vocantur etiam *Paſcha*, quibus veſci non

po-

poterant, niſi mundi. Patet hoc ex Joſepho l. 3 antiq. & Auguſt. l. 5. qq. V. T. q. 24. Dicitur autem *Paraſceve Paſchæ*, non quod eſſet *paraſceve*; id eſt præparatio ciborum ante Paſcha, ſed ante Sabbathum, quod incidebat in diem aliquem azymorum.

Objiciunt, quomodo ergò expreſsè dicit Joannes c. 3. de omnibus Chriſti factis in ultima cœna, *ante diem feſtum Paſchæ:* Item quomodo c. 19. dicat: *Erat enim magnus dies ille Sabbathi*, quare *magnus*, niſi quia in eo celebrabant Paſcha? Reſp. per diem Paſchæ non intelligi totum diem feſtum, qui incipiebat ab occaſu ſolis diei 14.& durabat ad occaſum ſolis diei 15. ſed capitur pro ipſo die 15. uſuali ſeu naturali, ante quem celebravit veſpere Paſcha. Deinde vocatur ille *Dies magnus Sabbathi*, eò quod Joannes ſcribens Chriſtianis de Judæis, innuat, quanto honore diem Sabbathi colerent, unde vel per exaggerationem, vel Ironiam vocat eum *magnum*, cùm jam Sabbatha cum aliis legalibus forent abolita.

Dicendum 2. Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum poſt cœnam communem, quam ante cœnam Paſchalem adhibebant, eò quod cœna Paſchalis naturæ ſuſtentandæ non ſufficeret: unde canit Eccleſia: *Poſt agnum typicum expletis epulis, Corpus Dominicum datum Diſcipulis.* *Inſtituit poſt cœnam communem.*

Dicendum 3. Uſu Chriſti edocta Eccleſia Romana, celebrat in pane azymo. Et quamvis valeat conſecratio in fermentato, tamen purius & conformius Sacramento, conſecratur in azymo, quod puriſſimum puriſſimæ Virginis partum ſignificat, uti etiam quâ cordis puritate ad illud Sacramentum ſit accedendum. *Celebrandum in azymo.*

Dicendum 4 Verius apparet, quod Eccleſia latina aliquando contenta fuerit fermentato: Ratio eſt, quod fideles panem conſecrandum conferebant ad Eccleſiam, quem omnem fuiſſe azymum, non *An Romana Eccleſia uſa ſit fermentato.*

videtur veroſimile. Hoc tamen improbandum videtur, quod tradunt aliqui, uſum azymorum ſerò admodum ab Eccleſia latina eſſe aſſumptum, puta ad annum 900. vel circiter. Cùm enim Eccleſia latina ab Apoſtolis quoque fidem receperit, veroſimile eſt, eam à prima ætate Apoſtolorum praxi, in azymo conſecrando, ſeſe conformaſſe. Deinde Humbertus nomine latinæ Eccleſiæ ſcribens Græcis de quo extat tomo 2. Baronii in fine, dicit 1000. & 20. annis in Eccleſia fuiſſe azymorum uſum, imò Martyres azymo fuiſſe ſaginatos.

Objici poſſet, quod orto ſchiſmate contra latinos, curante Photio viro turbulento, qui S. Ignatio è Sede Patriarchali depoſito, thronum Conſtantinopolitanum invaſerat, varia à dicto Photio latinis objecta eſſe, quod Sacerdotibus uxores interdicerent; quod Clerici barbas raderent, &c. ubi tamen nihil de uſu azymi fuit objectum, quod tamen factum eſſet, ſi latina Eccleſia tum temporis azymo fuiſſet uſa. Ad hoc reſp. in primis ex ſilentio Photii, ut argumento negativo nihil concludi. Imò ex eo contrarium colligere licet, eò quod Græci indifferens judicarent, celebrare in azymo, an in fermentato, donec prodiret poſt 2. ſæcula figmentum Michaëlis Cerularii Photii ſucceſſoris, docentis conſecrationem in azymo non valere.

SECTIO IV.

De Materia Calicis, ſive de Vino de vite.

Dicendum primò. Cùm ex variis Conc. & totius Eccleſiæ conſenſu, vinum conſecrandum debeat eſſe vinum de vite & uſuale, ſequitur primò, *Agreſta.* quod agreſta non ſit materia ſufficiens, cùm illud exprimi ſoleat ex uvis immaturis, adeò ut ſit ſolùm liquor manens in via ad generationem vini. Idem dic

dic de aceto, ſeu vino alterato & corrupto. *Acetum.*

Sequitur 2. Quod vinum debeat eſſe de vite, unde vinum ex moris, ex malis granatis, radicibus, *Vinum ex moris, cicera.* cicerâ, non ſunt hîc aptâ materiâ, eò quod non ſint vinum uſuale & de vite.

Sequitur 3. Lora, ſive liquor, qui ex uvis expreſſis, ſupereffuſâ aquâ elicitur, & ſecum trahit *Lora.* uvæ reliquias, uti fit in parvâ cereviſiâ, non eſt quoque apta materia, eò quod non ſoleat haberi pro vino uſuali. Eadem eſt ratio de mellito, id eſt vino ex melle, aut ſaccaro condito.

Sequitur 4. Quod liquor ſive ſuccus in uvis con- *Succus in uvis.* tentus non ſit apta materia, nec enim eſt vinum uſuale, nec ſuccus potabilis, cùm uvæ non dicantur potari, ſed manducari; quod tamen ad uſuale vinum requiritur, quod ſit potabile.

Sequitur 5. Vinum imbibitum in offa panis v. g. eſſe materiam ſufficientem, cùm vinum ibidem exiſtat uti in ſpongia & quaſi in vaſculis, quod autem vinum videatur hîc magis habere rationem comeſtibilis, quàm potabilis, eſt merè per accidens, à majori ſenſibilitate panis, etſi vinum illud ſit abſolutè potabile.

Dicendum 2. Vinum fugiens, ſeu quod incipit *Vinum fugiens.* aceſcere, eſt apta materia, uti & muſtum. Ratio eſt, quod prius vinum etſi fugiens, ſit verè vinum, ſicuti homo æger eſt verus homo. Poſterius itidem eſt verum vinum uſuale, etſi impurum & fæculentum, unde ob fæculentiam illicitè adhibetur, etſi validè.

Vinum congelatum veroſimiliùs quoque non eſt *Vinum congelatum.* materia apta conſecrationis; quamdiu enim congelatum eſt, non eſt vinum uſuale & potabile, uti aqua congelata non dicitur ſimpliciter aqua: vinum enim & aqua ex communi hominum ſenſu ſignificant liquorem ſive humorem, quod vino congelato non competit. Nec dici poteſt ſufficere hîc, quod ſit remotè potabile, cum eodem modo ſpiri-

tus

tus vini poſſent dici potabiles & materia conſecrationis, cùm etiam remotè ſint potabiles, ſi artificio colligantur.

Et licet poſt conſecrationem maneat ſub ſpeciebus vini Sanguis Chriſti, nihil dictis obſtat, cùm Chriſtus aliud requiſierit ad conſecrationem, quàm ad conſervationem, puta vinum uſuale realiter exiſtens, quod non requiſivit ad conſervationem. Denique, etſi vinum congelatum ſit ejuſdem formæ ſubſtantialis cum vino non congelato, non tamen eſt moraliter vinum uſuale, quod debet eſſe potabile.

Dicendum 3. Vinum miraculosè productum v.g. in Cana Galileæ, etſi de facto ex vite non procedit, eſt tamen materia apta conſecrationis, cùm ſatis ſit, quod de natura ſua poſtulet à vite procedere. Aliud eſt de ſucco, qui ex uvis paſſis & omninò ſiccis elicitur, ut ante diximus de ſucco ex uvis preſſis elicito: ſi tamen uvæ ſint paſſæ, ſed non omninò ſiccæ, ſed ſolùm maturiores, poſſet validè in ſucco ex eis expreſſo conſecrari, imò juxta aliquos in æthiopia non utuntur niſi tali vino.

Ex dictis collige, quàm graviter peccent vinopolæ qui ſuâ mixtione aquæ, &c. ita vinum alterant, ut ſit aliud compoſitum tertium, quod ad celebrandum divendunt. Aliud eſt, ſi modica mixtio adhibeatur, cùm pleraque vina in noſtris partibus aliis ſint mixta & adulterata, ut vinopolæ teſtantur. Quomodo verò defectus panis aut vini ſupplendi ſint, dicam de ſacrificio.

SE.

SECTIO V.

De Aqua Vino admiſcenda in hoc Sacramento.

Dicendum primò, conſtat ex Florentino & Eccleſiæ praxi, modiciſſimam aquam debere vino admiſceri. Ritus ille oritur non tantùm ex præcepto Eccleſiæ, ut quibuſdam placet, ſed & divino. Probatur hoc ex Conc. 3. Cartag. c. 24. ubi dicitur: *Ut in Sacramentis Corporis & Sanguinis Domini nihil ampliùs offeratur, quàm quod ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panis & vinum aquâ mixtum.* Et S. Cyprianus Epiſt. 65. ad Cæcilium ab Auguſtino laudatâ & commendatâ, à quâ aliquis immeritò & temerè, deliberatè recedit; *Invenimus*, ait, *non obſervari à nobis, quod mandatum eſt, niſi ea quæ Dominus fecit, nos quoque faciamus, & Calicem Domini pari ratione miſcentes, à divino Magiſterio non recedamus.* Deinde Florentinum dicit, Chriſtum Dominum in vino aquâ mixto hoc Sacramentum inſtituiſſe. Denique, cùm non appareat primus, qui aquam adhibere cœpit, & continuâ praxi aqua vino adhibita ſit ab Eccleſia, ſequitur, quod ritus ille à Chriſto & Apoſtolis ſit adhibitus. Quod autem aliqui illud Alexandro I. aſſignant, infundatè fit, cùm ipſemet Alexander fateatur, ſe mixtionem illam à patribus accepiſſe. Dicitur tamen, ritum illum ab Eccleſia Sacerdotibus præceptum, quod nihil evincit, quo minus & à Chriſto ſit præceptus. Denique verum eſt, quod Eccleſia ritum illum variis Conciliis præceperit, damnans *Hydroparaſtatas* ſive *aquarios*, qui ſolam aquam ad conſecrandum adhibebant: uti & Armenos, qui ſolum vinum volebant adhibendum, remiſsâ aquâ.

Aqua modiciſſima adhibenda eſt.

Idque jure divino.

Dicendum 2. Etſi ritus ille dicatur requiſitus ex jure divino, tamen ad valorem Sacramenti non exigitur,

Euchariſtia ſine mxtione aquæ poteſt conſiſtere. gitur, uti etiamſi ſatisfactio requiratur de jure divino ad pœnitentiam, ſine illâ tamen ſatisfactione, pœnitentia poteſt ſubſiſtere. Pertinet tamen talis mixtio ad integritatem Sacramenti, adeò ut quodammodo eâ non adhibitâ ſit mutilum, uti Sacrificium ſine ſumptione, pœnitentia ſine ſatisfactione, &c. Hoc tamen addit Card. Bellarminus, l. 4. c. 10. de Euch. & ait: *Utrum ſine aquâ Sacramentum conſiſtere poſſit, non eſt adeò certum: communis tamen opinio in partem affirmativam pendet.*

Significatio aquæ. Dicendum 3. Aqua dicta miſcetur vino, ut ſignificetur aquam & ſanguinem è latere Domini fluxiſſe. Unde Ciſtercienſes priſco ritu aquam adhibentes dicebant: *Sicut de latere Domini N. Jeſu-Chriſti exivit Sanguis & Aqua, ſic fiat pariter commixtio aquæ & vini in remiſſionem peccatorum noſtrorum.* Idem dicunt & Græci, qui bis aquam miſcent, ſemel frigidam, dum Sacerdos hoſtiam S. Lanceâ pungit & dicit: *Unus Militum lanceâ latus ejus aperuit, ſtatimque exivit Sanguis & Aqua:* Et Diacono dein infundente aquam & vinum in Calicem: deinde adhibent aquam calidam poſt conſecrationem ante communionem, præviè à Sacerdote benedictam, quam adhibent teſte Arcudio l. 3. Concord. c. 39. tum quia calida aqua exivit de latere Chriſti, tum ut per eam fervor Spiritûs S. deſignetur.

An aqua immediatè convertatur in Sanguinem. Dicendum 4. Aquam immediatè in ſanguinem converti docent authores quàm plurimi, confirmant idem SS. PP. dum docent & dicunt, aquam vino mixtam *offerri*, *benedici*, *conſecrari*, *mutari in ſanguinem*; quod intelligitur de ipsâ aquâ, etſi à vino diſtinctâ. Adde, quod varii doceant Philoſophi, aquam in vinum non poſſe converti, cum arte aliquâ, aqua vino mixta, ab eo poſſit ſeparari: unde Plinius docet vinum purum à lymphato poſſe ſecerni, ſi fiat vas ex hæderâ, per quod ſi vinum tranſeat, aqua vino mixta vaſi illi adhærebit & imbibetur, & vinum diffluet. Deinde in variis liturgiis

giis Baſilii, Jacobi, &c. Ex incontinenti ante conſecrationem miſcebatur aqua vino, unde liquet, quod eo brevi tempore, non poſſet converti in vinum. Hinc quando Innocentius III. cap. *cum Marthæ* de celebratione Miſſæ dicit, eam ſententiam, quæ docet aquam priùs converti in vinum, deinde in ſanguinem ſit aliâ probabilior: intelligendus eſt Pontifex de mutatione morali aquæ in vinum, adeò ut moraliter loquendo aqua tranſeat in vinum, & faciat unum morale compoſitum cum vino. Deinde ſententiam illam dicit Pontifex probabiliorem reſpectu duarum opinionum, quas ibidem refert, quarum una eſt, an aqua convertatur in aquam, quæ fluxit ex latere Chriſti; alia, an cum vino convertatur in ſanguinem, cùm prius convertatur in vinum, quod tamen à phyſicis negari, ait Pontifex.

SECTIO VI.

De præſentia & determinatione materiæ prædictæ.

DICENDUM primò, cùm materia conſecranda debeat deſignari per to *hoc* & *hic* in formâ allatâ, ſequitur quod debeat conſecranti eſſe præſens, cùm to *hoc* & *hic*, ſignificent de ſe rem præſentem: aliàs enim Sacerdos Antverpiæ exiſtens poſſet conſecrare Hoſtiam exiſtentem Romæ. Hinc etiam Chriſtus *accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas.* *Materia conſecranda quomodo debeat conſecranti eſſe præſens.*

Dicendum 2. Ut conſecratio illa ſit licita, debet materia eſſe præſens Sacerdoti in altari, & quidem ſuper altare conſecratum, & corporale, imò major hoſtia debet manibus teneri. Ut autem ſit valida, debet ſenſibiliter eſſe præſens conſecranti, nec ſatis eſt, eam eſſe præſentem intellectui vel phantaſiæ. Non debet tamen materia percipi viſu, ut patet in Sacerdote cæco; nec debet manibus tractari, cùm

panis

panis pixidi incluſus poſſit validè conſecrari:debet tamen ita conſecranti eſſe præſens, ut actualis ſenſatio in eàm ferri poſſet, etſi de facto in eam non feratur. Et quamquam viſu, rerum præſentia optimè poſſit comprobari, tamen non ſemper ad requiſitam præſentiam ſatis eſt, quod oculis videatur, quia etiam res longè diſtantes poſſunt videri, nec tamen deſignari per to *hic*, utpotè abſentes. Denique propinquitas illa materiæ hîc neceſſaria, non ita præcisè (ut quidam volunt), poteſt determinari, ſed conſideratis conſiderandis hoc debet definiri; optimum tamen erit communi Eccleſiæ praxi in hac re ſeſe conformare.

Dicendum 3. Materia exiſtens à tergo ſine alio ſigno addito, non cenſetur moraliter præſens; aliud eſſet, ſi eam quis à tergo manibus teneat & formam proferat. Item ſi interpoſitus ſit paries, non erit moraliter præſens, cùm interpoſitio parietis cenſeatur tollere moralem præſentiam. Idem eſt, ſi hoſtiæ ſint intra tabernaculum, quod eſt ſuper altare, & tempore conſecrationis maneat clauſum, cùm tabernaculum illud eo caſu comparari ſoleat alteri cubiculo in quo hoſtiæ eſſent, adeoque cenſerentur abſentes. Aliud eſt, ſi ſint hoſtiæ in pixide concluſæ, eò quod, hoc caſu moraliter cenſeantur hoſtiæ illæ eſſe præſentes, ſicuti cenſentur hoſtiæ in profundo cumuli hoſtiarum, quæ conſecrantur, etſi aliæ infimæ non videantur. Debet tamen Sacerdos conſecraturus hoſtias in pixide, eam aperire. Idem eſt de hoſtiis corporali incluſis, quod pixidi hîc comparatur. Alia de hac re dabo de intentione conſecrantis, de ſacrificio.

SE-

Sectio VII.

De Forma Conſecrationis Panis & Vini.

Dicendum primò, Chriſtus iiſdem verbis conſecravit, quibus Sacerdotes noſtri conſecrant; non verò ſolâ divinâ virtute ſine verbis, ut volunt aliqui. Declarat hoc Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 1. & c. 4. ubi ait, *Hoc tam admirabile Sacramentum in ultimâ cœnâ Redemptorem noſtrum inſtituiſſe, cùm poſt panis viniqùe benedictionem, ſe ſuum ipſius Corpus illis præbere, ac ſuum Sanguinem diſertis ac perſpicuis verbis teſtatus eſt, quæ verba à SS. Evangeliſtis commemorata, & à D. Paulo poſtea repetita.* Et alio loco. *Quoniam autem Chriſtus Redemptor noſter, Corpus ſuum id, quod ſub ſpecie panis offerebat verè eſſe dixit, &c.* Idem dicit Conc. Flor. in decreto Eugenii, *quod forma hujus Sacramenti, ſint verba Salvatoris, quibus hoc conficitur Sacramentum, &c.*

Dictam opinionem olim oppugnârunt Græci, volentes ad validitatem formæ conſecrationis requiri orationes & preces, quibus à Deo converſionem panis & vini precaremur: quod falſum eſſe oſtendebatur ex eo, quod ſtatim poſt conſecrationem hoſtia exhibeatur populo adoranda: deinde verba ad formam requiſita dici debent nomine Chriſti, preces autem illæ non dicuntur vice & nomine Chriſti, ſed Sacerdotis. Dicitur tamen conſecrationis forma à SS. PP. *oratio, precatio, &c.* eò quod forma illa contineat implicitam divinæ virtutis invocationem. Deinde etiam addimus, *jube hæc perferri per manus S. Angeli; hæc commixtio corporis & ſanguinis, &c.* *Forma conſecrationis quo ſenſu dicatur oratio.*

Dicendum 2. Forma panis eſt, *hoc eſt Corpus meum:* Calicis verò, *hic eſt Calix Sanguinis mei.* His enim optimè ſignificatur effectus Sacramenti, ſci-

ſcilicet converſio panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti. Unde ſequitur 1. non requiri ad valorem formæ to *enim*, cùm & plerique Evangeliſtæ illud non adferant, tum quod ſolùm ſignificet cauſam manducandi, nihil ad converſionem dictam conferens. Sequitur 2. quod to *eſt* vel debeat addi, vel in ſenſu ſatis exprimi aliundè, prout in Græcò & Hebræo non debet neceſſariò addi, ſed poteſt ſubintelligi. Debet quoque dici *hoc* non *illud* aut *iſtud*, cùm pronomen debeat demonſtrare rem præſentem, quod facit vox *hoc* non item vox *illud* aut *iſtud*. Sequitur 3. non debere addi to *accipite & manducate*, eò quod ſolùm hujus Sacramenti uſum ſignificent. Sequitur 4. non eſſe addenda ad valorem, *qui pridie quam pateretur, &c.* Cùm nec ſint verba Chriſti, neque ex variis SS. PP. aut liturgiis conſtet eſſe neceſſaria.

Dicendum 3. Ad formam Calicis non requiruntur illa verba, *Simili modo poſtquam cænatum eſt*, &c. uti neque ſequentia: *Novi & æterni Teſtamenti, myſterium fidei*, &c. Tum quod priora non ſint verba Chriſti, tum quod neque illa neque alia habeantur in variis liturgiis. Neque obſtat, quod verba illa poſteriora eodem tepore proferantur, quia illud non innuit eadem requiri ad formæ validitatem, uti fit de to *enim* in formâ panis. Neque ullatenus etiam obſtat, quod Pius V. ex Cajetano juſſerit expungi ſententiam noſtram, aut etiam quod in Catechiſmo Romano videatur contineri contrarium. Quod enim ad prius attinet, ſolùm ex Cajetano expungi juſſit ſententiam noſtram, tamquam D. Thomæ doctrinæ contrariam, cujus tamen agebat commentatorem, neutiquam eam improbans aut condemnans: Catechiſmus verò Rom. etſi ſit ſatis magnæ authoritatis, tamen non eſt tantæ, quin ſæpè à Scholaſticis illius doctrinæ contraveniatur, maximè in iis, quæ Thomiſtis ſunt ſingularia, cùm veroſimiliter ab iis ſit concinnatus, juſſu Pii V. Dominicani. Ita

plu-

plurimi DD. Theologi. Si verò alia quæque hæc verba exigant, non requirunt ea, ut omninò neceſſaria, ſed ſolùm ut ex praxi & præcepto Eccleſiæ requiſita. Undè aliqua eorum omittere, quæ hîc præſcribuntur, foret grave peccatum, de quo poſtea de defectibus ſacrificii.

Dicendum 4. Senſus utriuſque formæ à quibuſdam hîc aſſignari ſolet, ut pronomen *hoc* & *hic* ſignificet ſolum prædicatum, id eſt Corpus & Sanguinem Chriſti, adeò ut ſenſus ſit: hoc quod ſignificatur eſſe ſub his ſpeciebus, eſt Corpus aut Sanguis Chriſti. Neque ideò debet dici eſſe formam hoc ſenſu identicam, cùm ſignificetur in ſubjecto confusè, quod in prædicato expreſsè dicitur. Alii tamen ex S. Thoma aſſignant hunc ſenſum, ut to *hoc* & *hic* ſumantur ſubſtantivè, pro eo quod confusè & indeterminatè eſt, ſub ſpeciebus panis & vini, ſive Corpus Chriſti, ſive vinum ſive ſanguis, quod indeterminatum ſeu individuum vagum per finem prolationis formæ determinatur, quouſque ſignificatio manet ſuſpenſa. *Senſus formæ.*

Dicendum 5. to *tradetur* & *effundetur* ſignificat juxta aliquos traditionem & effuſionem in cœna factam, non in paſſione, maximè cùm S. Paulus loco *effundetur* dicat, *effunditur* 1. Cor. 11. Idem fit Matth. 16. Marci 14 & Lucæ 22. Alii tamen rectius illud exponunt de cruentâ traditione & effuſione, quæ tametſi futura, tamen jam jam de præſenti inſtabat, adeoque quaſi præſens allegatur, ſicut dicitur, *Ecce venio ad te*, id eſt *ſtatim veniam*, & Apoſtolus, *ego enim jam delibor*, id eſt *delibabor*.

Dicendum 6. Forma conſecrationis tam profertur à Sacerdote aſſertivè, quàm recitativè: Ratio ejus eſt, quod varia referat & recitet à Chriſto facta, tamquam Hiſtoricus: Deinde profert verba conſecrationis vice Chriſti, & aſſerit panem fieri & converti in Corpus Chriſti. Neque duo modi illi aliquid proferendi, repugnant, cùm diſcipulus audi-

ta à Magiſtro referre poteſt recitativè, & ſimul aſſerere id eſſe verum.

Sectio VIII.

De Transſubſtantiatione.

Quid ſit tranſſubſtantiatio.

Dicendum primò, *Transſubſtantiatio eſt mutatio unius ſubſtantiæ in aliam, vel ex parte vel ex toto.* Vocem illam *transſubſtantiationem* ſolùm ſub Innoc. III. in Conc Later. ad annum 1215. inventam eſſe, calumniantur hæretici: tamen etſi vox illa tum uſurpata ſit ab Eccleſia, ad ſignificandam veram converſionem panis in Corpus Chriſti, à Sanctis Patribus tamen dudum ante dictum eſt, panem *transelementari* in Corpus Chriſti, item Panem *fieri, converti in* Corpus Chriſti, quod idem eſt ac *transſubſtantiari*, & de cætero parum curandum ſit de voce, ſi de re ipſa conſtet. Unde

Dicendum 2. Fieri in conſecratione veram transſubſtantiationem, quâ ſubſtantia panis deſinit, & Corpus Chriſti incipit eſſe vi verborum formæ ſub ſpeciebus panis. Unde patet, hanc converſionem non eſſe annihilationem, cùm ſolùm convertatur unum in aliud, & ſit vera mutatio, cùm maneat quid commune utrique termino, puta ſpecies. Ex eo autem, quod SS. PP. dicant panem *mutari, transfundi, tranſelementari* in Corpus Chriſti, debet converſio illa eſſe actio productiva, nec ſufficit actio adductiva: cùm enim ſit converſio ſubſtantialis, requirit utrumque terminum ſubſtantialem, qualis non eſt novum *ubi* ſeu *præſentia*, quam adductiva actio cauſat: adde, quod ſit inconceptibile, quomodo res dicatur produci, in aliam converti, ſolâ actione adductivâ. Unde ſignificatur illâ tranſſubſtantiatione fieri, quod deſinente ſubſtantiâ panis vi verborum, fiat præſens Corpus Chriſti ſub ſpeciebus

ciebus panis, adeò ut ſi per impoſſibile ſupponeretur Deum non eſſe ubique, tamen vi conſecrationis inciperet ſpeciebus illis adunari.

Hoc tamen addo ex Catechiſmo Rom. p. 2. c. 4. fideles admonendos eſſe, *ne curioſius inquirant, quo pacto ea mutatio fieri poſſit*: cùm ſit prorſus inenarrabilis, vim intellectûs noſtri longè ſuperans, adeò ut oporteat captivare hîc intellectum noſtrum in obſequium fidei, quæ ita Spiritu S. dictante per Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 4. ſtatuit: *Perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, idque nunc denuò hæc S. Synodus declarat, per conſecrationem panis & vini, converſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam Corporis Chriſti D. N. & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam Sanguinis ejus, quæ converſio convenienter & propriè à S. Catholica Eccleſia* TRANSSUBSTANTIATIO *eſt appellata.*

Ubi refelluntur unà varii hæreticorum errores, ac ſignanter Lutheri, qui poſt conſecrationem, ſubſtantiam panis remanere docet, in qua Corpus Chriſti ſubjectatur & quaſi impanatur: Quamquam tamen de potentia Dei abſoluta, ſimul cum ſubſtantia panis poſſet poni Corpus Chriſti, cùm duo corpora divinâ virtute poſſint eſſe in eodem loco ſive ſeſe penetrare. Dicitur autem hoc Sacramentum ſæpe *panis*, non quaſi panis remaneat, ſed quod ante panis fuerit, & deinceps ſpecies panis perſeverent. *Quomodo Euchariſtia ſit panis.*

SECTIO IX.

De vera, reali, & ſubſtantiali Præſentia Corporis Chriſti in hoc Sacramento.

DICENDUM primò, omiſſis variis hæreticorum fabulis & deliramentis, ſtatuit S. Synodus Trid. ſeſſ. 13. c. 1. & Can. 1. Dicens: *In almo*

S. Euchariſtiæ Sacramento, poſt panis & vini conſecrationem Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum, verum Deum atque Hominem, VERE REALITER AC SUBSTANTIALITER *ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri. Verè.*, non tantùm in figura aut ſigno ut vult Calvinus: *realiter*, non ſolâ apprehenſione per fidem; *ſubſtantialiter*, non ſolùm per virtutem & energiam, ſed cujus ſubſtantia realiter conjungitur ſpeciebus Sacramentalibus.

Ad declarandam horum veritatem, ſola Scriptura ſufficit: quid enim clarius, quàm dicere, *hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus?* & rurſum: *Panis quem ego dabo, Caro mea eſt pro Mundi vita.* Item *niſi manducaveritis Carnem Filii Hominis & biberitis ejus Sanguinem, &c.* Mirum quod ineptias ad dicta verba excogitarit hæreticorum pertinacia, ad explicandum ſenſum dictorum verborum aliàs clariſſimorum: adeò ut anno 1577. prodierit liber continens 200. interpretationes illorum verborum, *hoc eſt Corpus meum*, à Catholica veritate prorſus alienas. Sincerius ad hæc ipſe Lutherus, qui etſi lubentiſſimè illa verba per tropum voluiſſet exponere, non tamen potuit, *quia*, ut ait Epiſt. ad Argentin. *verba illa ſunt nimis clara.* Deinde, ſequentes circumſtantiæ ſatis indicant, dicta verba de vero Sanguine & Corpore Chriſti eſſe intelligenda: dicitur enim, *quod pro vobis tradetur, effundetur, &c.* Jam autem non fuit figura corporis aut ſanguinis tradita, ſed verum Corpus & verus Sanguis. Deinde, quare Capharnaïtæ murmuraſſent quærentes, *quomodo poteſt hic nobis Carnem ſuam dare ad manducandum*, niſi intellexiſſent illud dici de vera carne, quem intellectum tamen non correxit Chriſtus, ſed repetit dicens: *niſi manducaveritis Carnem Filii Hominis, &c.*

Inſuper verba dicta S. Scripturæ propriè ſunt intelligenda, uti & cætera, niſi adſit ratio eadem tropicè explicandi, puta ſi ex propria explicatione oriretur aliquid abſurdi, prout docet S. Aug. l. 3. de

de doct. Chriſt. c. 7. ſed nullum inconveniens, quod verba illa propriè uſurpentur, ergo. Adde, quod dicta verba ſint velut teſtamentum, jam morituri, quæ verba debere eſſe clara & propria, jura ſtatuunt: neque ullum hæreticum contentum fore æſtimo, ſi illi domus teſtamento relicta eſſet, & daretur domus depicta, figura domûs, &c. Denique non loquitur hîc Chriſtus in parabolis; ſed palàm illis, quibus datum eſt, noſſe myſterium regni, id eſt Apoſtolis.

Idem confirmant Concilia quam plurima, & SS. PP. ex quibus illud Damaſ. l. 4. de fide c. 44. *Dominus ipſe dixit: hoc eſt non corporis ſignum, ſed Corpus. Nec ſanguinis figura, ſed Sanguis.*

Quod S. Auguſt. nec ipſi Catholici circa locum Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis*, diſſentiunt: alii volunt S. P. illum locum ex mente S. Auguſt. intelligendum eſſe, de ſpirituali manducatione, alii de reali, quapropter aliqui priori ſententiæ adhærentes, graviter à quodam cenſurantur, ſed ſatis acerbè & immeritò. Unde dicimus, quòd etſi S. Pater ibidem l. 3. de Doct. Chriſt 16. agat de ſpirituali manducatione, quæ corporali adeſſe debeat, tamen etiam agit de reali manducatione Corporis & Sanguinis Chriſti, & ſolùm vult figuratè illud eſſe intelligendum, eo quòd non propriè, id eſt carnaliter ut Capharnaitæ æſtimabant poſſet manducari, verè tamen & realiter modo ſpirituali ibidem exiſtentem Chriſtum manducando. Declarat autem S. Pater ſenſum ſuum variis locis, & ſignanter in Pſalm. 33. conc. 1. ubi ait ad illud *Et ferebatur in manibus ſuis*: *Hoc verò Fratres quomodo poſſet fieri in homine: quis intelligat? quis enim portatur in manibus ſuis? manibus aliorum, poteſt portari homo, manibus ſuis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipſo David ſecundùm litteram non invenimus, in Chriſto autem invenimus. Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum*

ait : Hoc est Corpus meum. *Ferebat enim illud corpus in manibus ſuis*, vide eumdem Epiſt. 106. 107. l. 3 de conſenſu Evangel. c. 1.

Objectiones hæreticorum facilè quiſque ſolvet, ſive quæſitas ex S. Scriptura, ſive ex SS. PP. ſi ſequentes regulas rectè obſervemus.

1. Quòd Chriſtus ſæpè negare videatur ſeſe ſemper futurum cum hominibus, intelligendo converſatione humanâ, ut in vitâ fecit.

2. Quòd dicat Scriptura quòd omnes eamdem eſcam ſpiritualem manducaverint, idem eſt omnes V. T. vel omnes eamdem quoad ſignificationem, etſi non eamdem quoad efficaciam.

3. Notandum eſt, ſæpè de hoc Sacramento aſſeri, eſſe figuram Corporis Chriſti, intelligendo figuram Corporis Chriſti cruentè oblati, vel talem quæ ſimul rem figuratam continet, uti verbum in divinis dicitur *figura Patris*, talis ſcilicet, quæ ſimul divinitatem continet.

4. Quando aliquando videtur negari manducatio Chriſti, intelligendum id eſt, de manducatione carnali, quæ fit maſticatione & crudo modo.

5. Quando quidam de hoc myſterio agunt, tranſeunt ad ſenſum myſticum, etſi & litteralem alibi abundè agnoſcant.

6. Vocant hoc Sacramentum *cibum ſpiritualem*, cùm animam nutriat, & hoc inviſibili modo. Sic etiam ſubinde inculcant manducationem ſpiritualem, quando Sacramentalis haberi non poteſt, uti etiam quòd Sacramentalis ſine ſpirituali non multùm proſit.

7. Dicitur aliquando hoc Sacramentum *frangi, dentibus conteri*, &c. Eo quòd ſpecies frangantur, & conterantur.

Cætera quæ ex ratione objiciunt, uti quòd idem corpus non poſſit eſſe ſimul in 2. locis: quòd aliquid idem deberet hic moveri & ibi non moveri: ibi eſſe ſurſum, ibi deorſum, &c. Nihil omnino implicat

cat attentâ Dei omnipotentiâ; ſic Chriſtus apparuit Stephano, & fuit ad dextram Patris: anima rationalis eſt tota in toto & tota in ſingulis partibus, &c. Unde iis illud S. Auguſtini quadrat. l. 22. de civ. c. 11. *Ecce qualibus argumentis omnipotentiæ humana contradicit infirmitas, quam poſſidet vanitas.* Unde neceſſe hîc eſt, ſubjiciat ſe humana ratio in obſequium fidei, nec fides habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum: ſed præſtet fides ſupplementum ſenſuum defectui.

SECTIO X.

Quomodo Chriſtus ſit verè præſens in hoc Sacramento.

Dicendum primò, illud disertè explicat Conc. Trid ſeſſ. 13. c. 3. ubi ait: *Verum D. N. Corpus, verumque ejus Sanguinem ſub panis & vini ſpecie, una cum ipſius animâ & divinitate exiſtere: ſed corpus quidem ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub ſpecie vini, ex vi verborum: ipſum autem corpus ſub ſpecie vini, & ſanguinem ſub ſpecie panis, animamque ſub utraque vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, quâ partes Chriſti Domini, qui jam ex mortuis reſurrexit, non amplius moriturus; inter ſe copulantur, Divinitatem porrò propter admirabilem illam ejus cum corpore & animâ hypoſtaticam unionem: quapropter veriſſimum eſt, tantumdem ſub alterutrâ ſpecie atque ſub utraque contineri, totus enim & integer Chriſtus ſub panis ſpecie, & ſub quavis ejus ſpeciei parte, totus item ſub vini ſpecie & ſub ejus partibus exiſtit.*

Ubi nota, illud dici poni *Vi verborum*, cujus præſentia neceſſaria eſt ſub tali re, ſub qua ſignificatur, adeſſe, adhoc ut forma verificetur. Illud autem dicitur poni *Per concomitantiam*, quod neceſſariam cum alio habet concomitantiam. Sic *vi verborum* ſub ſpecie panis exiſtit Corpus Chriſti, ſub

Quid ſignificet Vi verborum.

Quid, per concomitantiam.

Digitized by Google

ſpeciebus vini Sanguis Chriſti, eò quòd illa ſub altera reſpectivè ſpecie ſignificetur adeſſe, aliàs eſſet falſa eorumdem forma. Divinitas verò, ejus proprietates, dotes & virtutes, perſona Patris & Spiritûs Sancti, &c. dicuntur ibidem poni *Per concomitantiam*, eò quòd Corpori Chriſti neceſſariò ſint connexa.

Nota inſuper ex Conc. dictum eſſe, quod totus Chriſtus ſit ſub ſpecie panis & ſub quavis ejus parte: quod intelligendum eſt, tam ante, quam poſt ſeparationem: quod enim ante diviſionem non fuit totum in toto & totum ſub ſingulâ parte, ſolâ diviſione ita eſſe non poteſt. Aliud quidem eſt in ſpeculo, in quo ante diviſionem eſt tota facies in toto tantum ſpeculo, ſed fracto ſpeculo incipit facies eſſe in qualibet parte ſpeculi: cùm fracto ſpeculo, frangatur radiorum reflexio, Chriſtus autem fractâ hoſtia non frangitur.

Exiſtit ergo Chriſtus in hoc Sacramento modo indiviſibili & ſpirituali, uti anima rationalis, id eſt, totus in toto, & totus in ſingulis partibus Sacramenti.

Quantitas panis, Corporis Chriſti.

Dicendum 2. Si quantitas diſtinguatur à materia, quantitas panis hîc adeſt etſi ſubſtantia panis deſit. Quantitas Chriſti verò, corpori ejus unita, hîc adeſt per concomitantiam, adeòque Corpus Chriſti in Sacramento eſt verè extenſum: pro quo nota, eſſe duplicem extenſionem, unam in ordine ad ſe, quod habeat partes extra partes: qui modus eſt de eſſentia quantitatis alia eſt extenſio in ordine ad locum, quæ proprietas divinâ virtute à quantitate eſt ſeparabilis; adeòque res etiam magnæ, divinâ virtute poſſunt contrahi ad exiguum ſpatium, ſic tamen ut ideò partes ſe non penetrent, ſed ſint extra ſe.

Dicendum 3. Corpus Chriſti in hoc Sacramento moveri poteſt, uti fit, dum circumfertur Sacramentum, & moventur ſpecies, idque per eum, qui ſpecies

cies movet, etſi Deus ſuâ virtute poſſet retinere ſuum corpus in loco, à quo ſpecies dimoventur. Tamdiu verò Chriſtus manet ſub ſpeciebus, quamdiu manent ſpecies, & quamdiu manſiſſet ſub illis ſubſtantia panis & vini. Adeò ut corruptis in ſtomacho ſpeciebus, Corpus Chriſti ſub illis eſſe deſinat; unde ceſſat abſurda hæreticorum objectio, Chriſtum à nobis in ſeceſſum mitti.

Quamdiu ſub ſpeciebus maneat Chriſtus.

Dicendum 4. Accidentia in hoc Sacramento remanere conſtat, puta colorem, figuram, &c. Idque extra omne ſubjectum; ad eſſentiam enim accidentis non pertinet actu eſſe in alio, ſed illud de ſe & ex naturâ ſuâ poſtulare.

Accidentia.

Verùm an fidei ſit dari accidentia realiter à ſubſtantia diſtincta non conveniunt auctores. Affirmant alii ex hoc caſu Euchariſtiæ, ubi accidentia remanent ſublatâ ſubſtantiâ. Alii negant, hoc ab Eccleſia eſſe definitum: etſi enim Conc. Conſtantienſe ſpecies vocet *accidentia*, non tamen definit ea eſſe realiter à ſubſtantia deſtincta: unde volunt Conc. Trid. ſtudioſè uſurpaſſe vocem *ſpecies*, pro voce *accidentia*.

An ſit fidei dari accidentia realiter à ſubſtantia diverſa.

Neque dici poteſt juxta illos, ſatis videri nobis in Euchariſtia eſſe accidentia; quamvis enim hoc videatur, tamen revera nulla ſunt, Deo eodem modo potentias determinante, ſicut determinarent ſpecies, idque ad occultandum S. Myſterii arcanum: vel conſervante illas ſpecies quas antea ſpecies emittebant, vel earumdem defectum ſupplente, uti nulla ibidem dicitur eſſe quantitas, ſi non diſtinguatur à materia etſi quantitas panis ibi videatur adeſſe: neque magis decipimur, quam quod putemus ibi adeſſe panem, qui revera non adeſt.

Deinde, etſi maneant accidentia, non ſequitur tamen ea eſſe realiter diſtincta: cùm panis & vinum non ſint earumdem proximum ſubjectum, ſed effluviæ quædam & particulæ minutiſſimæ à pane tamen ſeparatæ, quæ ante conſecrationem fuerunt

de

de ſubſtantia panis, non autem poſt eam: ſicut vapores antequam ab aqua exhalantur, ſunt aliquid aquæ, ſed exhalati ad eam non pertinent. Unde poteſt ſubſtantia deperdi, manentibus accidentibus. Hæc quamvis ſatis probabiliter dici poſſent & ſuſtineri, tamen ut temeritatis nota evitetur, & modo loquendi & intentioni Conciliorum magis accedamus, vera accidentia à ſubſtantia ſeparata ſunt admittenda.

SECTIO XI.

De immutationibus miraculoſis in Euchariſtia.

Dicendum primò, quandocumque miraculosè ſpecies in Euchariſtia mutantur, uti Hiſtoriæ teſtantur, quandoque eſſe factum; videndum eſt, quomodo mutatio fiat: poteſt enim illa fieri, ex parte videntium, quòd oculi aliquorum ita afficiantur, ut revera videant quid aliud: deinde fieri poteſt ex parte ipſius rei, quæ revera immutata eſt. Signum verò unde colligi poteſt, eſſe immutationem in oculo dumtaxat, eſt, ſi ſolùm illud unus aut alter videat, ſic ut cæteri contrarium videant: aut etiam ſi ſolùm modico tempore illa apparentia duret. Si verò à multis illud videatur, & tempore longiore, cenſetur immutatio eſſe in ipſa re.

Dicendum 2. Si appareat ſpecies carnis aut ſanguinis effuſi, non videtur illud, quod apparet, eſſe vera Chriſti caro & ſanguis. Ratio eſt, quia caro & ſanguis hìc apparet à cæteris Corporis & Sanguinis partibus ſejuncta, & extra venas, cùm verò Chriſtus jam ſit incorruptibilis & immortalis, ſequitur quòd juxta præſentem Dei conſtitutionem in tali ſtatu caro aut Sanguis Chriſti eſſe non poſſit.

Si verò appareat ſpecies hominis, pueruli, &c.

Verò.

Veròſimile eſt, quod Chriſtus ſeſe exhibeat præſentem, maximè ſi id fiat ad conſolationem virorum ſanctorum.

Dicendum 3. Si tanta mutatio miraculoſa fiat in ſpeciebus conſecratis, ut ſub eis non amplius remaneret ſubſtantia panis aut vini, deſinit quoque ſub illis exiſtere Corpus & Sanguis Chriſti. Et quia valde incertum eſt, quanta debeat eſſe hujuſmodi mutatio, ut ſub ſpeciebus deſinat eſſe ſubſtantia panis: ideo quoque incertum eſt, quanta debeat intervenire mutatio, ut deſinat ſub eiſdem eſſe Corpus aut Sanguis Chriſti. Unde infero, valde incertum eſſe, an in Sacramento Miraculoſo Bruxellenſi, Lovanienſi, Brugenſi, Boxtellenſi, modo Hooghſtratano, verè maneat Corpus aut Sanguis Chriſti, cùm incertum ſit, an facta ſit ſufficiens ſpecierum mutatio, ut ſub eis deſinant exiſtere: hinc prudenter, ad præcavendam omnem idololatriam, juxta hujuſmodi Miraculoſa Sacramenta, apponitur hoſtia conſecrata, dum exponuntur adoranda. Quid autem hoc caſu Sacerdoti faciendum ſit, dicam de defectibus Miſſæ.

SECTIO XII.

De effectibus Euchariſtiæ.

Euchariſtia de ſe confert ſecundam gratiam.

DICENDUM primò, Cùm Sacramentum Euchariſtiæ ſit Sacramentum vivorum, & primariò inſtitutum, ut ſit cibus animæ, non confert vitam ſpiritualem ſive primam gratiam, ſed eam ſupponit: aliàs enim homo ad hoc Sacramentum accedens in ſtatu peccati mortalis, non deberet præmittere confeſſionem, de quo ſtatim.

Dicitur tamen *panis, qui dat vitam mundo*, non quaſi illam primò conferat, ſed quòd eam conſervet, à peccatis præſervando, ſicut medicina præſerva-

ſervativa dicitur eſſe vita corporalis. Idem ſenſus eſt; dum docent SS. PP. Euchariſtiam conferre remiſſionem peccatorum: vel ab illis præſervando, vel etiam aliquando per accidens. Unde

Per accidens primam.

Dicendum 2. Aliquando confert Euchariſtia per accidens primam gratiam, v. g. dum quis inculpabiliter ignorans ſe eſſe in ſtatu peccati mortalis, cum debita alliàs præparatione ad Euchariſtiam accedit. Cùm enim Sacramenta non ponentibus obicem gratiam conferant, ſequitur, quòd & hîc conferat Euchariſtia, primam non ſecundam utique gratiam. Quando autem Catechiſm. Rom. de hoc Sacramento, uti & alii dicunt: *Quemadmodum mortuis corporibus naturale elementum nihil prodeſt: ita etiam animæ, quæ Spiritu non vivit, Sacra Myſteria non prodeſſe: ac propterea panis ac vini ſpeciem habent; ut ſignificetur, non quidem revocandæ ad vitam animæ, ſed in vitæ conſervandæ cauſa inſtituta eſſe.* Hæc inquam intelligenda ſunt, quantum eſt ex vi primariæ inſtitutionis Sacramenti, quod eſt nutrire animam, etſi ex Dei bonitate ſuppleatur, quod aliunde inculpabiliter deeſt.

Dicendum 3. Euchariſtia confert ſpeciale jus, ad auxilia opportuno tempore à Deo conſequenda, ad finem hujus Sacramenti conſequendum opportuna, puta ad gratiam conſervandam, & charitatem augendam, unde rectè dicit decretum Eugenii, *Omnem effectum, quem cibus & potus materialis quoad vitam operatur corporalem, ſuſtentando, augendo, reparando & delectando: Sacramentum hoc vitam operari ſpiritualem.* In hoc tamen à cibo corporali differt, quòd cibum vi nutritionis convertamus in noſtram ſubſtantiam; hunc autem cibum non mutamus in nos, ſed ècontra nos mutamur in illum, juxta illud D. Auguſt. l. 7. confeſ. c. 10. *Cibus ſum grandium dicit Dominus, creſce & manducabis me: nec me tu mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ; ſed tu mutaberis in me.* Unde per hoc Sacramentum divinæ naturæ comparticipes efficimur.

Dicendum 4. Euchariſtia confert remiſſionem venialium, & à mortalibus præſervat: paſſiones iræ, libidinis, &c. Frænat: prius declarat Conc. Trid. ſeſ. 13. c. 2. ubi ait: *Confert remiſſionem peccatorum venialium, & præſervat à mortalibus.* Poſterius declarat S. Cyrillus l. 4. in Joan. c. 17. ubi ait; *Sedat, cum in nobis manet Chriſtus, ſævientem membrorum noſtrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, colliſos redintegrat.* Vide S. Bern. Serm. de Cæna Domini.

Dicendum denique, effectus Euchariſtiæ eſt vita æterna & reſurrectio noſtra, *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die* Joan. 6.

SECTIO XIII.

De Neceſſitate hujus Sacramenti.

Neceſſitas Euchariſtiæ.

Dicendum primò, de fide eſt, poſſe hominem ſalvari ſine hujus Sacramenti ſumptione, ut patet in parvulis ſuſcepto baptiſmate morientibus, unde Sacramentum illud non eſt neceſſarium neceſſitate medii; eſt tamen neceſſarium neceſſitate præcepti, dum ait Scriptura Joan. 6. *Niſi manducaveritis Carnem Filii Hominis & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: Quæ verba præceptum hujus Sacramenti aſſignant: neque ex illis rectè concluditur neceſſitas medii, uti dum de baptiſmo dicitur: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Joan. 3: quia ſubjecta materia diverſa indicat, unum neceſſarium neceſſitate medii, aliud neceſſitate præcepti, uti & in hoc, *Niſi efficiamini ſicut parvuli, &c.* Adde, diverſas eſſe loquendi formas: de Baptiſmo enim dicitur paſſivè, *Niſi quis renatus fuerit.* De Euchariſtia verò activè, *Niſi manducaveritis,*

veritis ; &c. Quæ verba proinde ſolùm videntur dirigi ad ratione utentes. Neque dici poteſt quod ſicut corpus non poteſt ſubſiſtere ſine cibo, ita anima non poſſit ſine hoc cibo ſpirituali : quia non ſola Euchariſtia eſt cibus animæ, ſed alia inſuper, ut virtutes, orationes, &c.

Dicendum 2. Sano interim ſenſu omnibus tam adultis quam parvulis, poteſt Euchariſtia dici neceſſaria neceſſitate medii, quatenus Euchariſtiæ votum, in Baptiſmo includitur, quo ſenſu docet S. Auguſt. l. 1. contra 2. Epiſt. Pelag. c. 4. *Eos vitam habere non poſſe, qui fuerint expertes Corporis & Sanguinis Chriſti* : Et alia his ſimilia.

Quando obliget præceptum Euchariſtiæ.

Dicendum 3. Præceptum hoc divinum obligat 1. in articulo mortis, cùm hoc Sacramentum ſit inſtitutum, ut viaticum ſalutis, ergo tunc ſaltem ſumi debet, dum ad æternitatem properat, aut eſt in præſentiſſimo mortis articulo. Ad hoc non ſufficit, quod vel 6. vel 4. dies ſanus prævìè communicaverit, imo etſi eodem die, eo quòd non ſit adhibitum tamquam viaticum. Laudabilis tamen praxis aliud ſtatuit, dum Sacerdotes aut alii quotidie aut fere quotidie communicantes, ita Sacramentum hoc ſumuntq; ac ſi foret viaticum, & eſſent eo die morituri.

In articulo mortis.

Sub articulo mortis hìc intellige damnationem ad mortem, unde Pius V. conſuetudinem in Hiſpania, eis denegandi S. Euchariſtiam, abrogavit: comprehenditur quoque periculum mortis, v. g. dum quis init iter periculoſum, bellum, dum mulier ſolet habere partus periculoſus, &c.

Denique ſæpius in vita obligat hoc divinum præceptum, cum enim ſit cibus animæ, ſæpius in vita eſt ſumendus.

Dicendum 4. Huic divino præcepto accedit præceptum Eccleſiæ de eodem. Hoc præcepto omnes utriuſque ſexûs fideles ſingulis annis circa feſtum Paſchæ hoc Sacramentum ſumere oportet: etſi in primitiva Eccleſia ferè quotidie illud ſumebant aut

feſtis

feſtis præcipuis, de quo agam de frequenti communione. Porrò hoc tempus Paſchæ durat à Dominica Palmarum, uſque ad Dominicam in albis incluſivè. Ex rationabili tamen cauſa licet illud tempus aliquando prævenire vel etiam ſubſequi, v. g. ob morbum, puerperia, itinera, &c. Puerperæ tamen ſolent poſt purificationem Paſcha celebrare, morbidis ſolet tempore Paſchatis deferri, ſi commodè poſſit.

Dicendum 5. Huic Eccleſiaſtico præcepto non poteſt ſatisfieri per communionem ſacrilegam. Non enim Eccleſia, quæ ſibi ſubditos ad vitam æternam deducere ſatagit, contenta cenſetur ſacrilegio, quod ducit ad mortem æternam. Recollige quod de lege Eccleſiaſtica diximus in tractatu de legibus, quod lex Eccleſiaſtica non præcipiat, niſi actus veræ virtutis. Unde meritò hæc damnata eſt ab Innocentio XI. *Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.*

Dicendum 6. quod ad pueros hîc attinet, varia eſt opinio. Aliqui volunt eoſdem hoc præcepto communionis ſimul teneri, dum tenentur præcepto confeſſionis, puta dum ſunt doli capaces, ac mortaliter poſſunt peccare. Ratio deſumitur ex capt. *Omnis utriuſque ſexûs*, ubi omnibus qui ad annos diſcretionis venerint, injungitur confeſſio, & communio. Idem innuit Conc. Trid. ſeſ. 13. Can. 9. alii è contrà rectius docent, non illicò, ac pueri tenentur ad confeſſionem, teneri quoque ad communionem. Patet id ex generali Eccleſiæ praxi, in hâc re multùm attendendâ, in interpretatione dictæ legis. Ratio hujus interpretationis deſumi poteſt ex diverſitate communionis, & confeſſionis, quod plus requiratur ad dignam communionem, quam confeſſionem. Unde etiam dicto capt. injungitur confeſſio abſolutè, communio verò ſolùm injungitur ad arbitrium Confeſſarii differenda, vel adhibenda, dum dicitur: *Niſi forte* de proprii Sacerdotis conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam ab hujuſmodi perceptione (Euchariſtiæ) duxerit abſtinendum. Por-

Quando pueri debeant communicare in Paſchate.

Porrò, quo præciſè tempore pueri cenſeantur habere diſcretionem ſufficientem ad communionem percipiendam, non poteſt certâ regulâ determinari. S. Thomas in 4. diſt. 9. art. v. in reſp. ad 4. ità de hâc re ſcribit: *Pueris jam incipientibus habere diſcretionem, etiam ante perfectam ætatem, puta cum ſint 10. aut 11. annorum, aut circà hoc, poteſt dari communio, ſi in eis ſigna diſcretionis appareant, & devotionis.* Et Catechiſ. Rom. num. 48. de Euch. quærens, quâ igitur ætate pueris ſacra myſteria danda ſint, ita docet: *Hoc nemo melius conſtituere poterit, quam Pater, & Sacerdos, cui illi confitentur peccata; ad illos pertinet explorare, & à pueris percunctari, an hujus admirabilis Sacramenti cognitionem aliquam acceperint, & guſtum habeant.* Ex quibus inferunt, Parochos hâc in re non debere eſſe ſcrupuloſos, aut timidos, in urgendis pueris ad communionem, ſed aliquod tempus etiam poſſe expectare, tum ob majorem Sacramenti reverentiam, tum ob uberiorem fructum, tum ob periculum irreverentiæ, tum demum, ne alii offendantur, ſi Euchariſtia admodum parvulis adminiſtretur.

Excipiunt paſſim articulum mortis, quando urget lex divina, quam Eccleſia quoad hunc caſum non determinavit: unde eo caſu cenſentur ad eam obligari parvuli, dum ad annos diſcretionis pervenerint, quando ſeſe eo caſu per confeſſionem probare poſſunt, ne indignè ſuſcipiant, ſuntque in eo ſtatu, in quo non poteſt expectari tempus opportunius, majori reverentiâ Euchariſtiam ſuſcipiendi, ut obligationi ſibi à Deo impoſitæ ſatisfaciant.

Pueri verò cenſentur hîc à lege Eccleſiæ liberati, ſi in hoc negotio ſequantur judicium Confeſſarii, idque ob ignorantiam inculpabilem, ad quam depellendam eo pacto fecerunt omne id, quod poſſunt, & debent adhibere. Parentes verò, ac tutores, aut alii puerorum curam habentes mortaliter peccant, ſi negligant procurare, ut pueri, ancillæ, &c. ad com-

communionem jam obligati, communicent, cum ad hoc graviter ſint obligati, uti & ad alia opera lege divinâ præcepta illis inculcanda, maximè, ſi ſciant, eis aliunde hoc non procurari. Quia verò parentes, ac tutores in eâ re ſolebant eſſe negligentiores, quia tributorum onera imponebantur illis, qui communicarent dumtaxat: hinc pru[illegible]ntiſſimè 1610. ſtatuit Synodus Antverp. de Euch. cap. 4. ne hujuſmodi tributorum côllectiones hâc ratione ineantur, ſed certam potius ætatem taxandis deſignent. Vide dicenda ſec. 13. de Sacrif.

An ſatiſfaciat, qui communicat in cathedrali?

Dicendum ultimò, non cenſetur ſatisfeciſſe communioni Paſchali, qui ob averſionem, v. g. à ſuo Parocho, aut aliâ ratione ſimili inſufficienti, communicaſſet in Eccleſiâ Cathedrali ſuæ diœceſis. Ita reſpondit Card. de Lugo reſp. mor. dub. 15. ratio eſt, quod Eccleſia Cathedralis pro hoc caſu non ſit generalis omnium diœceſanorum Parochia, ſicuti nec pro caſu matrimonii, quod contrahi debet in Parochiâ propriâ, nec ſufficit illud contrahere in Parochiâ Cathedralis, niſi de licentiâ Epiſcopi, quæ etiam hic ſufficeret pro annuâ communione, cùm Epiſcopus ſit proprius omnium Parochus: quamdiu tamen illam non concedit, tenetur quilibet eam accipere in Parochiâ propriâ.

CAPUT QUINTUM.

De Sacrificio Miſſæ.

SECTIO PRIMA.

An Euchariſtia ſit verum Sacrificium.

Dicendum primò, etſi omne opus bonum aliquando latâ ſignificatione dicatur *Sacrificium laudis*, non tamen proprie dicitur ſemper *Sacrificium.* Sic S. Aug. l. 10. de civit. ait c. 6. *Sacrificium verum eſt omne opus quod agitur, ut ſanctâ ſocietate inhæreatur Deo.* Unde *Sacrificium* propriè dictum definiri poteſt, *Quod ſit oblatio externa per legitimum miniſtrum ſoli Deo exhibita, in qua ſubſtantia ſenſibilis immutatur, in proteſtationem divini dominii, & noſtra ſubjectionis. Oblatio* enim eſt genus reſpectu Sacrificii. *Externa* diſtinguit ab interna oblatione, quâ quis internè aliquid Deo in Sacrificium offert.

Quid Sacrificium.

Requiritur inſuper ad ſacrificium debitus *Miniſter*, ad Sacrificium offerendum ordinatus; miniſter autem ille in omni ſtatu adhibebatur ad Sacrificium: in lege naturæ primogeniti erant tales miniſtri, poſtea vocabantur à Deo tamquam Aaron. Legitur autem quandoque quoſvis compulſos eſſe ſacrificare; verùm illud erat mera oblatio, non itidem ſacrificium. Debet inſuper res ſenſibilis in Sacrificio, immutari vel perimi quâ actione perfectum Dei dominium in omnia profitemur. Uti etiam ultimûm ex eo ſequitur, quod profitendo ſupremum Dei dominium, noſtram ſubjectionem & ſervitutem confiteamur.

Di-

Dicendum 2. dividitur Sacrificium primò in victimam, immolationem & libamen, prout materia oblata erat vel animal vivens, unde dicitur *Victima*: vel res ſolida inanimata v. g. fructus, & vocabatur *immolatio*: vel denique res liquida, v. g. vinum, oleum; & dicebatur *libamen*. *Victima, immolatio, libamen.*

Dividitur 2. in *Holocauſtum*, quod ut Sacrificium perfectiſſimum totam rem perimendo, in fumum reſolvendo, &c. perfectiſſimo modo proteſtatur divinum dominium in omnia creata: & in hoſtiam pro peccato, & hoſtiam pacificam: *Hoſtia pro peccato* partim cremabatur, partim à Sacerdote in atrio comedebatur. *Hoſtia pacifica*, offerebatur pro acceptis à Deo beneficiis, aut iiſdem impetrandis: hujus pars cremabatur, alia pars à Sacerdotibus, alia ab offerentibus comedebatur. *Holocauſtum, hoſtia pro peccato, hoſtia pacifica.*

Dividitur 3. Sacrificium in *Propitiatorium*, quod pro peccatis, eorumque pœnis avertendis offerebatur. *Eucharisticum*: quod in gratiarum actionem offerebant, & *Honorarium ſive Latreuticum*, quod adhibebatur primariò ad Deum latriâ colendum: denique *Impetratorium*, quod pro beneficio impetrando offerebatur. *Sacrificium propitiatorium, Eucharisticum, latreuticum & impetratorium*

Dicendum 2. ſequitur ex dictis, quòd ſacrificium ſoli Deo poſſit offerri, cùm ſacrificium ſit actus latriæ, quæ ſoli Deo competit: dicitur tamen aliquandò Miſſæ ſacrificium de tali vel tali ſancto, ſed ſoli Deo ſacrificium offertur, cum invocatione illius ſancti, ut pro nobis intercedere dignetur in cœlis, cujus memoriam agimus in terris. *Sacrificium poteſt offerri ſoli Deo.*

Dicendum 3. etſi ſacrificia V. L. ſancta fuerint & à Deo inſtituta, quod Chriſtum figurarent & promitterent, tamen ceſſante lege veteri, cum ſuis cæremoniis & ſacrificiis, veritas ſucceſſit, & Deus legalium differentiam hoſtiarum unius ſacrificii perfectione ſanxit, ut ait D. Leo ſerm. 7. de paſſione. Undè ait Conc. Trid. ſeſ. 22. c. 1. *Hæc eſt illa oblatio (Miſſa) quæ per varias ſacrificiorum, naturæ &*

legis tempore, ſimilitudines figurabatur, utpotè quæ omnia bona, per illa ſignificata, veluti illorum omnium conſummatio & perfectio complectitur. Undè mortale ſuperſtitionis crimen eſt, modo in L. N. offerre V. L. ſacrificium, puta agnum paſchalem; Chriſtus enim inſtituendo novum ſacrificium, vetera prohibuiſſe cenſetur & abrogaſſe.

Euchariſtia eſt Sacramentum & Sacrificium.

Dicendum 4. de fide eſt, eſſe unum in lege nova ſacrificium, ſcilicet Euchariſtiam, quæ non ſolùm eſt Sacramentum, ſed & ſacrificium. Undè Conc. Trid. ſeſſ. 22. Can. 1. *Si quis dixerit, in Miſſa non offerri Deo verum Sacrificium ..... anathema ſit.* Sacrificium hoc olim in Melchiſedech Sacrificio figurabatur, qui panem & vinum obtulit, de quo ita S. Auguſt. Epiſt. 95. ad Innoc. *Melchiſedech prolato Sacramento menſæ Dominicæ, novit æternum ejus Sacerdotium figurare.* Hinc & Chriſtus dicitur *Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*, eò quod virtus ejus ſacrificii in æternum maneat, deinde quatenus per ſuos miniſtros uſque ad finem ſæculi corpus ſuum offert & ſuum ſanguinem. Deindè dicta ſententia patet ex ultima cœna, cùm Chriſtus corpus ſuum in cibum, & ſanguinem in potum obtulit, jubens ſimul Sacerdotes idem offerre & facere, dicens, *hoc*, quod ego jam feci, *facite in meam commemorationem.* Ad quod rurſum S. Auguſt. Pſalm. 33: Conc. 2. *Ipſe de corpore ſuo & ſanguine ſuo Sacrificium inſtituit ſecundùm ordinem Melchiſedech.*

Deinde Euchariſtiam eſſe verum Sacrificium teſtatur tota Eccleſia, & SS. Patres omnes, quod & ab adverſariis invitis veritas extorſit: unde Lutherus l. de Miſſa privata. *Hic non curamus, ſi clamitent Papiſtæ, Eccleſia, Eccleſia: Patres, Patres: quia ut dixi, horum dicta & facta in tam magnis cauſis nihil curamus: ſcimus enim ipſos Prophetas lapſos eſſe, adeoque Apoſtolos. Verbo Chriſti judicamus Eccleſiam, Apoſtolos adeoque ipſos Angelos.* Idem confirmat & ratio, nulla enim gens, nulla Religio, quæ ſuos

non

non habeat Sacerdotes & conſequenter Sacrificia. Denique aptiſſimè Euchariſtia eſt Sacrificium in qua incruentè offertur Deo Sanguis & Corpus Chriſti, per immutationem panis & vini in Sanguinem & Corpus ejus, idque in proteſtationem ſummi Dei dominii, in gratiarum actionem, unde & *Euchariſtia* nominatur. *Unde dicta Euchariſtia.*

Occlamant hæretici, Chriſtus ſolus eſt Sacerdos in æternum, qui unâ oblatione ſanctificatos conſummavit: maximè cùm virtus Crucis ſit valoris infiniti, unde aliæ oblationes ſunt ſuperfluæ. Ad quod Reſp. quomodo Chriſtus ſit Sacerdos in æternum jam ante dictum eſt. Deinde, etſi vis Crucis Chriſti ſit infiniti valoris, tamen Sacrificio Euchariſtico vis illa debet nobis applicari. Adde, quod Chriſtus ſemel unâ oblatione conſummaverit totum genus humanum, eo quòd oblatione cruentâ pretium ſufficiens Deo patri obtulit pro ſalute totius mundi, quod tamen variis mediis vult applicari. Unde patet quo jure in ſuo Catechiſmo doceant hæretici, Miſſam nihil aliud eſſe, quam meram idololatriam: circa quod notandum eſt, ſeſe gloriari, nullum ab ipſis condemnari, uti alieni à fide Romanâ à Papiſtis condemnantur, ſed quo jure, cum idololatræ teſte Apoſtolo à regno Dei ſint excludendi?

SECTIO II.

In qua parte Miſſæ ſita ſit ratio Sacrificii

Dicendum primò. *Miſſa* dicta à verbo latino *Mitto*, eo quòd mittatur hoſtia ad Deum: vel ab Hebræo *Misha*, quod ſignificat idem quod *oblatio*, eſt Sacrificium Corporis & Sanguinis Domini ſub ſpeciebus panis & vini, in memoriam paſſionis inſtitutum. Quod Miſſa ſit Sacrificium, jam probatum eſt. Alia verò eſt *Miſſa Catechumenorum*, quæ *Miſſa quid & unde dicta.*

Miſſa Catechumenorum. comprehendit partem Miſſæ à principio uſque ad offertorium, quando Catechumeni jubebantur exire, unde catechumenis hoc myſterium occultabat Eccleſia, quare Auguſt. tract. 11. in Joan. *Interrogemus eum* (catechumenum) *manducas carnem Filii hominis .... neſcit, quid dicimus.* Alia eſt *Miſſa fidelium,* *Miſſa fidelium.* quæ durabat ab offertorio uſque ad orationem Dominicam. Cætera dicebantur complementum Miſſæ. *Miſſa ſicca.* Alia inſuper eſt *Miſſa ſicca* ſeu *navalis,* quæ eſt pius aliquis ritus, apparenter tantùm Miſſa: incipit à principio Miſſæ uſque ad præfationem, poſt quam continuo ſubſequitur oratio Dominica, Agnus Dei, poſt-communio & benedictio cum Evangelio ſancti Joannis. Inventa eſt hæc Miſſa ſicca in claſſibus marinis, ubi ne fideles omni conſolatione ex Miſsâ capi ſolitâ fruſtrarentur, hunc ritum adinvenerunt, ut ſaltem imagine veræ Miſſæ aliquomodo conſolarentur.

Dicendum 2. ſex actiones ſunt, de quibus meritò dubitatur an in illis ſita ſit Miſſæ ratio, aut eſſen- *In qua Miſſæ parte ſit ſita eſſentia Sacrificii.* tia ſacrificii. Prima eſt oblatio panis & vini in offertorio. 2. Utriuſque conſecratio. 3. Eorumdem oblatio facta his verbis, *Unde & memores,* &c. 4 Fractio hoſtiæ & mixtio ejuſdem cum vino conſecrato. 5. Sumptio. 6. Communio.

Oblatio prima ne quidem eſt de integritate Sacrificii, quamvis cenſeatur inter partes principales. Ratio eſt, quod actio ad Sacrificii eſſentiam vel integritatem ſpectans, reſpiciat materiam propriam victimæ, quæ eſt hîc, Chriſtus ipſe, ubi tamen dicta oblatio reſpicit panem & vinum.

Oblatio ſecunda, poſt conſecrationem, nón eſt quoque de eſſentia Sacrificii: Ratio eſt, quod illam Chriſtus non adhibuit, neque in Eccleſia ſemper obſervata, ſed uſu Eccleſiæ introducta: deinde illá oblatio fit vice ſolius miniſtri, ubi actio Sacrificii hîc fieri debet in Perſona Chriſti.

Fractio & mixtio hoſtiæ non requiritur quoque ad eſſen-

eſſentiam Sacrificii, tum quod neque à Chriſto fuerit facta, tum quod ſi hoſtia caſu decidat in calicem, non debeat extrahi, ſed ſine fractione & mixtione pergi, adeoque ſignum eſt, quod eſſentia Sacrificii ſine illis actionibus poſſit ſubſiſtere.

Communio non eſt de eſſentia, ſed ſolùm de integritate Sacrificii. Sacrificium enim eſt eſſentialiter oblatio Deo facta, & ſumendo, nihil offerimus, ſed nobis potius aliquid damus: item ſi hoſtia poſt conſecrationem miraculosè immutaretur, nihil eſſet ſumendum. Nec refert quod Eccleſia graviter injungat Sacrificii ſumptionem, adeò ut deficiente Sacerdote, alius ſupplere debeat ſumptionem: quia inde ſolum ſequitur, quod ad integritatem ejus ſpectet ſacrificii ſumptio. Deinde, etſi concedatur quod Chriſtus ſe ſumpſerit, de quo tamen non ita certò conſtat, exinde non ſequitur, quòd ſumptio ſit eſſentialis Sacrificii pars, quia non omnia quæ Chriſtus fecit, ſunt de eſſentia Sacrificii. Neque denique aliquid officit, quòd Euchariſtia ſit *holocauſtum*, ad quod requiritur omnimoda hoſtiæ conſumptio, quæ ſit in ſumptione: ad holocauſtum enim non requiritur actualis rei oblatæ conſumptio, ſed quod nihil de victima reſervetur ad uſus profanos, etſi actualis conſumptio victimæ ſpectet ad perfectionem holocauſti.

Conſecratio eſt tota eſſentia Sacrificii: Ratio eſt, quod quando datur Sacerdotibus poteſtas conſecrandi, detur quoque poteſtas ſacrificandi, ergo ſignum eſt illa eſſe idem. Deinde ea actio habet rationem Sacrificii, quæ in Miſſa fit nomine Chriſti, atqui conſecratio ita fit. Denique omnia ad Sacrificium requiſita, in conſecratione reperiuntur, immutatur mirabiliter panis in Corpus Chriſti, offertur Corpus & Sanguis Deo Patri, &c. adde, quod hîc fiat à Sacerdote, quod Chriſtus fecit, & quod juſſit fieri in memoriam ejus. Unde patet eatenus conſecrationem pertinere ad eſſentiam Sacrificii, *In conſecratione ſita eſt ratio Sacrificii.*

quatenus per realem mutationem conſtituit Corpus & Sanguinem Chriſti, ſub ſpeciebus panis & vini; idque in honorem Dei: ex quo patet, quod non ſolùm actione deſtructivâ, ſed productivâ ſupremum Dei Dominium poſſit proteſtari. Deinde ipsâ conſecratione fit realis oblatio, non ſolùm ejus quod oblationem antecedit, ſed & quod eam ſubſequitur, quando res offerenda ipſa oblatione & conſecratione tamquam terminus ejus de novo ponitur, uti hîc fit.

An conſecratio utriuſque ſpeciei ſpectet ad eſſentiam Sacrificii.

Dicendum ultimò, Verius videtur, quòd conſecratio utriuſque ſpeciei pertineat ad eſſentiam Sacrificii. Ratio eſt, quod Conc. Trid. ſeſ. 22. c. 1. Eodem planè modo de utraque conſecratione tamquam hìc neceſſaria loquatur & definiat. Deinde, ad rationem Sacrificii requiritur expreſſa repræſentatio effuſionis Sanguinis Chriſti factæ in cruento Crucis ſacrificio, quæ ſolùm fit adhibitâ utrâque conſecratione. Unde patet fálſum eſſe, quod referunt aliqui, poſſe Pontificem diſpenſare, quoad alteram conſecrationem, prout factum docent Norwegis & Danis, cum in eo diſpenſare nequeat, quod fiat Sacrificium ſine ſuis partibus eſſentialibus. Patet inſuper, illum qui alterutri conſecrationi abeſt, non audire Miſſam, cujus eſſentia in utraque conſecratione conſiſtit.

SECTIO III.

De fructu Sacrificii Miſſæ.

DICENDUM primò. Varii ſunt modi, quibus ſacrificium hoc confert ſuum fructum, 1. Ex opere operato independenter à meritis miniſtri, qui eſt effectus & modus Sacramentis communis. 2. Ex opere operantis, id eſt dependenter à meritis miniſtri. 3. Per modum impetrationis & ſatisfactionis & meri-

meriti. Eſt enim opus omnium præſtantiſſimum, unde meritorium eſt, uti omne opus bonum, & ſatisfactorium, & impetratorium.

Dicendum 2. Sacrificium hoc confert fructum aliquem ex opere operato, quod ſatis innuit Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 1. Ubi dicitur: *Hanc oblationem nullâ offerentium indignitate aut malitia inquinari.* Confert autem ex opere operato remiſſionem peccatorum, quæ quotidie à nobis committuntur, id eſt venialium. Unde idem Conc. ſeſ. 22. c. 1. ait, *Hoc Sacrificium Euchariſtiæ eſse à Domino inſtitutum, ut per hoc Sacrificii Crucis virtus in remiſſionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur.* Ergo ex vi inſtitutionis Chriſti, ad hunc effectum eſt Miſſa ordinata, idque ex opere operato confert. *Fructus Miſſæ ex opere operato.*

Non cauſat tamen per ſe & immediatè remiſſionem peccati mortalis, cùm hoc ſit Baptiſmo & pœnitentiæ proprium, imo nec ſoli Sacrificio Crucis id competit, neque ex aliqua peculiari Dei promiſſione hoc habet Sacrificium, neque alias neceſſaria eſſet confeſſio ante actionem Sacrificii, ſi quis ſit in ſtatu peccati mortalis. Non etiam immediatè confert augmentum gratiæ, cùm nec Sacrificium crucis id faciat. Deinde alias parvulo baptizato hoc Sacrificium confert augmentum gratiæ, cùm nec ponat obicem, nec Sacrificium ad ſuum effectum requirat poſitivam diſpoſitionem, quod tamen eſt contra Eccleſiæ ſenſum & uſum.

Dicendum 2. Cauſat tamen hoc ſacrificium auxilia gratiæ prævenientis, & donum pœnitentiæ, & conſequenter ita mediatè remiſſionem peccatorum, non tamen ea confert infallibiliter. Probatur prius ex Conc. Trid. quod ſeſſ. 22. c. 2. docet, quòd *hujus* Sacrificii *oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens crimina & peccata etiam ingentia dimittat.* Probatur poſterius experientiâ, non enim omnes pro quibus offertur hoc ſacri-

ſacrificium, ejuſmodi effectus ſemper & infallibiliter experiuntur.

Confert tamen auxilia gratiæ ultra dignitatem miniſtri, eò quòd vis ſacrificii magis attendatur ex parte miniſtri principalis, id eſt Chriſti, quàm ipſius Sacerdotis.

Dicendum 3, Sicut oratio facta à malo Sacerdote vim ſuam habet, eò quòd ſimul ab Eccleſia oratio per Sacerdotem repræſentatur Deo: tamen orantis dignitas hîc multùm confert: ſicut legatio Legati per ſe valet, eò quòd nomine Regis fiat: tamen ſi legatus ille ſit quoque alteri amicus, faciliùs ab eo, quod petitur, impetratur: ita fit in miniſtro ſacrificii, etſi enim ſacrificium per ſe multùm valeat, etſi per malum Sacerdotem offeratur: eò quòd Chriſtus ſit hîc principalis offerens: tamen dignitas miniſtri hîc multum juvat, ut quod petitur à Deo, efficaciter conſequamur.

SECTIO IV.

An hoc Sacrificium ſit valoris infiniti.

Quomodo Sacrificium hoc ſit valoris infiniti.

Dicendum 1. Cùm omnis Chriſti actio ſit infiniti valoris, ſequitur, quòd hoc Sacrificium prout à Chriſto procedit; ſit infiniti valoris. Hoc autem intellige quoad ſufficientiam, ſive in *actu primo*, quatenus ſuâ oblatione ſufficiens pretium pro redemptione totius mundi obtulit: non item quoad efficaciam, *ſeu*, ut ajunt, *in actu ſecundo*, eo quòd nec ſacrificium Crucis hoc præſtet; prout autem à Sacerdote exit Sacrificium, non eſt valoris infiniti, ſed finiti, ut ipſe Sacerdos eſt perſona finita: aliàs vel unâ miſsâ Sacerdotis, totum purgatorium poſſet evacuari, & omnes pœnæ remitti. Imò deberet quamlibet miſſam pro omnibus fidelibus offerre; cum quiſque ex charitate debeat proxi-

proximos juvare, dum ſine aliqua difficultate poteſt.

Dicendum 2. Valor Sacrificii debet dici abſolutè finitus, eò quod immediatè à miniſtro finitæ dignitatis procedat. Rationem præbet Card. Bona in ſuis de Miſſa ſcriptis aſceticis §. 4. ubi ita inter cætera ait: *Favet huic Doctrinæ communis fidelium ſenſus, qui plura pro ſe & ſuis ſacrificia offerri curant, quod certè non facerent, ſi infinitam in ſingulis efficaciam agnoſcerent. Poſſent etiam Sacerdotes unico Sacrificio ſexcentis obligationibus ſatisfacere, quod Eccleſiaſtica vetant decreta. Fruſtra pro uno defuncto tot multiplicaremur Sacrificia, .. quia unum ſufficiens eſſet, ad omnes animas liberandas. Miſſa denique cujuslibet Sacerdotis, Sacrificium Chriſti in Cruce æquaret, quod ideo unicum fuit, quia valoris infiniti: neque conſiderandum eſt id, quod in Sacrificio continetur tamquam ens quoddam naturale agens ſecundùm ſummum gradum virtutis ſuæ, ſed ut ens liberum cujus operatio tantam habet efficaciam, quantam habere vult ipſum agens principale Chriſtus Redemptor noſter, qui hoc incruento Sacrificio vult nobis applicari finitum tantùm & limitatum fructum ſuæ Paſſionis.* Hæc ille.

Fructus Sacrificii eſt abſolutè finitus.

Dicendum 3. Fructus Sacrificii eſt triplex: *Generalis*, qui extenditur ad omnes omnino Fideles, tam vivos quam defunctos, atque hoc ex intentione Eccleſiæ. *Specialis* eſt, qui correſpondet ipſi celebranti, unde ait *Offero . , ... pro innumerabilibus peccatis & offenſionibus & negligentiis meis.* Tertius eſt *Fructus medius*, qui ex diſpoſitione Sacerdotis applicatur illi, pro quo vult offerre ſacrificium.

Fructus generalis, ſpecialis & medius

Ex dictis clarè ſequitur, quòd Sacrificium oblatum pro pluribus, non tantùm proſit, quantùm prodeſſet pro ſingulis oblatum. Probat enim illud Eccleſiæ praxis, dum plures miſſas ſpeciatim pro aliquo celebrari curat; dum vetat diverſa ſtipendia

Miſſa oblata pro pluribus, non tantùm iis proſit,

quantum pro ſingulis ſeorſim dia pro eadem celebratione recipere, dum Conc. Trid. Seſ. 25. c. 4. reform. tantâ cautelâ ſolis Epiſcopis & Abbatibus & generalibus ordinum reductionem miſſarum ad minorem numerum permiſit, idque ſolùm in certis caſibus ibidem expreſſis, quòd prudenter ab ipſis præcipit obſervari, ne forte conſcientiam ſuam in diſcrimen adducant: Nulla autem fuiſſet ratio tam ſollicitè id præcipiendi & præcavendi, ſi pluribus æquè prodeſſet Sacrificium, ac uni ſingulatim oblatum. Denique vix exiſtimo fideles iis miſſas celebrandas velle offerre, ſi noſſent ſe contrariæ ſententiæ conformare: Plura de hac re dabo agendo de applicatione Miſſæ.

SECTIO V.

De Rubricis miſſalis, earumque obligatione.

Rubrica quid ſit. DICENDUM primò, *Rubrica* ſic dicta à rubro colore, eo quod leges & ordinationes rubro colore ſcribi ſolerent, eſt ordinatio Eccleſiæ aliquid obſervandi. *Alia eſt præceptiva, alia directiva.* Alia eſt *Præceptiva*, quæ obligat ad ſervandum id, quod præſcribit: alia *Directiva*, quæ ſolùm dirigit ac conſulit aliquid agendum, adeò ut eam non ſervans non peccet. Si materia ſit gravis, & ſit rubrica præceptiva, erit peccatum mortale eam voluntariè prævaricari in actu Sacrificii: aliud eſt, ſi inadvertentia vel materiæ parvitas excuſet.

Porrò contravenitur potiſſimum rubricis 2. modis, addendo aliquid vel aliquid omittendo, quod rubrica præſcribit aut non præſcribit. Pro quorum pleniore intelligentia, ſciendum eſt, quænam pars in miſſa cenſeatur notabilis: Ac in primis cenſetur notabilis pars, quæ cum Miniſtro dicitur à Sacer- *Pars Miſſæ major.* dote ante gradus Altaris quam vocant *Introitum*, *Con-*

Digitized by Google

Confeſſionem, &c. Item *Epiſtola*, *Evangelium*, *Oblatio Hoſtiæ & calicis cum ſua quæque forma*, *præfatio*; item plures parvæ, quæ magnam v.g. *Evangelium* adæquent; omiſſio canonis; quæ recitantur ab oratione Dominica uſque ad communionem, idque ſingulæ partes ſeorſim v.g. oratio *Libera*, *Agnus Dei*, *Domine non ſum dignus*, &c. Evangelium Joannis volunt aliqui ad Miſſæ integritatem non pertinere, ſed ſupererogari, maximè quod ante dictum ſit, *Ite Miſſa eſt*, id eſt, *Eſt facta*. Alii tamen ex conſuetudine illud ſub mortale addendum eſſe docent.

Partes Miſſæ ſtabiles & inſtabiles.

Dicendum 2. Miſſæ partes aliquæ ſunt ſtabiles, aliæ inſtabiles: *Stabiles* ſunt, quæ in omni Miſſa adhibentur, v.g. canon, oratio Dominica, &c. *Inſtabiles* ſunt, quæ aliquando omittuntur, v.g. *gloria*, *credo*, *communicantes*, &c. *Inſtabiles* omittens non facile à me condemnabitur peccati mortalis, eo quod ſacrificium ſine iis, integraliter ſubſiſtat: & quamquam Pius V. mandet in virtute S. Obedientiæ, omnes rubricas & ordinationes Miſſalis quoad Miſſæ partes obſervari, ſolùm id intelligit de partibus ſtabilibus, ſine quibus ſacrificium eſſet integraliter mutilum. Stabiles vero Miſſæ partes omittens ex genere ſuo eſt peccatum mortale, cùm omiſſio earum directè opponatur conſtitutioni Pii V. parvitas tamen materiæ hîc excuſare poteſt; quænam verò ſit major pars, ante oſtenſum eſt.

An in Canone detur parvitas materiæ.

Unum ſupereſt, an in canone non detur parvitas materiæ: in qua materia hoc in primis certum eſt, partes Canonis utpote ſacratiores, cadere ſub ſtrictiorem obligationem, quàm cæteras partes: melius tamen dicitur, quod in Canone detur quoque parvitas materiæ, v.g. ſi ſolùm 4. vel 5. verba Canonis omittantur, quod majori jure de parte *communicantes* dici poteſt, utpote quæ ſit inſtabilis. De cœtero inadvertentiam à peccato morta-

li excuſare, certum eſt: uti etiam eſſe mortale verba illa Canonis omittere, quibus myſterii repræſentatio deſtruitur vel pro majori parte minuitur. Quomodo autem forma variari poteſt, dictum eſt agendo de forma Euchariſtiæ.

Obligatio ritûs adhibendi. Ritus majores.

Dicendum 3. Ritus præſcripti tam bene quàm verba cadunt ſub præceptum: unde ſi ritus aliquis ſit majoris momenti, erit peccatum mortale. Majoris momenti ritus ſunt, mixtio aquæ cum vino, elevatio hoſtiæ & calicis, fractio hoſtiæ, mixtio ejuſdem cum ſanguine, purificatio calicis & patenæ; ratio eſt, quòd illi omnes contineant grave myſterium, vel eorumdem omiſſio gravem irreverentiam. Reliqui ritus, v. g. Cruces, genuflexiones, elevatio manuum & oculorum, de ſe ſunt ſolùm veniale (aliàs ſi plures omitterentur, qui arbitrio prudenti æquivalerent majori ritui, erunt mortale.) Idem eſt de thurificatione & aliis ad ornatum Miſſæ adhiberi ſolitis.

Additio ad formam & alia Miſſæ.

Dicendum 4. Addere aliquid, quòd ſignificationem formæ eſſentialiter immutet, eſt peccatum mortale, nec conficit Sacramentum: ſi verò aliquid addat, quod eſſentiam formæ non immutet, peccat equidem mortaliter, cum contra Eccleſiæ præſcriptum, grandis ſit temeritas, aliquid addere. Idem dicendum eſt de repetitione formæ, cum eadem materia non ſit reconſecrabilis; proferre autem formam ſuper materiam incapacem eſt peccatum mortale. Aliud eſt, ſi quis dubitaret, an debitè protuliſſet formam, quo caſu poſſet ſub conditione formam repetere.

Addere verò ex devotione orationem jaculatoriam. v. g. eo tempore, quo nihil eſt dicendum, v. g. tempore elevationis hoſtiæ, calicis, &c. excuſant aliqui à peccato: quamquam conſulerem, nihil addere, nec dicere, niſi quod ab Eccleſia obſervandum præſcribitur. Unde privata devotio, debitæ devotioni hìc aliquando derogat: maximè cum

Pius

Pius V. expreſsè vetet, aliquem ritum addere ritui à ſe in Miſſali præſcripto.

Dicendum 5. Mutatio notabilis partium principalium & rituum Miſſæ eſt peccatum mortale, v. g. ſi variaretur verborum ſenſus: imò, etſi verba in alterius idiomatis ſynonima verterentur, cum illud expreſsè inhibeat Conc. Trid. ſeſ. 22. c. 8. & 9. Ubi damnantur ii, qui dicebant Miſſam celebrandam lingua vulgari. Aliàs ſi mutatio rituum vel partium non ſit notabilis, v. g. aliud Evangelium, aut Epiſtolam aſſumendo & legendo, &c. non erit niſi ad ſummum veniale. *Mutatio partium Miſſæ.*

SECTIO VI.

Expoſitio Rubricæ primæ de præparatione celebraturi.

Sacerdos celebraturus Miſſam prævia confeſſione Sacramentali, quando opus eſt; & ſaltem matutino cum laudibus abſoluto, orationi aliquantulum vacet, & orationes inferius poſitas pro temporis opportunitate dicat. Primum declarat S. Synodus Trid. ſeſ. 13. c. 7. ubi ait: *Nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſâ Sacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere audeat.* Præceptum hoc eſt divinum poſitivum juxta S. Aug. regulam l. 4. de Bapt. c. 24. quòd quando aliquid ab univerſali Eccleſia obſervatur, neque à Conciliis, neque ab Eccleſiâ ortum ducere noſcitur, tum pro divinâ traditione ſit cenſendum. Debet autem hæc confeſſio eſſe valida, nec ſufficit ſacrilega, cum illâ potius fini legis obvietur, quàm ſatisfiat. Præceptum tamen illud ſuas admittit excuſationes, primò quidem ſi deſit copia confeſſarii, & neceſſitas celebrandi urgeat vel communicandi: ſufficit autem quòd non niſi cum notabili incommodo ſacerdos confeſſarium habere ne- *Quandonam deſit copia Confeſſarii.*

nequeat, ut deeſſe cenſeatur confeſſarii copia, cum moraliter eo caſu deeſſe judicetur, quòd non niſi valdè difficulter haberi poteſt, undè etiam verba Conc. Trid. allata ſunt moraliter intelligenda.

Hinc varia colligi liceat 1. quod, ſi quis in pago exiſtens, non poſſit convenire confeſſarium, niſi magno labore (quod prudenti judicio eſt disjudicandum) cenſetur deeſſe confeſſarii copia.

2. Si adſit Confeſſarius quidem, ſed excommunicatus irregularis, qui Confeſſionem audire recuſat, nec alius adſit, cenſetur deeſſe copia Confeſſarii

3. Si injuſtè denegetur abſolutio, ſi induerit veſtes Sacerdotales & in illis confeſſus, invenitur abſolutione indignus, & ſit periculum infamiæ, ſi non pergat; cenſetur quoque deeſſe copia confeſſarii. Aliud eſſet, ſi juſtè denegetur abſolutio, cum qui indignus eſt abſolutione ob ſuam culpam, indignus ſit communione: Idem eſt, ſi abſit periculum infamiæ in priori caſu.

Cenſetur autem adeſſe neceſſitas, dum inſtat articulus mortis communicandi ſe vel alterum, ſi adſit periculum gravis ſcandali, infamiæ, obligatio præcepti præponderantis, ſi populus Parochiæ aliàs Die Dominico fruſtraretur Miſsâ, non ſervaret Paſcha & alia, quæ prudenti judicio conſtitutione dictâ non cenſentur comprehendi.

Dicendum 2. Dum quis abſente copiâ Confeſſarii ita communicavit aut celebravit, debet juxta Trid. ſuperius allatum, quàm primum confiteri: id eſt non ſtatim detractis veſtibus ſacris, aut etiam non niſi ante Miſſam ſequentem, ſed ſaltem intra triduum, cum quod intra triduum fit, in continenti fiat, uti dicitur L. fin. c. de erroribus advoc.

Confeſſio dubiorum peccatorum. Dicendum 3. Cùm peccata dubia pertineant ad materiam Confeſſionis, uti probabo ſuo loco, tenetur eadem mortalia ante celebrationem confiteri. Debet enim procurare ſtatum gratiæ, quantum poteſt:

poteſt : Et quamvis Trid. dicat, quod ille debeat præmittere Confeſſionem, qui eſt mortalis peccati *Conſcius*; cum ille, etſi non habeat certam conſcientiam de peccato, habet tamen dubiam, cum qua operari eſt vetitum : unde dubia ut dubia ſunt confitenda, certa ut certa.

Dicendum 4. Cùm Sacrificium illud requirat ſummam animæ puritatem, piorum praxis docet, laudabile eſſe præmittere confeſſionem venialium, etſi ſollicitè curandum ſit, ut adſit debitus de iiſdem dolor de quo poſtea de confeſſione venialium & eorum contritione.

Dicendum 5. Debet ex præſcripto Eccleſiæ Sacerdos præmittere matutinum cum laudibus, quæ rubrica eſt ſolùm directiva, neque ullatenus erit mortale illa non præmittere, imo per ſe ne quidem veniale, eo quòd nulla de hac re extet lex, aut conſuetudo animo obligandi inducta, neque ſit tanta connexio inter horas illas & celebrationem Miſſæ, quanta eſt inter horas inter ſe, quas tamen ſubinde invertere, ſi aliqua ſubſit cauſa, non eſt peccatum. *Obligatio dicendi matutinum ante Miſſam.*

Dicendum 6. Orationi vacare prævìè debet, ad accedendum tam admirabile myſterium ſe diſponere, ut divina miſericordia ſuppleat, quod dignitati miniſtri deeſt. Deinde notandum eſt, non eſſe mortale omittere preces in amictu veſtium præſcriptas, cum ſit ſolùm rubrica directiva, quod conſtat ex eo quod additur : *Pro opportunitate Sacerdotis dicendæ.*

Dicendum 7. Præparatio digna ad dignè celebrandum, exiguo temporis ſpatio non abſolvitur, ut quidam credunt. De eâ præparatione ita Author libelli de imitatione Chriſti l. 4. c. 1. *Ecce*, ait, *Noë vir juſtus in arcâ fabricâ* 100. *annos laboravit, ut cum paucis ſalvaretur; & ego quomodo me potero unâ horâ præparare, ut mundi fabricatorem cum reverentiâ ſumam?* Unde & S. Philippus Nerius, ne- *Qua ſit debita præparatio communionis.*

gabat eum ſe ritè præparare, qui non niſi mediâ horâ ſe ad ſacrificandum præpararet; addens præparationem illam debere eſſe continuam ex parte vitæ ſacerdotalis. Notent hæc illi, qui ſine ullâ præparatione non verentur accedere. Ex quibus etiam hoc liquet, illos præ cæteris arctius obligatos perfectioni ſpirituali, qui præ cæteris magis ſunt obligati, ſive ex beneficio, ſive ex obedientia, ſive alio titulo, ad ſæpius celebrandum.

Dicendum 8. non cenſetur ille ſe ritè præparaſſe, qui mox à peccato mortali commiſſo, etiam confeſſo ad communionem accedit. Hinc Covarruvias in Clement. *ſi furioſus. Impium*, ait, *eſt negare, peccare mortaliter eum Sacerdotem, qui poſt fornicationem præcedenti nocte commiſſam, ſequenti die celebrat, etiamſi contritus ſit, & confeſſus.* Neque hìc objici poteſt, in quo ſe quidam infundatè fundant, Conc. Trid. ſeſ. 13. cap. 7. ſolùm requirere, ut conſcius peccati mortalis confiteatur ante communionem: dictam enim confeſſionem quidem exigit ut neceſſariam, non tamen dicit eam eſſe ſufficientem. Sic quoque Rubrica art. 9. de defectibus corporis, docet ob pollutionem à communione eſſe regulariter abſtinendum, etſi eam quoque confeſſus ſit. Ex quo colligitur immanis Caſuiſtarum aliquorum error, docentium poſſe Sacerdotem etiam poſt habitam eo die copulam, quam ſit confeſſus, tutò celebrare.

SECTIO VII.

Proſecutio Expoſitionis Rubricæ. 1.

Lotio manuum prævia.

Deinde *accedit ad locum Sacriſtiæ, ... Accipit miſſale, perquirit Miſſam, perlegit, & ſignacula ordinat .... Poſtea lavat manus, dicens orationem inferius poſitam.* Hæc omnia ſunt directiva, cum Miſſa-

Miſſale ordinari poſſit ſine ejus prælectione facili negotio in ipſo altari; aliud eſſet ſi quis in obſervatione rituum foret ignarus & inexpeditus, unde morâ ſuâ populum offenderet.

Idem eſt de lotione, quæ neceſſaria non eſt, ſi manus ſint mundæ: quamquam ipſo naturæ jure illud Sacramentum ſordidis manibus tractare, magnam irreverentiam contineat.

Sequitur quod Calix debeat eſſe aureus vel argenteus, aut ſaltem habere cuppam argenteam intus inauratam, & ſimul cum patena itidem inaurata, ab Epiſcopo conſecratus. Conſecrationem hanc requirit quoque rubrica quoad veſtes ſacras, de quibus ſtatim: eo tamen diſcrimine, quod calix debeat conſecrari Sacro Chriſmate, unde ſolùm ab iis conſecrari poteſt, à quibus Chriſma adhiberi poteſt, puta Epiſcopis, & Abbatibus. Veſtes autem ſingularem benedictionem requirunt ſine Chriſmatis inunctione, unde, & ab aliis benedici poſſunt, v. g. Præpoſitis, Prioribus, &c. Qui tamen Calices benedicere nequeunt. *Calix.* *Conſecratio Calicis & veſtium.*

Porro debet Calix eſſe aureus vel argenteus, ſaltem ex parte cuppæ: vel ad minimum ex ſtanno, ut habetur cap. *ut Calix.* Etſi autem antea ſolerent conſecrare in ligneis Calicibus aurei Sacerdotes, ut habetur can. *Vaſa* de celebrat. diſt. 1. Tamen Calices ligneos, vitreos, cupreos, ex aurichalco, plumbo, &c. abrogavit Eccleſia, ligneos quidem ob poroſitatem: vitreos ob fragilitatem: alios, eo quod madefacti rubiginem contrahant & vomitum cauſent. Allaborandum tamen eſt, ut pro debita huic Sacramento reverentia, argenteus ſaltem Calix adhibeatur, qualis facile ubique haberi poteſt, ſi diligentia debita adhiberetur in eo conquirendo.

Dicendum 2. Cenſetur benedictio Calicis tam diu remanere, uti & veſtium, quamdiu ita remanent, ut ſint apta ſuo quæque miniſterio: unde deauratio Calicis non tollit benedictionem, cum

eâ non obſtante, Calix maneat aptus ſuo Miniſterio. Si cuppa à pede dividatur, ſi ſit Calix tornatilis, clarum eſt, quòd benedictio per diviſionem non amittatur: ſi verò non ſit tornatilis, non retinet benedictionem, cum non maneat moraliter loquendo aptus Miniſterio. Idem eſt de Veſtibus Sacris; ſi enim retineant non obſtante mutatione eumdem uſum ad miniſterium Sacrum, manent itidem benedictæ. Si tamen fiant detritæ, & paulatim confractæ aſſuuntur, reparantur, &c. ſic ut ſemper manſerint aptæ ad miniſterium, non amittunt conſecrationem, cum acceſſorium ſequatur ſuum principale. Hinc ſi planeta, manipulus, ſtola fiat detrita, illa reparando non amittitur benedictio. Idem dic de cingulo rupto, quod etiamnum aptum manet ad cingendum: alii quoque ſatis probabiliter tenent, quod ſi neutra pars ſufficiat, poſſit equidem, ſalvâ benedictione, partes innodare.

Dicendum 3. Si quis celebrat in veſtibus aut vaſe non benedicto per Conſecrationem illam non remanent benedicta Ratio eſt, Eccleſiæ conſtitutio, quæ requirit benedictionem ab ipſo præſcriptam, qualis non eſt celebratio.

Celebrare ſine veſtibus ſacris quale ſit peccatum. Celebrare tamen ſine veſtibus majoris momenti, eſt de ſe peccatum mortale, v. g. omiſſio ſtolæ, omiſſio verò veſtis minoris, v. g. cinguli, manipuli, &c. eſt ſolum peccatum veniale. Major tamen & quidem graviſſima cauſa requiritur ad celebrandum ſine veſtibus majoribus, quam minoribus: quæ ſi adſit, v. g ad vitandam mortem, licitum erit omittere veſtes majores, eò quod illarum adhibitio ſit juris poſitivi Eccleſiæ, quæ non obligat cum tanto damno.

Quid ſignificent veſtes ſacra: amictus. Dicendum 4. *Amictus* ſignificat velamen faciei Chriſti à Judæis obvelatæ, dicentibus, *Propbetiza, quis eſt, qui te percuſſit?*

Alba ſignificat albam veſtem, qua Herodes deluſit

luſit Chriſtum. *Cingulum* ſignificat flagella Chriſtum, ambientia. *Manipulus*, funes quibus ligatus eſt Chriſtus: *Stola*, ligaturam ad Columnam. *Planeta* veſtem purpuream Chriſti coram Pilato. *Alba Cingulum Manipulus, planeta.*

Dicendum 5. non recitare preces inter induendum veſtes ſacras, non eſt per ſe peccatum, cum rubrica preces illas præſcribens, non ſit niſi directiva, non item præceptiva.

Rectè quoque admonet rubrica, ne veſtes aut alia miſſæ paramenta ſint lacera, idque contra reverentiam ſacrificii. Quo pacto graviter peccant, veſtibus laceris, lineis ſordidis, & præcipuè corporali & purificatorio ſordidis celebrantes, & aliquando ſimilia ſervitio menſæ, aut proprio ſtrophiolo applicare erubeſcerent, ubi pejora ſacris applicare non reformidant. Certè ex decentia ornatûs ſacri, ſuperiorem Eccleſiæ facilè dignoſces. Hinc S. P. N. Norbertus jure merito, inter tria, quæ ſæpe de die in diem ſervanda ingeminabat, unum erat, circa altaria & divina myſteria munditiès. *Veſtium decentia.*

SECTIO VIII.

Annotatio ad rubricam ſecundam & tertiam.

Dicendum primò: debet juxta rubricam præcedere miniſter cum Miſſali. Olim quidem in ſpeluncis Eremitæ ſoli celebrabant, ex uſu tamen & praxi Eccleſiæ, & cap. *propoſuit* de filiis presbyt. hoc expreſsè inhibetur: unde ſequitur, quòd cum ſit illud juris Eccleſiæ, poſſit in eo à Papa diſpenſari. Imò excipiunt aliqui caſum gravis neceſſitatis, quando obligatio alterius præcepti prævalet, v. g. communicandi moribundum. *Miniſter. Miſſa.*

Cap. *de cohabit. Cleric. & mulierum*, inhibetur hîc femina: in Belgio tamen conſuetudine contrariâ eſt *Femina,*

aliter introductum, unde praxis habet, Reginas poſſe miniſtrare: quamquam hoc laudabiliter obſervent aliquæ, nec librum tranſportare, ampullas in altari collocare, & ſolùm reſpondere, niſi aliud neceſſitas requirat.

Capite detecto celebrandum. Dicendum 2. Rubricâ tertiâ dicitur, quòd Sacerdos debeat celebrare capite detecto, contrarium ſub gravi pœna ſtatuitur cap. *nullus epiſt.* diſt. 1. & quidem etſi juſta cauſa ſubſit, v. g. propter dolores capitis, calvitii, &c. Debet equidem ex conſtitutione Urbani VIII. adiri Pontifex, ſi commodè adiri poſſit, pro diſpenſatione, cùm hoc ſoli Pontifici poſt dictam conſtitutionem Urbani VIII. ſit reſervatum. Si verò non ita commodè adiri poſſit, Epiſcopo & Prælato quoad ſubditos diſpenſatio pro eo caſu jure antiquo competere, eſt veroſimile.

Dicendum 3. Ex praxi Eccleſiæ non videtur illicitum paramenta accipere in altari, ita tamen ut inferiores Cardinalibus, & Epiſcopis, ſumere debeant ex parte Evangelii.

Miſſa inchoata eſt perſolvenda. Dicendum 4. Miſsâ inchoatâ, non licet ſub gravi pœna & culpa ab ea perſolvenda recedere, niſi urgentiſſima de cauſa. Si ante conſecrationem recordetur peccati mortalis, neque ſine gravi infamia haberi poſſit copia confeſſarii, non tenetur ab inchoata Miſſa recedere, ſed prævia contritione proſequendum eſt. Si verò commodè haberi poſſit copia Confeſſarii, v. g. dum ſedet Sacerdos ſub *gloria*, ſub *graduali*, *Credo*, *&c.* Omnino debet confiteri, cùm enim quoad partes eſſentiales Sacrificium non ſit inchoatum, major erit irreverentia, in tali ſtatu pergere, quàm intermedia Confeſſione Sacrificium pauliſper interrumpere. Idem ſtatui poſſet, dum quis in decurſu Miſſæ, recordatur, ſe eſſe irregularem, ſuſpenſum, &c.

Dicendum 5. Si celebrante Sacerdote Eccleſia violetur, de quâ violatione poſtea, ſi non ſit Canon

non inceptus, debet Miſſa relinqui, ſecus ſi inceptus ſit. Si verò non ſit inceptus Canon, debet Sacerdos expectare, donec Eccleſia ſit reconciliata, quod facili negotio poterit ipſe Sacerdos; ſi Eccleſia ſit ſolùm benedicta & non conſecrata, factâ reconciliatione debet proſequi. Si verò incepto Canone, poſſit reconciliatio commodè expectari, debet omninò expectare, & factâ reconciliatione pergere.

Si verò mors aut ruïna Eccleſiæ immineat, etiam incepto Canone abrumpi Miſſa poterit, cùm Eccleſiaſticæ leges, non obligent cum tanto damno: imò ob periculum irreverentiæ, deberet abrumpi. Si verò eo caſu facta ſit conſecratio, ſtatim debet ſumere Sacramentum, cum aliæ partes non requirantur ad eſſentiam ſacrificii. Si verò eſſet ſola hoſtia conſecrata, poſſet eo caſu vel hoſtiam ſolam ſumere, vel eam ſecum auferre, neque mutilatio hoc caſu à Sacerdote cenſetur eſſe procurata, ſed urgentiſſimâ de causâ permiſſa ſolùm. Denique hoc & alio ſimili caſu, debet provideri quàm ſollicitè poſſit, reverentiæ Sacramenti.

Dicendum 6. Non licet quoque miſſam ſine cauſa interrumpere, cum ſit compoſitum morale contiguum, unde interruptione ſolvitur unitas ab Eccleſia requiſita: quò autem minor vel major erit interruptio, eò minor vel major reſpectivè erit culpa. Imò quò miſſa eſt dignior officio divino, eò interruptio miſſæ interruptione officii eſt gravior culpa, unde etiam ad officium interrumpendum, non requiritur tanta cauſa quàm ad interrumpendam miſſam. *Interruptio Miſſæ*

Cauſa verò interrumpendi miſſam eſt gravis infirmitas, neceſſitas ventris diſſolvendi, quod differri non poteſt, ad ſuccurrendum moribundo, &c. quæ interruptio non impedit moralem contiguitatem ſacrificii: unde reſumens miſſam, debet progredi ab ea parte, in qua deſiit. In his autem, prudenti judicio judicandum erit, an neceſſitas & juſta cauſa

præponderet obligationi miſſam non interrumpendi, necne, & agendum illud, quod præponderat. Sic etiam interrumpi poteſt, ob concionem, veſtitionem, profeſſionem, &c. præſtaret tamen cum aliquali cantûs muſici diminutione pergere, quàm ob illum interrumpi, unde præſtaret à muſicis interrumpi tantum & abrumpi, quàm propter muſicam interrumpi miſſam.

Quid ſignificent Miſſa partes.

Dicendum 7. *Introitus* ſignificat, & innuit, quâ animi puritate ad altare Dei ſit introeundum. *Confeſſio* ſubſequens, indignitatem Sacerdotis confitetur, *& juſtus prior accuſator eſt ſui*: unde S. Mariam, Michaëlem, & alios ſanctos invocat ad opitulandum: Initium hoc miſſæ ſignificat ſtatum hominis ante adventum Chriſti, peccatis obrutum. Ipſe introitus exprimit ſuſpiria Patrum expectantium Chriſti adventum, unde toties dicitur *Kyrie eleyſon*, id eſt, *Domine miſerere*. Sequitur *Gloria in excelſis*, quæ ſignificat adventum Chriſti in carne, *Collectæ* verò ſignificant paſtorum & magorum adorationes & obſequia. *Epiſtola* ſignificat prædicationem Joannis ante Evangelium: *Graduale* pœnitentiam, quam prædicabat Joannes. *Alleluia* ſignificat gaudium animæ pœnitentiâ abſolutâ. *Evangelium* innuit prædicationem Chriſti: *Symbolum* exprimit fidem prædicandam & confitendam. Hucuſque durabat miſſa Cathecumenorum, eò quod hucuſque intereſſe poterant cathecumeni, poſtea excludebantur.

Sequitur *Offertorium*, ſeu rei offerandæ oblatio & benedictio, ut in conſpectu divinæ Majeſtatis, cum odore ſuavitatis adſcendat, quod offert: ad hoc implorat Sanctiſſimam Trinitatem, & alios Sanctos. *Secreta* ſignificat orationem Chriſti ante ſuam paſſionem, quando orabat ſecreto. *Præfatio* ſignificat agratulationem puerorum Chriſto factam, clamantium *Ozanna in excelſis*.

Subſequitur *Canon* id eſt regula, eo quod ſollicitè admodum præ aliis miſſæ partibus debeat obſervari.

vari. Hinc myſteriis abundat, & pietatem cauſat. *Elevatio Calicis & Hoſtiæ*, ſignificat crucifixionem Chriſti & elevationem Crucis. *Oratio Dominica* conſtat 7. petitionibus, in memoriam 7. verborum, quæ Chriſtus in Cruce locutus eſt, quam ſequitur oratio *Libera*, &c. Quâ ſignificatur omnes morte Chriſti liberatos à ſervitute Diaboli & peccatis. *Fractio & Mixtio Hoſtiæ*, ſignificat diviſionem animæ Chriſti à corpore, cui iterum fuit unita. *Pax Domini*, ſignificat pacem, quam Diſcipulis toties prædicavit Chriſtus. *Agnus Dei*, ſignificat peccata mundi per Chriſtum eſſe deleta. *Communio*, ſignificat Commeſtionem Chriſti cum Apoſtolis, cùm Reliquias cibi dedit eiſdem. *Benedictio*, ſignificat benedictionem Chriſti adſcendentis in Cœlum, dum elevatis manibus benedixit Apoſtolis. *Evangelium Joannis*, ſignificat Prædicatiouem Apoſtolorum de Chriſti incarnatione. Myſteriorum prædictorum notitia cuilibet Sacerdoti eſt neceſſaria, ut dignè & fructuosè illa obeat & obſervet.

SECTIO IX.

De Offertorio & Ritibus ejuſdem.

DICENDUM primò, Offertorium eſt ritus Miſſæ gravis, unde gravis erit deordinatio illud omittere: per illum enim res profana redditur apta & proportionata ad continendum rem omnium maximè ſacram. Et licet Eccleſia aliquando contenta ſit oblatione mentali v. g. quando poſt conſecrationem advertit Sacerdos hoſtiam non eſſe triticeam: non innuit ritum hunc non eſſe ita gravem, aut omitti liberè poſſe, ſed præceptum de offerendo externè ob timorem ſcandali ſuſpendit, quâ vel aliâ urgente causâ ceſſante, manet obligatio exteriùs ritum illum adhibendi, in ſuo vigore.

Di-

Dicendum 2. Si poſt oblationem adferantur particulæ pro communicaturis, ſi adſit juſta cauſa, poſſet adhiberi ſola oblatio mentalis, v. g. ad vitandam confuſionem, ad Clerum communicandum: Aliàs, ſi juſta cauſa deſit, deberet eas verbaliter quoque offerre, maximè ante Canonem, quia eouſque cenſetur oblatio moraliter perſeverare. Si verò incepto Canone adferantur, docent plerique tum non eſſe conſecrandas, cùm Sacrificium tunc ſit moraliter inchoatum, unde conſequenter docent, quod ſi eo caſu adeſſet cauſa graviſſima, puta moribundum communicandi, potiùs danda eſſet particula majoris hoſtiæ.

Dicendum 3. Si poſt oblationem Calicis, aqua omiſſa ſuperaddatur, non debet aqua benedici, eò quod materia conſecrationis, id eſt vinum in Calice prævię fuerit benedictum, eò quod pars principalis ad ſe trahat minus principalem: ſicut ſi oleo benedicto addatur aliud non benedictum. Unde rubrica dicit, quod ſi ante conſecrationem advertat Sacerdos aquam non eſſe admixtam: debeat eam ſtatim addere, & conſecrare nullâ mentione oblationis factâ.

Dicendum 4. omittere benedictionem aquæ, item ablutionem digitorum, eſt ſolùm peccatum veniale, eò quod non ſit ritus adeò gravis.

SECTIO X.

De Canone, ejuſque Ritibus.

Dicendum primò prolatis verbis *te igitur*, &c: ſimul cum geſtibus, præſcribitur in rubrica, & Canone addere nomen Epiſcopi, puta talis in cujus territorio celebratur. Si verò quis celebret in locis ab Epiſcopo exemptis, v. g. quæ ſubſunt Abbati, veroſimilius non debet nominari vicinioris Epiſ-

Epiſcopi nomen, ſed omitti, cùm apertè dicat rubrica nomen Epiſcopi talis loci: unde idem eſſet, acſi Epiſcopo mortuo ſedes vacaret. In quibuſdam quoque partibus additur hic nomen Regis loci, in aliis non additur, unde praxi loci ſeſe debet accomodare celebrans Sacerdos.

Dicendum 2. Sacerdos orare poteſt in ſuo *memento* modo oppprtuno, ſi per caſus nominum diſcurrat: v. g *nominativo* caſu pro ſeipſo. *Genit.* pro genitoribus: *dativo* pro benefactoribus, &c. hoc tamen notandum expediens admodum eſſe, ſi præviè in Sacriſtia in particulari fiat commemoratio illorum, pro quibus quis vult orare.

Dicendum 3. Applicationem Miſſæ fieri convenit in primo *memento*, etſi ante Miſſam applicatio illa fieri poſſet. Cùm verò Sacerdos ſit diſpenſator myſteriorum fidei; debet ſpecialem fructum, id eſt, qui correſpondet illi, pro quo celebratur, applicare alicui. Poterit autem illum fructum applicare, tum ſibi tum aliis non impeditis: excommunicatis enim vetat Eccleſia precibus & ſacrificiis communicare, unde ſi pro illis celebret, ut Miniſter Eccleſiæ, contravenit in re gravi, ſtatuto Eccleſiæ, quo caſu erit non tantùm illa applicatio illicita, ſed etiam invalida: cùm enim agat hoc caſu, uti ſupponitur, ut Miniſter Eccleſiæ, non poteſt agere ultra intentionem Eccleſiæ præſcriptam, quæ excommunicatos excludit. *Applicatio Miſſa debita.*

Si verò Sacerdos celebrat, ut Miniſter particularis, licet validè & licitè privatâ oratione illis prodeſſe poſſet. Si denique ut Miniſter Chriſti, applicatio facta excommunicatis erit quidem valida, ſed illicita: peccat enim contra legem Eccleſiæ procedendo. Valet tamen applicatio, cùm poteſtas conſecrandi & applicandi Miſſam, annexa ſit ordini Sacerdotali, ergo ſicut Eccleſia non poteſt facere, ut Sacerdos validè non conſecret, dum cætera eſſentialia adhibet, ita nec invalidare applicationem.

Dicta

Dicta intellige de excommunicatis vitandis, non item de non vitandis, quibuſcum communicare in ſpiritualibus, à Martino V. bullâ *ad evitanda*, fidelibus eſt permiſſum, de quo alibi actum eſt.

Damnatis, beatis an Miſſa poſſit applicari.

Dicendum 4. Non licet offerre Miſſam pro damnatis, eò quod omnis planè fructûs ſint incapaces. Pro Beatis verò non poteſt offerri Miſſa, ut illis proſit in remiſſionem pœnæ vel culpæ, aut in gratiæ vel gloriæ eſſentialis augmentum, bene tamen ad gratificandum Deo, quod beatos Patronos noſtros poſuerit & acceperit.

An Miſſa de requiem plus proſit defunctis quàm alia.

Pro defunctis quoque æquè ac pro vivis offerri poteſt hoc Sacrificium, uti patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 2. Hoc tamen notandum eſt, Miſſam *de requiem* plus illis prodeſſe, quàm aliam, quoad fructum impetrationis, eò quod orationes hîc ſint magis ad id congruæ: etſi hoc in alia Miſſa ſatis quoque poſſit compenſari, v. g. majori devotione celebrantis, &c.

An liceat celebrare Miſſam pro vivo tamquam pro defuncto.

Celebrare Miſſam pro vivo tamquam pro defuncto, Eccleſiæ ordinationi eſt contrarium, neque ex eo more ulla utilitas poterit expectari, eò quod Miſſa duobus modis ſoleat conferre ſuum effectum, ſemel ex opere operato, quatenus Sacerdos celebrat in perſona Chriſti, qui ſtatim confertur, neque in futurum ſuſpendi poteſt: alio modo ex opere operantis, & per modum impetrationis, quatenus Eccleſiæ preces Sacrificio adjunctæ ſunt, illæ autem referuntur ad mortuos in Miſſa *de requiem*, non item ad vivos. Deinde, etſi olim diſſimulaverit in contrario facto Caroli V. tamen Eccleſia modò aliter jure ordinat, uti patet ex dictis.

Fructus Miſſæ nulli applicatus reponitur in theſauro Eccleſiæ.

Dicendum 5. Licet Sacrificium applicare peccatoribus quoad fructum impetrationis, puta ut convertantur: non itidem quoad fructum ſatisfactionis, cùm non remiſsâ culpâ, non remittatur pœna. Si autem Sacerdos alicui fructum applicavit, cui prodeſſe non poteſt, v. g. damnatis aut beatis, ſi nul-

la

ſa ulterior reſtricta ſit celebrantis intentio; reponitur fructus ille in theſauro Eccleſiæ. Notandum autem, rectè Sacerdotis celebraturi intentionem ita reſtringi, ut caſu quo illi, quem intendit, fructus Miſſæ prodeſſe non poſſit, id amicis proximioribus velit applicare.

Dicendum 6. Applicatio illicita, v. g. facta alteri contra voluntatem ſuperiorum, non itidem eſt invalida, quamvis enim inferiorum velle, & nolle dicatur eſſe penes ſuperiores, hoc ſolùm intelligi poteſt, de directione actûs, non itidem de ejus valore, neque ſuperioresquidquam poſſunt circa valorem celebrationis, ſi cætera eſſentialia adſint, cùm actus Sacrificii ſit actus Ordinis, cujus poteſtas non ſubjacet authoritati ſuperiorum. Neque ideò Deus ad illicitam applicationem fructum conferens, approbat eamdem, ſed ſolùm eam permittit, ne ordinem à ſe inſtitutum diſturbet: aliàs enim nec malus Sacerdos verè ſacrificaret. *An applicatio illicita ſit etiam invalida.*

Dicendum 7. Poſſunt ſuperiores juſtâ de causâ imponere ſubditis & reſtringere Miſſæ applicationem, v. g. ſi Monaſterium vel ratione fundationis, vel ſtipendiorum obligationibus ſit gravatum: quo caſu ex lege juſtitiæ debent ſubditi illis ſatisfacere. Unde neque propriè condit ſuperior eo caſu novam legem, ſed dictat & declarat jus naturæ de ſatisfaciendo obligationi ex juſtitia contractæ. *Superior an poſſit imponere ſubdito applicationem Miſſa.*

Hoc tamen notandum eſt, quod ſuperior pro ſuo libitu non poſſit Miſſas imponere, uti nec poteſt præcipere ea, quæ ſunt ſupra regulam: unde conformiter ad regulam cujuſque poteſt Miſſas injungere, & prout neceſſitas expoſtulat. Hinc non poſſunt ſubditis injungere Miſſas, ipſis ſuperioribus ſtipendia accipientibus, quæ uſui ſuo ſpeciali applicant, aut aliquando dilapidant. Et ratio ejus eſt, quod ſuperior ſolùm habeat juriſdictionem in ſubditos, in iis quæ concernunt bonum ſubditorum & Monaſterii, non item proprium. Unde multò minus

nus poſſunt aliis injungere Miſſas, & aliis ſtipendia tribuere. Denique notandum ex communi Doctorum ſenſu, quod ſuperiores non poſſint ita gravare hîc ſuos ſubditos, ut ne ſemel quidem in menſe ſint liberi in applicando.

Excluſio à fructu Miſſæ. Dicendum 8. Quatenus Sacerdos celebrat in perſona Eccleſiæ ſic nullum omninò validè aut licitè excludere poteſt ab applicatione Miſſæ, eò quod Eccleſia intendat orare pro omnibus, adeoque Sacerdos mandatarius non poteſt excedere fines mandantis: Unde à fructu generaliſſimo aliquem excludens peccat mortaliter, contraveniendo conſtitutioni Eccleſiæ in re gravi. Ut autem celebrat in perſona Chriſti, ſic poteſt uni aut pluribus fructum medium ſeu ſpecialem applicare, cui voluerit, cùm ita celebrans habeat facultatem intentionem ſuam reſtringendi ex vi ordinis Sacerdotalis: ſi denique celebret, ut perſona privata, poterit orare pro eo, pro quo voluerit, modo neminem ex odio aut aliâ pravâ intentione excludat.

Intentio applicantis. Dicendum 9. In applicatione Miſſæ prævalet intentio actualis; virtualis ſufficit, habitualis juxta plurimos ſufficit; ex eo, quod intentio offerendi quidem debeat influere vel per ſe vel ſuâ virtute in oblationem: applicatio verò, quæ eſt donatio, non debet in rem applicandam influere, ſed eam ſupponit. Neque ideò pro Miſſis totius anni ſufficit ſemel unica applicatiò, cùm debeat morali judicio cenſeri applicari ex tali intentione Miſſa pro aliquo, quod hoc caſu vix moraliter cenſeri poteſt.

Dicendum 10. Uti vivorum Sacerdos meminit; ita & meminit mortuorum poſt Conſecrationem, ſicut Chriſtus vivorum curam geſſit ante mortem, prædicando, ſanando, &c. & poſt mortem mortuorum, deſcendendo ad inferos. Hoc tamen notant diſcrimen, quod in *Memento* vivorum oculis clauſis oratio mentalis præſcribitur, ob periculum diſtractionis: in *Memento* autem mortuorum, oculi

oculi aperti ſint intenti in Corpus Chriſti. Deinde notari poteſt, quod in commemoratione mortuorum habeatur duplex NN. non quod expreſsè nominari debeant pro quibus rogandum eſt, uti & antiquitus fieri ſolebat, dum in tabula ſcriberentur & legerentur defunctorum nomina pro quibus orabatur: Quod jam arbitrio Sacerdotis relinquitur, vel pro iis orare nominando vel mente eos retinendo.

Dicendum 11. Species conſecratæ ſolent variis benedictionibus benedici, non quaſi non eſſent antea benedictæ, ſed ad ſignificandum crucis myſterium, aut ſignificandum res eſſe benedictas, aut etiam benedicuntur in perſona Chriſti.

Notandum ulteriùs applicationem Miſſæ fieri ſeriùs poſt Conſecrationem, eò quod in Conſecratione Miſſa eſſentialiter cónſiſtat, & ſtatim factâ Conſecratione conferat ſuum effectum, qui neque ſuſpendi poteſt.

SECTIO XI.

Aliqua in Canone notanda.

IN principio Canonis dicitur *Te igitur*, &c. ut continuatio precum præfationis. Dicuntur autem *Hæc dona*, *hæc munera*, &c. per anticipationem. Dicitur Deo *memento*, non quaſi poſſit Deus oblivíſci, ſed *memento* idem eſt, quod *Miſerere*: Unde S. Auguſt. l. 11. confeſſ. c. 1. *Numquid*, ait, *Domine, cùm tua ſit æternitas, ignoras, quæ dico tibi? non utique, ſed affectum meum excito in te, & miſericordias tuas ſuper nos.* *Dei meminiſci eſt miſereri.*

Dicitur quoque *Vel qui tibi offerunt*: Audientes enim Miſſam, etiam Sacrificium offerunt approbando & conſentiendo iis, quæ in Sacrificio aguntur.

Additur *Pro redemptione animarum*, non quaſi ani-

mæ jam redemptæ forent, ſed ut redemptionis pretium iis applicetur.

Per *Communicantes*, intelligitur communicatio Eccleſiæ triumphantis & militantis. Deinde ſola Martyrum nomina, non item Confeſſorum apponuntur, eò quod ii Hoſtiam & Sacrificium Deo obtulerint.

SECTIO XII.

De Communione Sacerdotis & præambulis.

Dicendum primò, Hoſtia frangenda eſt in loco inferiori, non verò in ſuperiori, ut volunt aliqui, tum quod ita habeat Eccleſiæ praxis, tum quod pars inferior commodiùs Calici immittatur, quàm ſuperior.

Dicendum 2. Tenetur Sacerdos ſumere Hoſtiam à ſe in eodem Sacrificio conſecratam, cùm aliæ Hoſtiæ, etſi contineant eumdem Chriſtum, tamen non eſt idem, ut eſt victima hujus Sacrificii. Hinc & rubrica habet, quod ſi Hoſtia miraculosè diſpareat, debeat alia ſumi & conſecrari, quod minimè aliàs opus eſſet, cùm poſſet hoc caſu ſumi Hoſtia præconſecrata.

Sacerdos tenetur communicare ſub bina ſpecie.

Dicendum 3. Tenetur Sacerdos ſub utraque ſpecie communicare, ut ait Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 8. ex traditione Apoſtolorum; imò veriùs ex jure divino, adeò ut Papa in contrario non poſſit diſpenſare, eò quod juxta aliquos ſumptio ſpectet ad eſſentiam Sacrificii, vel ſaltem ad ejus integritatem, de quo antea. Hinc in rubrica tam arctè præcipitur utriuſque ſpeciei ſumptio, ut deficiente Sacerdote ante ſumptionem, debeat alter ſumptionem ſupplere.

Dicendum 4. Hoſtia non eſt à Sacerdote ſumenda ut alii cibi, maſticando, ſed modeſtè linguâ molli-

mollificatâ ſumenda, & ſenſim deglutienda, ac denique linguâ, quoad fieri poteſt, omnes particulas palato adhærentes colligente, ſumendus eſt ſanguis. Sanguis verò ſumendus eſt modeſtè & reverenter, quod æquè uno ac pluribus hauſtibus fieri poteſt, de quo diſputant alii. Si verò ſumpto ſanguine maneat particula Hoſtiæ adhærens Calici, vel digito reverenter trahenda eſt ad oram Calicis & ſumenda, vel vinum infundendum & unà cum vino ſumenda, quod fortè priori modo erit decentius, quod & rubrica monet de defectibus.

Hoſtia verò debet ſumi ante Calicem, quem ordinem invertere eſt grave peccatum, contra uſum Eccleſiæ in re gravi. Imò hoc verius apparet eſſe juris divini, eò quod Chriſtus hoc Sacrificium inſtituit, ut eſt verum convivium, cujus ratio exigit, prius ſumi cibum, deinde potum.

Purificatio Calicis. Dicendum 5. Purificationem Calicis omittere eſt peccatum mortale: Cùm ſine gravi irreverentia, vix fieri poſſit, ut nihil de ſanguine in Calice maneat, unde periculum ne ſanguis irreverenter tractaretur.

Fragmenta Sacrificii. Dicendum 6. Fragmenta poſt ſumptionem Calicis etiam ſumi poſſunt à non jejuno: Talis enim verè jejunus ſumpſit Sacramentum, & ſumptio fragmentorum eſt quid acceſſorium ad principale. Aliàs enim ſemper fieri ſolet, ut aliquid Sanguinis aut Hoſtiæ adhærens palato aut linguæ, poſt purificationem ſumptam & deglutiatur à non jejuno. Unde moraliter manet jejunus in ordine ad tales particulas. Præſtat tamen ante ſumptionem Calicis eâdem patenâ colligere, & ſanguini unita ſumere. Imò addunt aliqui, quod etiam in Sacriſtia poſſent ſumi in reditu ab altari.

Idem dicendum quoque eſt de fragmentis alterius Sacerdotis in patena aut Calice relictis: & à te repertis, cùm & illa pertinere cenſeantur ad ſubſequens Sacrificium alterius Sacerdotis. Patet hoc

etiam in modo purificandi pixidem iteratis purificationibus poſt ſumptum ſanguinem. Et hoc dicunt generaliter de omnibus fragmentis tam grandioribus, quàm majoribus, ſecus de integris formulis, quæ ad uſum fidelium conſecratæ, reſervari debent ad eumdem uſum, niſi fortè ex reſervatione timeretur irreverentia Sacramenti.

In caſu dubii an Hoſtia ſit conſecrata. Dicendum 7. Si ſit dubium an ſint reliquiæ Hoſtiæ conſecratæ vel non conſecratæ, debet eas ſumere in altari poſt ſanguinem ſumptum, vel etiam purificationem: ſi verò deprehendantur extra altare; debent tradi ſumendæ alteri Sacerdoti: vel ſine lumine & ſtolâ à Sacerdote recondi in tabernaculo, quod ſi deſit, debent poni in Corporali ad dictum finem. Hoc tamen notandum hîc eſt, quod plurima aliquando videantur eſſe fragmenta, quæ reverà talia non ſunt, ut ſunt furfures, atomi, excrementa capitis aut barbæ, pelliculæ cutis, &c.

Dicendum 8. Fragmenta poſſunt dari Laïcis communicantibus, tam cum alia formula, quàm cum ablutione, uti ſæpè fit quando Laïco dato Sacramento, Sacerdos in ablutione Laïco faciendâ abſtergit digitos, & particulæ exterſæ dantur unà cum ablutione Laïcis communicatis, quod & præcipit Rituale Rom. Pauli V. de communione infirmorum.

Modus purificandi pixidem. Dicendum 9. Modus purificandi pixidem eſt ille; juxta Gavantum: quod in Miſſa debeat fieri ante Calicis purificationem, cum indice manûs collectis fragmentis, & ad oram Calicis admotis, deinde vinum Calici infundendum, & cum Calice circumagendum, & ſumendum. Alii dicunt hoc eſſe indecens, eò quod particulæ cum indice colligi nequeant, niſi indice madefacto ſalivâ, unde & in ſimili indecens docent, indice particulam Hoſtiæ Calici adhærentem ad oram Calicis admovere, de quo mox antea. Unde alii dant hanc praxim tamquam magis decentem: quod ſumpto ſanguine, fragmenta debeant

beant colligi & fundi de pixide in Calicem, ſi quæ adhæreant, purificationibus iteratis ſunt effundendæ, & tandem pixis abſtergenda. Alii verò docent ea ita collecta, ſimul cum ſanguine eſſe ſumenda, quod forte & tutiùs erit & praxi Eccleſiæ conformiùs.

SECTIO XIII.

De Communione Laïcorum.

Dicendum primò, *Sic Sacrificium iſtud inſtituit*, (Chriſtus) *cujus officium committi voluit, ſolis Preſbyteris, quibus ſic congruit, ut ſumant, & dent cæteris.* Unde patet miniſtrum & diſpenſatorem ſacrificii ex officio ſuo eſſe Sacerdotem, etſi ex diſpenſatione illa committi poſſit Diacono, qui antiquitus ſolebat diſpenſare ſanguinem, uti S. Laurentius olim dicebat Sixto: *Cui commiſiſti Dominici Sanguinis diſpenſationem.* Cùm verò diſpenſatio hujus Sacramenti requirat juriſdictionem, ſequitur quod ordinarius ejuſdem diſpenſator ſit Epiſcopus & Parochus, quorum officium proprium eſt, oves paſcere. Alii autem cenſentur habere juriſdictionem præſumptam, qualem ex praxi Eccleſiæ habet quilibet Sacerdos, ſed dumtaxat delegatam. *Diſpenſator Sacrificii.*

Dicendum 2. Communio debet dari ab alio, etſi communicans ſit Sacerdos, cùm hoc caſu communicet more Laïcali: aliud eſſet, ſi deeſſet Sacerdotis copia, & neceſſitas communionem exigeret. Quin imò antiquitus dabatur Viris Euchariſtia in manibus, Feminis in corporali ſive linteo mundo, unde ante fores templi lavacrum erat poſitum, ut communicaturi manus ſuas à ſordibus lavarent. Imò Regina Scotiæ, ne ante martyrium hoc Sacramento privaretur, aliquot formulas conſecratas ſecum in carcerem detulit, & propriis manibus ſeſe communica- *Communio Sacerdotis.*

vir. Quare itidem in caſu ſimilis neceſſitatis etiam Laïcis, hujus Sacramenti diſpenſatio committi poſſet.

Dicendum 3. ſolos homines poſſe eſſe hujus Sacrificii participes, & quidem baptizatos. Pueris, etſi olim Euchariſtia daretur, tamen Rituale Romanum jam dudum hoc inhibuit ob periculum illud irreverenter tractandi, neque cum reverentia & devotione debita. Pueri verò, etſi poſt adeptum rationis uſum debeant confiteri, non tamen tam citò tenentur communicare, cùm citiùs peccatorum gravitatem judicare poſſint, quàm reverentiam huic Sacramento debitam. Quàm citò tamen ad communionem tales admittendi ſint, prudenti judicio debet determinari, attentâ judicii & intellectûs puerilis maturitate & ſagacitate. Quando autem ſemel admiſſi ſunt, tenentur deinceps præcepto communionis annuæ. In articulo tamen mortis, omnes omninò adepti rationis uſum, hoc Sacramentum ſumere debent, quod & in praxi erit obſervandum, quidquid aliqui in contra minus conſideratè dixerint. Imò in dubio an puer rationis uſum adeptus ſit nec ne, tutiùs communio daretur, cùm de incapacitate non conſtet, & in dubio favendum ſit animæ pueri, & de cætero non ſit timor irreverentiæ.

Pueri citiùs debent confiteri, quàm communicare.

Dicendum 4. perpetuò amentes & phrænetici non ſunt ſicut pueri ad communionem admittendi. Si tamen præviè ante amentiam hoc ſacrificium expoſtulaſſent, deberet illis dari in articulo mortis, niſi ſit periculum irreverentiæ. Ita expreſsè ſtatuit Conc. Carthag. 4. c. 48. & Catechiſ. & Rituale Romanum.

Amentes, Phrænetici, &c.

Semi-ſtultis autem, poteſt ac debet hoc Sacramentum dari in Paſchate & articulo mortis, modò irreverentiæ periculum abſit. Quoties tamen extra dictos caſus ſint hi admittendi, prudentis Confeſſarii judicio eſt determinandum, prout ſeſe magis aut minus devotè erga hoc Sacramentum gerunt. Idem eſt de ſurdis & mutis.

Semiſatni.

Ener-

Energumenis olim negabatur ob decentiam: poſtea in Conc. Arauſ. 1. Can. 14. iis conceditur, modò abſit irreverentiæ periculum. *Energumeni.*

Dicendum 5. Peccatoribus manifeſtis & publicis, denegandа eſt S. Euchariſtia, idque ſive publicè, ſive privatim eam petant. Ratio eſt, quod ad fidelem diſpenſatorem ſpectet indignos, ut Sacramento injurios rejicere, neque ſanctum dare canibus: Matth. 7. Tales ſunt publici concubinarii, infames, meretrices, uſurarii, item mulieres ornatu laſcivo incedentes, quæ ut publicæ peccatrices à tam auguſto Sacramento ſunt arcendæ. *Peccatores.*

Cenſentur verò hìc eſſe peccatores publici, juxta D. Thomam, quorum peccata innotuerunt per evidentiam facti, uti ſunt ante mox memorati: vel quorum peccata innotuerunt per publicam ſententiam Judicis, ſive Eccleſiaſtici, ſive Laici, quibus addunt eos, qui peccatum ſuum publicè, ac manifeſtè jactant. Si illorum crimen per majorem loci partem ſit ita publicum, debet omninò communio denegari, etiam coram illis, qui illud fortè ignorant. Addunt alii, etiam id locum habere in illo, cujus crimen alibi eſt notorium juris, & in loco diſſito eam petit: cui non immeritò alii contradicunt, ex eo inconvenienti, quod eo fortè tempore homo ille ſit verè emendatus, ad quod ſolet multum facilitare mutatio loci. Deinde, ex tali repulſa, nata ſunt ſequi gravia incommoda, & ſcandala, quæ nata ſunt ſequi ex publica repulſa peccatoris occulti. De illis verò ita habet S. Carolus act. p. 4. de Euch. *Non admittuntur ad communionem hæretici, ſchiſmatici, excommunicati, interdicti, publicè criminoſi, manifeſteque infames, ut meretrices, publicè concubinarii, fœneratores, magi, ſortilegi, blaſphemi, & alii id generis publicè facinoroſi homines.* Et Conc. Mediol. 6. tit. de Sacram. Pœnit. *Si qui odia, & inimicitias exerceant, ſi qui alii denique, qui in aliqua peccandi conſuetudine uſuque jaceant.. nec verò antequam* *Qui ſint peccatores publici.*

ipſe perſpexerit, iſtos ab ea malè agendi via receſſiſſe, ac publicas offenſiones præſcidiſſe, permittat (etiamſi qui teſtimonium Confeſſarii adferant) ne in Paſchali quidem celebritate ſacram Communionem eis miniſtrare; quin imò illam tamdiu differre jubeat, quoad eorum veram vitæ emendationem Epiſcopus cognoverit.

Unde notant ulteriùs Authores, quod ut publico peccatori publicè poſſit dari communio, neceſſe ſit, ut publicè conſtet eum eſſe emendatum. Ut autem privatim illi dari poſſit, ſufficiat, ſi Sacerdoti conſtet, quod privatim ſe emendaverit: quamquam alii ſollicitè addant, communionem illam eſſe occultandam, quo caſu idem eſſet, ac ſi publicè eſſet data. Quod ſi timeatur, taliter occultè admiſſum illam propalaturum, ut ſuam æſtimationem apud alios recuperet, conſultiùs etiam in occulto erit deneganda, ut qui publicè ſcandalum dedit, publicè illud idem reſarciat.

Peccatores occulti occultè hoc Sacramentum petentes de quorum emendatione Sacerdoti non conſtat, arcendi ſunt. Si verò publicè petant, ſi ſine ſcandalo repelli non poſſint, admitti poſſent; aliud eſt, ſi timor ſcandali abſit: eò quod præceptum vitandi ſcandali naturale, hîc prævaleat. Ita Rituale Rom.

Non licet tamen peccatori tali dare hoſtiam non conſecratam loco conſecratæ, cùm fictio illa mendacium contineat, quæ in Sacramento eſt execrabilis, cùm miniſter verbis & factis oſtendat ibi eſſe Chriſtum, ubi reverà non eſt, uti oſtenditur. Deinde materialis idololatria hîc valde difficulter evitari poſſet; unde nec ipſe Chriſtus voluit cum Juda proditore ſimulare, ſed verum ſuum Corpus illi obtulit & ſuum ſanguinem.

Diſpenſans in ſtatu peccati mortalis S. Euchariſtiam.

Dicendum 6. Diſpenſans hoc Sacramentum in ſtatu peccati mortalis plauſibiliter dicitur non peccare mortaliter, ſi aliqua diſpenſandi neceſſitas poſtulet: non enim hîc Sacramentum conficitur, ſed diſ-

diſpenſatur ſolùm & applicatur: aliàs enim & ipſe illud tangens in tali ſtatu peccaret mortaliter.

Habitus hic, ultra veſtes Clericales, ſunt ſuperpelliceum & ſtola: ritus ſunt, confeſſio à Miniſtro præmiſſa: digiti, quibus danda eſt Euchariſtia, juxta Rituale Rom. eſt index & pollex manûs dextræ, unde in his digitis præ chiragra v. g. impeditus, non poſſet Euchariſtiam diſpenſare extra caſum neceſſitatis. Deinde, tempore peſtis, non poteſt Euchariſtia dari in cochleari, ut ſibi hoc pacto Sacerdos caveat, unde, & hoc graviter inhibet Eccleſia Mediolanenſis. Etſi enim tempore neceſſitatis communicandi, v. g. ob infirmitatem ejus, hoc liceret, nullatenus tamen ad cautelam Miniſtri. Libet audire Carolum Borromæum Mediolan. antiſtitem de cura Paſtorali: *In omni Sacramento, multoque magis in ſanctiſſima Euchariſtia miniſtranda cavebit* (Sacerdos) *ut evitandi periculi causâ, ne quid vel minimum quod nocivum ſit, adminiſtrationis ritum introducat, nevè inſtrumentum, aliudvè quid ſimile ad adminiſtrationem pro digitis, vel adeò in iis ipſis adhibeat.* Unde patet quod contra Eccleſiæ ritum hoc caſu illicitè adhibeantur cochlearia, ſcutellæ, lintea, papyrus, unde æger Euchariſtiam ſumat: item chirotecæ, oblongiores forcipes aurei vel argentei, &c. Permittit tamen S. Præſul omnem cautelam poſſibilem adhiberi, unde addit: *Quando hominis peſte infecti ſuſpectivè confeſſionem audit, loco audiat qui aliquantulum à lecto diſtet. Cùm verò ſine magno illius incommodo id fieri poteſt, curet licet, ut ad feneſtram, aut oſtium, aut in porticum, aliumve locum apertum accedat, ubi illum confitentem audiat, ut cubiculum declinet, in quo contagionis periculum timeri ſolet, eâdem cautione in ſanctiſſimæ Euchariſtiæ miniſtratione utatur.* Quibus & hoc adde, ut faciem averſam ab infirmo, quantum poſſit, teneat, dum audit confeſſionem, ne ſe ſiſtat inter ægrum & ignem aut feneſtram, cùm aër & ignis venenum contagii attrahere ſoleant.

Diſtributio Euchariſtiæ tempore peſtis.

 Dicen-

Sacerdos diſtribuens & accipiens S. Euchariſtiam.

Dicendum 7. Caveat quoque in diſtributione Euchariſtiæ Sacerdos, ne digitis ſuis tangat os aut labia communicantis, ne madefiant, & ſequentes hoſtiæ iis adhæreant, unde debet formulam capere in extremitate, non itidem in medio. Debet quoque pixidem tenere infra hoſtiam. Si verò Sacerdos ipſe communicet, debet eſſe indutus ſtolâ coloris tempori conguentis, imò hoc graviter præcipitur cap. *Eccleſiæ* diſt. 23.

Dicendum 8. Laïcis non licet accedere ad Euchariſtiam cum pugione, in ſignum reverentiæ & ſupplicis venerationis: eadem de cauſa non ſolet accedi cum chirotecis manibus obvolutis. Excipiunt tamen aliqui eos, qui enſem gerunt in ſignum defenſionis Eccleſiæ v. g. equites Religioſos militares S. Jacobi, Joannis, Alcantaræ, &c. Sicut aliquæ nationes ad Evangelium enſem extrahunt, in ſignum defenſionis Evangelii.

Ordo communicantium.

Dicendum 9. Ritus accipiendi Laïcis S. Euchariſtiam, uti ante diximus, modò eſt eam ore accipere, etſi olim manu aut linteo accipiebatur, uti domi aſſervata, Miſſa ad abſentes, in itinere delata, defunctis conſepulta, &c. Quæ omnia, abuſibus & ſacrilegiis inde obvenientibus Eccleſia providens, jure abrogavit. Ordo quidem communionis priſcæ erat ille, quod celebrans primò ſe communicaret, deinde Epiſcopos, ſi qui aderant; Presbyteros, Diaconos & Subdiaconos, Monachos, Diaconiſſas, &c. Primum viros, deinde mulieres. Imò nulli ad S. Synaxim admittebantur, niſi noti, unde dicebat Sacerdos aut Diaconus, *agnoſcite invicem:* Quod etiamnùm Græci obſervant, ut nomen communicantis ignoti, inquirant, quare & S. Euchariſtiam diſtribuens dicit: *Sumis ſerve Dei N. pretioſum & ſanctum Corpus & Sanguinem Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum tuorum & vitam æternam.*

Situs verò Græcorum communicantium eſt erectus,

ctus, adeò ut ſtantes communicent, ſed pronâ facie & dimiſſis oculis: apud Latinos genuflexi communicant, niſi Sacerdos, & Diaconus in Miſſa Pontificis: imò ipſe Pontifex ſolemniter celebrans ſedens communicat unam ſuæ hoſtiæ partem, aliam in duas partes diviſam, dat Diacono & Subdiacono: uti & ſanguinem ſugit fiſtulâ aureâ, cujus reſiduum Subdiacono item & Diacono ſugendum tradit. *Situs communicantium.*

Antiquitus autem ſoli Prælati aut Præpoſiti Euchariſtiam diſpenſabant, nam ut ait Tertullianus de corona mil. c. 3. *Euchariſtiæ Sacramentum non de aliorum manibus, quàm de Præſidentium ſumimus.* Et S. Dionyſ. c. 3. Eccl. Hier. *Summus Sacerdos* ait, *accipiens & tradens Dominicam communionem, in ſacram gratiarum actionem* deſinit. Sic verò Prælati erant *fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis in tempore tritici menſuram. Luc. 12.*

SECTIO XIV.

An Laïci communicare debeant ſub utraque ſpecie.

Dicendum primo; Laïcos initio naſcentis Eccleſiæ ſub utraque ſpecie communicaſſe conſtat. Non tamen omnes, uti patet ex eo, quod domi aſſervaretur, in itinere deferretur, ad abſentes mitteretur, &c. Quod in unica ſpecie factum eſſe, eſt veriſimile. Hunc uſum Græci etiamnum imitantes, panem conſecratum Sanguini intinctum præbent, quam communionem intinctam olim obſervavit Eccleſia. Sequenti verò tempore ſoli in Miſſa aſſiſtentes utrâque ſpecie communicabant, deinde periculo irreverentiæ obveniens Eccleſia, in una ſolùm ſpecie Laïcos communicat. Huic pertinacia hæreticorum ſtatim ſeſe oppoſuit, docens jure divino *Communio ſub utraque ſpecie.* *Communio intincta.*

vino præceptam eſſe Communionem ſub utraque ſpecie: & quamvis Eccleſia poſt Concil. Baſil. Bohemis conceſſerit uſum Calicis: Concilium Tridentinum id noluit renovare, ſed an aliis etiam nationibus id eſſet concedendum, remiſit ad Pontificem determinandum. Unde & Pius V. inſtante Maximil. II. Bohemis, Moravis, Sileſiis, Luſatiis, Auſtriis, Styriis, Carinthiis, id conceſſit, ſperans eoſdem eâ permiſſione revocandos. Sed fruſtrà, uti hodie videmus. Hinc Synodus Trid. ſeſſ. 22. c. 1. & Can. 1. ita ait: *ſi quis dixerit ex Dei præcepto vel neceſſitate ſalutis, omnes & ſingulos Chriſti fideles utramque ſpeciem ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ſumere debere, anathema ſit.* Unde & S. Scriptura in unius ſpeciei ſumptione Communionem abſolvit, v. g. dum ait, *ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum:* & alibi. Deinde Act. 2. *erant perſeverantes in Doctrina Apoſtolorum & Communicatione fractionis panis & orationibus.* Nec dici poteſt, hîc per Synecdochem partem poni pro toto, cùm inter Chriſtianos eſſent tum multi Nazaræi, qui vino abſtinebant. Patet quoque ex continuo Eccleſiæ uſu, quæ ad ægros abſentes illam detulit. Deinde olim in Eccleſia in pœnam conſtituebatur Clericis *Communio Laïca*, quam vocabant *peregrinam*, loco Communionis Clericalis, v. g. Clericis furibus, ducentibus viduam, &c. Meminerunt etiam SS. PP. Communionis peregrinæ, de qua agit Card. Barronius ad annum 407. num. 40. erat autem Communio illa, participatio precum, quâ gaudebant peregrini ad alienam Eccleſiam divertentes: moris enim erat in Eccleſia veteri, ut peregrinis ſe Chriſtianos profitentibus, in iis quæ ſunt naturæ & hoſpitalitatis, exhiberetur humanitas, & ad communes Eccleſiæ preces admitterentur, non tamen ad Sacramentorum participationem, niſi certâ fide ſeſe Catholicos eſſe comprobaſſent. De hac agit Soſomenus l. 8. c. 13.

Communio Laïca ſive peregrina.

Ra-

Ratio etiam idem confirmat, cùm totus Chriſtus ſit ſub una ſpecie, etſi prout eſt ſacrificium, requirat utramque ſpeciem; ut eſt Sacramentum, una ſufficiat. Denique ſub utraque ſpecie communio cauſaſſet ſæpè irreverentiam, puta effuſionis ſanguinis, neque ita commodè fieri potuiſſet communio in locis in quibus vinum eſt admodum rarum, uti eſſe dicitur in Japonia, Norwegia, &c Adde, quod multi vel à natura vel educatione ſint abſtemii, & à vino abhorreant: qui vel fructu ſanguinis carerent, vel cum periculo ejectionis illud reciperent.

His & aliis de cauſis jure merito Eccleſia ſtatuit Communionem Laïcalem ſub unâ ſpecie, etſi cum aliquibus in eo poſſit diſpenſare.

Frivola verò ſunt, quæ hîc objiciunt hæretici noſtri: ut quod à Chriſto dictum ſit Matth. 26. *Bibite ex eo omnes.* Deinde quod Joan. 6. dicatur, *niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem.* In primo enim loco ſolùm fit ſermo ad Apoſtolos, non itidem ad Laicos. Deinde illud *niſi* in alio loco objecto, idem eſt, ac *ſi non*, vel *ſi neque*, adeò ut ſenſus ſit, *ſi neque carnem manducaveritis, neque ſanguinem biberitis.* Negatio enim poſita in principio, Phraſi Hebræâ negat utramque partem.

Dicendum 2. non plus gratiæ conferunt duæ ſpecies, quàm una: totum enim, quod duabus continetur, continetur quoque ſub una. Si verò utraque ſpecies ſumatur, tunc eadem gratia datur quaſi duplici jure & titulo: neque dici poteſt, quod alius ſit effectus cibi, alius ſit effectus potûs; quia etſi hoc fiat in corporalibus, tamen id non fit in ſpiritualibus, uti & in illis corporalibus, quæ ſimul cibi & potûs rationem habent. *An duæ ſpecies cauſent gratiam ampliorem quam una tantum.*

SECTIO XV.

De frequenti Communione Laïcorum.

DICENDUM primò, quæſtio ſatis celebris eſt, an Laïcis conſulenda ſit frequens Communio. Pro cujus intelligentiâ prænotata vellem hæc ſequentia.

1. Quæſtionem eſſe poſſe, quid *de ſe* ſit magis bonum, an frequentiùs communicare, an à communione abſtinere.

2. An attentis conditionibus Laïcorum hujus corrupti ſæculi, ſit regulariter illis frequens Communio conſulenda.

Quo poſito dico 1. indubiè ſecundùm ſe eſſe melius ſæpè communicare, quam rarò. Eâ de causâ optaret Synodus Trid. ſeſſ. 22. c. 6. ut omnes fideles adſtantes Miſſis, Sacramentali etiam perceptione Euchariſtiæ communicarent, quod non optaret, ſi non eſſet perfectius.

Dico 2. poteſt aliquid ſecundùm ſe perfectius, reſpectu aliquorum eſſe minus expediens, quam oppoſitum: v. g. cœlibatus præſtat matrimonio: Tamen aliquibus incontinentibus præſtaret nubere, quam non nubendo uri. Sic etiam nihil tam ſanctum, quin pravo fine & pravâ intentione poſſit prophanari, nec aliquid prodeſt, quod non lædere poſſit idem. Hinc attentis curis & occupationibus hominum Laïcorum, & corrupti hujus ſæculi moribus rectius judicant frequentiorem communionem Laïcis non convenire. Clarebit hoc ex ſolutionibus alterius opinionis fundamentorum.

Primò quidem contrarium docent, ex praxi naſcentis Eccleſiæ de qua ait Evangeliſta Act. 2. *Erant perſeverantes in doctrinâ Apoſtolorum & communicatione fractionis panis*: Imò uſque ad tempora Anacleti,

ti, communio quotidiana adſtantium Miſſæ poſt conſecrationem, ſub pœnâ erat præcepta. Ad quod reſp. Eccleſiam mutatis moribus, rectè immutare leges & conſuetudines. Unde frigeſcente charitate Eccleſiæ, uſque ad tempora Fabiani, conſtitutum fuit ab Eccleſia, ſingulis diebus Dominicis communicare, qui dies panis indè eſt dictus. Poſteà moribus in pejus abeuntibus ſtatutum fuit, ſolum tertio in anno communicare, in Paſchate, Pentecoſte & Nativitate Domini. Poſtremò Innocentius III. Chriſtianorum fervorem fermè ſopitum conſiderans, ſtatuit, ut ſaltem ſemel in anno circa Paſcha communicarent. Unde ad locum Scripturæ objectum, dico primò, ex illo non rectè inferri, quòd omnes omnino Laïci quotidie cummunicarent, cùm Evangeliſta ſolùm agat, de Chriſtianis Judeæ & Alexandriæ. Deindè, dato, quòd ſit ſermo de omnibus Chriſtianis, tamen nihil indè conficit objectio. Notanda enim Chriſtianorum illorum puritas & innocentia, quorum cor unum erat, & anima una qui unanimiter quotidie perſeverabant in doctrinâ Apoſtolorum & oratione, quorum erant omnia communia, &c. Unde, ut concluderet argumentum, probandum foret, eamdem remanſiſſe ad quotidianam communionem, aptitudinem, quæ promiſcuè in Laïcis hujus ſæculi deeſt, ne dicam & Eccleſiaſticis.

Fundant ſe quoque in dicto deſiderio Concilii Trid. ſeſ. 22. c. 6. uti etiam, quod à SS. PP. dicatur *Panis quotidianus*. Ad quæ reſp. rectè admodum hoc à Concilio optari, cùm ſecundùm ſe ſit perfectius ſæpè communicare, ratione uberrimæ gratiæ, quam confert Euchariſtia: unde conſequenter optat, ut quilibet tremendo illo Sacramento dignum & aptum ſeſe efficiat, ut ſunt illi, qui veſtem nuptialem induti ad divinam hanc menſam accedunt, ut ait idem Conc. c. 8. de qua veſte ſive puritate mox infra diſſeremus, quo ſe lector hîc referat.

Dici-

Euchariſtia eſt panis quotidianus.

Dicitur quoque S. Euchariſtia *Panis quotidianus*, ut ſignanter S. Amb. l. 5. de Sacram. c. 4. ubi ait: *Si quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumis? accipe quotidie, ut quotidie tibi proſit.* Idem docent varii alii SS. Patres: verùm eo loquendi modo hoc ſolùm innuunt vel quòd panis ille quotidie ab aliquibus ſaltem ſumatur, vel quòd quivis ad hoc tendere debeat, ut quotidie dignus ſit, hunc Angelorum panem accipere; unde S. Amb. loco citato ſubdit: *Sic vive, ut quotidie merearis accipere.*

Ex quo patet, attentâ puritate requiſitâ, ad dignam Euchariſtiæ ſumptionem, & corruptis hujus ſæculi moribus, promiſcuè S. Synaxim non debere Laïcis quotidie commendari.

Dicendum 2. quoties conſultum ſit alicui communicare, non ita generaliter definiri poteſt, ſed attentâ alicujus puritate conſcientiæ, à curis ſæcularibus alienatione, divinis rebus intentione, &c. prudentis animæ rectoris eſt judicare. Hujus officium erit ſedulò inveſtigare, quo fine, quâ intentione hoc Sacramentum deſideret; ſicut enim aliquando fames corporalis oritur ex diſpoſitione ſtomachi; ita & fames illa ſpiritualis aliquando oritur ex indiſpoſitione animæ, puta ex merâ conſuetudine, ex vanâ gloriâ, &c. Unde in ſignum illius, poſſet aliquando probare ſpiritum, ſi ex Deo ſit, inhibendo aliquoties communionem, quæ inhibitio aliquando radicem illius conſuetudinis indicabit. Docet illud pius æquè ac Doctus Bonav. c. 77. de profectu Religioſorum his verbis: *Si aliquis deſiderat experiri, utrum ſit melius, ſæpius aut rarius Corporis Chriſti ſuſcipere Sacramentum: videtur mihi, quod non poſſit ſuper hoc omnibus dari regula uniformis. Varia ſunt hominum merita, & diverſa operum ſtudia, & differentia deſideria, & multiplices Spiritûs ſancti operationes in ſingulis, & diverſi etiam ſtatus in Religione. Et ideò ſicut ægrotantibus non poteſt una forma ſervari in dandis medicinis corporis, propter diverſitates complexionum,*

aut

aut loci, aut temporis, aut dietæ, aut aliarum conſiderationum, pro quibus aut rarius, aut ſæpius, aut majori, aut minori quantitate eadem medicina datur: ita & de medicinâ ſpirituali, quæ eſt Corpus Chriſti, eſt intelligendum. Mundanis enim curis occupati, rarius poſſunt ſe ad illud recipiendum expedire, quam illi, qui tantùm ſpiritualibus ſtudiis ſunt intenti. Et alii magis, & alii minus ſunt circumſpecti in cuſtodiâ vitæ ſuæ, & morum, & conſcientiæ ſuæ puritate. Alii etiam ardentiori deſiderio trahuntur ad illius ſalutaris cibi perceptionem. Alii verò quodammodo terrentur, cum deberent accedere, & niſi conſcientia urgeret, & conſuetudo Religionis induceret, vel timor majoris elongationis à Deo impelleret, valdè rarò accederent ad illud mirificum Sacramentum. Vix tamen aliquis ita Religioſus eſſe videtur, & ſanctus, exceptis Sacerdotibus, quin ſemel in ſeptimanâ ſufficiat ei ex conſuetudine communicare: niſi ſpecialis cauſa quandoque vel ratio plus ſuadeat, infirmitas ſuperveniens, vel ſingulariter feſtivitas ſolemnis, vel inuſitatæ devotionis fervor, & intemperata deſiderii ſitis ſit pro illius ſuſceptione, qui ſolus ſufficit amantis animæ ardorem refrigerare. Et quia talis ardoris impetus, non niſi à Spiritu ſancto ut creditur, infunditur: ideò legibus humanæ conſuetudinis, & ſtatutis moralium non arctatur.

Et poſt pauca. *Circa Sacerdotes*, ait, *poteſt hæc forma teneri, ut nec nimis rarò, nec nimis continuè celebrare, vel imprætermiſsè ſacram hoſtiam ſtudeant immolare. Nimis enim continuè celebrare, aliquam videtur notare irreverentiam, cum vix aliquis tam devotus ſit, qui ſemper eâdem devotione ferveat, quod ſemper cum debitâ reverentiâ illud faciat, & cordis ardore, quin aliquando reperiat quantulumcumque, quod eum impediat. Nimis etiam rarò celebrare, quamvis ex reverentiâ ſoleat fieri, & humilitate, tamen quandoque torporem nutrit, quia minus circumſpectus eſt homo in omnibus, quaſi non indigere videatur, ſui cuſtodiâ, cum non proponit accedere ad menſam Chriſti. Humilitas*

etiam

etiam non eſt uſquequaque ſecura, quod diu ſe ſubtra-hat: quia ſicut non eſt dignus ſæpè Corpus Chriſti percipere, ſic nec ſemel. Ideò eum non recipimus, quaſi qui digni ſimus: ſed ut illo nos ſæpè viſitante, & habitaculum cordis & corporis noſtri ſubintrante, magis ac magis digni efficiamur. Hactenus Doctor Seraphicus.

Et S. Bernardinus Senenſis de præparat. Sacram. tom. 4. ex Alexandro de Hales in 4. ait, *quod talis quæſtio de frequentatione Sacramenti, ſive communionis, determinanda ſit, habitâ conſideratione ad fidem & devotionem accedentis. Si enim ex continuâ devotione & deſiderio continuo, & confidentiâ de aſſequendo effectu hujuſmodi Sacramenti aliquis in ſingulis diebus accederet, exiſtimo quod valeret ei frequentatio talis. Si verò quis ex reverentia tanti Sacramenti, & ex timore tantæ indignitatis frequenter deſiſteret, exiſtimo quod ex illâ reverentia & timore proficeret. Undè dico, quod determinatio hujus casûs, relinquenda eſt piæ credulitati accedentis.* Deindè addit, Anachoretas, etſi ſanctè viventes, rariſſimè tamen communicaſſe.

Deindè P. Suarez tom. 4. de Relig. l. 8. c. 3. num. 11. ait: *Societatis autem conſtitutio octavo quoque die communicare præcipit. Et in* 4. *p. conſtitut.* c. 4. §. 3. *Hoc amplius explicatur in declaratione lit. B.* Frequentius, dicitur ibi, quam octavo quoque die communicare, non niſi peculiares ob causas et potius neceſſitatis, quam devotionis habita ratione, permittitur. Et num. ſeq. dicit etiam ita receptum eſſe in Ordine Ciſtercienſi c. 25 ſuarum Conſtitutionum.

Ut tamen aliquid certi hîc demus, de eadem re ita diſſerit S. Auguſt. vel quiſquis eſt author libri de doct. Chriſtiana: *Quotidianam communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo. Omnibus tamen dominicis diebus communicandum ſuadeo & hortor, ſi mens ſine peccati affectu ſit.* Idem docet S. Bonavent.

de

de progreſſ. relig. ubi ait : *Vix tamen aliquis ita religioſus eſſe videtur & ſanctus, exceptis Sacerdotibus, quin ſemel in ſeptimana ſufficiat ei communicare.* Idem docet S. Thom. à Villa-nova ſerm. de SS. Sacram. cùm enim plurimi Valentiæ frequentem communionem vellent inducere, aliis ſeſe opponentibus; conſuluit S. Præſul viros eruditos, quibuſcum ſtatuit, ſufficere communionem infra octo dies. Idem approbavit S. Ignatius fundator Soc. qui teſte Nicolao Orlandino in hiſtoria Societ. approbat, ut Clerici non Sacerdotes ſingulis dumtaxat diebus dominicis communicent. Idem approbant tot Religioſorum Ordinum etiam ſtrictiorum ſtatuta. Hoc tamen addo, quòd laudabiliter in ſummo ſacro feſti celebrioris, miniſtri aſſiſtentes communicent, prout diverſa ſtatuta ex antiquo ritu præſcribunt : imò Romæ in Miſſa ſolemniori in inſignioribus Baſilicis, permanet ritus ille, quò miniſtri Miſſæ in ea communicant, in veſtigium dicti ritûs primitivæ Eccleſiæ.

Ex dictis ſequitur, fideles quidem eſſe incitandos, ut ſe idoneos reddant frequentiori communioni, non itidem intimandum, quotidianam communionem eſſe de jure divino, aut eam omnibus promiſcuè injungendam. Imò indigna & indiſcreta eſt aliquorum praxis, quâ, etſi non præcipiant quotidianam communionem, tamen pro delicto quaſi judicant, ſi à communione remaneant, nec illis tribuitur, quaſi in pœnam omiſſæ communionis, quod aliàs concederetur : modus enim ille, non longè à præcepto virtuali differt. Quo fit, ut aliqui ex vana gloria, Hypocriſi, aut alio reſpectu merè humano, ad S. Synaxim accedant, dum ſuſpicionem aut pœnam à ſuperiore reformidant. Quibus hoc accedit, quod aliquando præceptum illud virtuale, ſit ſupra regulam, quæ ſolùm bis terve in ſeptimana præcipit communicare. Hinc videant animarum rectores, ne quod inſtitutum eſt ad vitam, aliquibus injungant ad mortem.

Dicendum 3. ſicut non omnibus frequens communio convenit, ita & rarior communio omnibus eſt perniciosa : *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum, & appropinquaverunt uſque ad portas mortis.* Pſ. 106. Faſtidium cibi, præſentiſſimum eſt infirmitatis aut indiſpoſitionis ſignum. Si enim quis dicat, *Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo,* experietur cum iiſdem ignitos ſerpentes. Neque ſatis eſt Chriſtiano debito ſemel in paſchate communicare : hoc enim ſtatuitur, ne ultra annum illam differant, & ſtatuitur Chriſtianis minimis ſaltem neceſſarium.

SECTIO XVI.

De diſpoſitionibus ad frequenter communicandum, aut celebrandum requiſitis.

Requiſita ad digne frequenter communicandum.

EX dictis ſectione præced. patet, varia ad frequentem communionem eſſe requiſita. Primò quidem, generaliter animæ ſanctitudo, ne ſanctum canibus cedat, & mundum immundis. Specialius primò ex dictis requirit Bonav. ardorem, & ſitim cibi illius ſpiritualis : Bernardinus Senenſis, fidem, & devotionem.

1. Quod ad ardorem attinet, qui ſitim generat; intelligunt omnes ardorem charitatis, ut eo amore, quo in finem ſuos dilexit Salvator, eum diligant communicaturi. Primò ergo requiritur amor Dei prædominans, ut adhæreat communicaturus totaliter Deo, unus cum eo fiat ſpiritus, & ut in Deum transformetur. Hinc ait S. Chryſoſt. hom. 24. in 1. ad Corinth. eum, qui communicat, debere eſſe ſublimem, & cum terrâ nihil habere commune, debere aſſiduè volare ſurſum, intueri in ſolem juſtitiæ, &c.

2. Secundò, requiritur hic amor, & dilectio fraterna,

terna, eaque ſinceriſſima. Unde Hieron. in id Matth. 5. *Vade prius reconciliari, &c. Si munera,* ait, *noſtra abſque pace offerre non poſſumus; quantò magis, & Corpus Chriſti accipere?* Poſuit enim Deus pacem, tamquam finem, priuſquam adipe frumenti ſui velit ſatiare.

Tertiò, requiritur, ut non tantùm peccatum 3.
mortale, ejuſque affectus, ſed & affectus peccatorum venialium, maximè, quæ non ità ex ſubreptione, quam ex affectu proveniunt, deponantur. Docet id Franciſc. Saleſ. Philoth. 2. c. 20. omnem Chriſtianum, octavo die communicare cupientem, non tantùm omne lethale, ejuſque affectum, nec tantùm omne veniale, ſed & affectum omnis venialis abjicere debuiſſe, ac præterea magno communicandi deſiderio debere inflammari.

Quartò requiritur, ut acceptâ S. Euchariſtiâ in 4.
ſe ſentiant affectus pravos, ac concupiſcentias minui, affectum divinæ charitatis augeri, ac cæteros Euchariſtiæ effectus in ſe queant experiri.

Ex quibus collige 1. illos à frequenti communione disjungendos, qui præter nomen nihil ſpirituale præferunt: qui terrenis negotiis occupati, terrenorum amore prævalente ubique agitantur, & vix extra communionis horam quid ſpirituale cogitant.

2. Eoſdem à communione eſſe ſemovendos, qui fraterno odio, & invidiâ torquentur, & ut lupi agnum comedunt. *Ignoramus ſine pace communionem*, ait Hieron. Epiſt. 62. & S. Thomas in cap. 6. Joan. vocat S. Euchariſtiam *panem concordiæ*: unde etiam illos quotidiano pane diximus eſſe dignos, quibus ut primis fidelibus, erat cor unum, & anima una in Deo. Agnum ergo vult eſſe S. Chryſoſt. hom. 4. de Paſch. qui Agnum comedit. Heu, quam multiplex hic abuſus, dum agnum lupi comedunt, & canes, & qui in veſtimentis ovium ſunt lupi rapaces; qui fratres, non niſi vocantur!

3. A frequenti communione ſequeſtrandi ſunt,

qui venialium affectu detinentur : quales ſunt, qui non niſi otioſis, & vanis incumbunt, temporalibus nugis, inordinatis affectibus obediunt, nec quidquam adhibent, ut concupiſcentiæ fomitem ſuffocent.

4. A frequenti communione arcendi ſunt, qui vix ullum in virtutibus effectum, aut progreſſum ſentiunt, tepidi ſemper, numquam calidi: quorum dilectio in Deo non ſolidatur, quorum conſcientia non ſedatur, quorum denique vita, & converſatio non purificatur.

Unde ex frequenti communione tam parvus fructus.

Et hæc eſt ratio tam exigui fructûs ex frequentiori ſumptione hujus Sacramenti, quod tam ſæculares, quam Sacerdotes temporalibus rebus inordinatè inhient, & omnes, quæ ſua ſunt, quærant, non quæ Jeſu-Chriſti. Deinde, pauci admodum ſunt, qui venialium affectus ſollicitè curant extirpare : quod plurimi nimium indulgeant corruptæ naturæ, & amori proprio : quod, denique bonis operibus magis ex conſuetudine intendant, quam ex benevolo Creatoris affectu.

Specialiter verò in Sacerdotibus ſæpè celebrantibus ſine aliquo profectu id oritur ex eo, quod vili ſtipendio illecti ad ſacra accedant, aliàs non celebraturi : quod ex vanâ gloriâ id faciant, ut videantur ab hominibus : quod adulatoriè id agant, ut ſuperioribus placeant; ne notam apud eoſdem incurrant : denique, quod magis ex conſuetudine celebrent, quam pura devotione. Addit Card. Bona. aſcet. c. 6. §. 7. hunc maximè hîc eſſe defectum, quod Sacerdotes, ac ſæculares, æquè ac ſacra peracta ſunt, ſtatim ad externa diffluant, ac omnem Sacramenti fructum diſſipent, aut extinguant.

Ex quibus omnibus patet, conſideratis hujus ſæculi moribus, quotidianam communionem, tam Sacerdotibus, quam laicis promiſcuè non convenire. Neque hîc ullatenus objici poteſt illud tritum Venerab. Bedæ : *Sacerdos non legitimè impeditus, cele-*

celebrare omittens, quantum in eo eſt, privat ſanctam Trinitatem laude, & gloriâ: Angelos lætitiâ, &c. Cum plurimi ad dignè frequenter communicandum, ac celebrandum ſint legitimè impediti, ut ex dictis requiſitis patet. Patet itidem, non eſſe ſatis ad frequentem communionem, quod non ſint ſibi conſcii peccati mortalis, prout aliqui infundatè opponunt, niſi etiam omnes ejus affectus, ac venialia ex affectu committi ſolita prius ſtuduerint extirpare.

Quæret hic aliquis 1. quale peccatum ſit celebrare, aut communicare ex conſuetudine. Reſp. Quæſtionem hanc movet Joan. Sancius in ſelect. diſp. 24. ubi ſuppoſito, non eſſe neceſſariam actualem devotionem ad dignè celebrandum, aut communicandum, docet, quod ſi ita quis communicet ex conſuetudine, ut ex eâ ſolâ moveatur, malè & indignè communicet: ſi verò ex conſuetudine ita communicet, ut equidem alios Euchariſtiæ fines non excludat, quo modo docet eumdem dignè, & laudabiliter communicare, ſicuti qui ex conſuetudine obedit ſuperiori, laudabiliter obedit. Enimverò, quod non requiratur ad dignam Euchariſtiæ ſumptionem actualis devotio, ſatis corruit ex antedictis, dum ſancti Patres unanimiter exigunt accedentis fervorem, fidem, devotionem, charitatem, & alios actus ad dignè communicandum. Deinde, quamvis certum ſit, conſuetudinem ſimul eſſe poſſe cum verâ devotione in communicante; tamen certum eſt, quod conſuetudo illa actualem devotionem ſoleat minuere, aut etiam quandoque ſuffocare; quo fit, ut ex conſuetudine communicantes ſoleant SS. Patres & DD. accuſare, ut ſignanter S. Chryſoſt. hom. 61. ad Pop. dicens: *Multos video Dominici corporis participationem temere ſumentes, ut à caſu, & conſuetudine potius, quam cogitatione, & mente. O conſuetudinem! O præſumptionem!* Et D. Bonav. tract. de præparat. ad Miſſ. c. 8. *Vide, quid deſi-*

Quale peccatum ſit celebrare ex conſuetudine.

deſideres, ne propter vanam gloriam, aut propter conſuetudinem accedas.

Abſtinere à communione ſubinde eſt laudabile.

Quæres 2. an ergo laudabile ſit à communione abſtinere; item, an rectè illud ſubditis injunget ſuperior, pœnitenti Confeſſarius. Reſp. Ad primum, ſæpè id laudabiliter fieri, ex humili ſubmiſſione, & reverentiâ hujus Sacramenti. Claret id ex S. Auguſtini lectione in dedicat. Eccl. recitari ſolitâ, ubi dicitur: *Si enim agnoſcens quis reatum ſuum, ipſe ſe à divino altari ſubtraxerit, citò ad indulgentiam divinæ miſericordiæ perveniet. ...qui enim agnoſcens reatum ſuum ipſe ſe humiliter ab altari Eccleſiæ, pro emendatione vitæ removere voluerit, ab æterno illo, & cæleſti convivio excommunicari penitus non timebit.* Et Authore libelli de imitatione Chriſti l. 4. cap. 10. *Si quis*, ait, *interdum abſtinet à communione humilitatis gratiâ, aut legitimâ impediente causâ, laudandus eſt de reverentiâ.*

Ad alia reſpondet Joannes Sancius ſuprà diſp. 30. & 28. de ſuperioribus quidem, eoſdem non poſſe præcipere ſubdito abſtinentiam à communione. Verùm immeritò, & contra communem Religionum uſum, quo vel inordine ad mortificationem, vel humilitatem procurandam ſubdito imponunt ſuperiores abſtinentiam à communione. Cum enim (ut dictum eſt) ſubinde laudabiliter ex humilitate abſtinetur à ſacrâ Communione: quid ni ex eodem motivo imponere idem poterit Religioſa obedientia? Idem eſt de poteſtate, & juriſdictione confeſſarii reſpectu ſui pœnitentis.

D E.

DECRETUM

Circa Communionem Quotidianam.

CUM ad aures Sanctiſſimi D. N. fide dignorum teſtimonio pervenerit in quibuſdam Diœceſibus vigere uſum quotidianæ Communionis, etiam in feria ſexta paraſceve, & ſimul affirmari eandem quotidianam Communionem præceptam eſſe à jure divino, quin etiam in illius adminiſtratione aliquos abuſus inoleviſſe; videlicet, quòd aliqui, non in Eccleſiâ, ſed in privatis Oratoriis, & domi, imò cubantes in lecto, & non laborantes ullâ gravis infirmitatis notâ ſumant Sacroſanctam Euchariſtiam, quam argentea theca incluſam in crumena, aut ſecretò illis deferunt Sacerdotes Sæculares, aut Regulares; aliique in Communione accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores ſolito; ac tandem quis confiteatur peccata venialia ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario. Cum autem hæc ſanctiſſimus conſideranda commiſerit S. Congregationi Cardinalium Concil. Tridentini Interpretum, eadem S. Congregatio præviâ maturâ diſcuſſione ſuper prædictis unanimi ſententiâ ita cenſuit: Etſi frequens, quotidianuſve Sacroſanctæ Euchariſtiæ uſus à SS. Patribus fuerit ſemper in Eccleſiâ probatus; numquam tamen, aut ſæpius illam percipiendi, aut ab eâ abſtinendi, certos ſingulis menſibus, aut hebdomadis dies ſtatuerunt, quos nec Concilium Tridentinum præſcripſit, ſed quaſi humanam infirmitatem ſecum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet tantùm indicavit, cùm inquit: Optaret quidem Sacroſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis fideles adſtantes Sacramentali Euchariſtiæ perceptione communicarent; idque non immeritò; multiplices enim ſunt, conſcientiarum receſſus, variæ ob negotia ſpiritûs alienationes: multæ è contra gratiæ, & Dei dona parvulis conceſſa:

quæ cum humanis oculis ſcrutari non poſſimus, nihil certè de cujuſque dignitate, atque integritate, & conſequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis eſu poteſt conſtitui. Et propterea quod ad negotiatores ipſos attinet, frequens ad ſacram alimoniam percipiendam acceſſus, Confeſſariorum ſecreta cordis explorantium judicio eſt relinquendus, qui ex conſcientiarum paritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem proceſſu Laïcis negotiatoribus, & Conjugatis, quod proſpicient eorum ſaluti profuturum, id illis præſcribere debebunt. In Conjugatis autem hoc ampliùs animadvertent, cùm B. Apoſtolus nolit eos invicem fraudare niſi fortè ex conſenſu ad tempus, ut vacent orationi, eos ſeriò admoneant, tantò magis ob ſacratiſſimæ Euchariſtiæ reverentiam continentiæ vacandum, puriorique mente ad cœleſtium Epularum Communionem eſſe conveniendum. In hoc igitur Paſtorum diligentia potiſſimum invigilabit, non ut à frequenti, aut quotidianâ ſacræ Communionis ſumptione unicâ præcepti formulâ aliqui deterreantur, aut ſumendi dies generaliter conſtituantur, ſed magis quid ſingulis permittendum per ſe, aut Parochos, ſeu Confeſſarios ſibi decernendum putet; illudque omninò provideat, ut nemo à ſacro Convivio ſeu frequenter, ſeu quotidiè acceſſerit, repellatur; & nihilominus det operam, ut unuſquiſque dignè pro devotionis, & præparationis modo rariùs, aut crebriùs Dominici corporis ſuavitatem deguſtet. Itidem Moniales quotidiè ſacram Communionem petentes admonendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis inſtituto præſtitutis communicent; ſi quæ verò puritate mentis eniteant, & fervore ſpiritûs ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidianâ ſanctiſſimi Sacramenti perceptione videri poſſint, id illis à Superioribus permittatur. Proderit etiam præter Parochorum, & Confeſſariorum diligentiam, operâ quoque concionatorum uti, & cum eis conſtitutum haberi, ut cum fideles ad ſanctiſſimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint, ſtatim de magnâ ad illud ſumendum præparatione orationem habeant, genera-

neratimque oſtendant, eos qui ad frequentiorem, aut quotidianam ſalutiferi cibi ſumptionem devoto ſtudio excitantur, debere, ſivè Laici negotiatores ſint, ſive conjugati, ſive quicumque alii ſuam agnoſcere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, divini judicii formidine diſcant cæleſtem menſam, in qua Chriſtus eſt, revereri; & ſi quando ſe minus paratos ſenſerint, ab ea abſtinere, ſeque ad majorem præparationem accingere. Epiſcopi autem, in quorum Diœceſibus viget hujuſmodi devotio erga ſanctiſſimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipſi adhibito prudentia, & judicii temperamento alere debebunt, & ab eorum officio poſtulari ſibi maximè perſuadebunt, nulli labori, aut diligentiæ parcendum, ut omnis irreverentiæ, & ſcandali ſuſpicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtuteſque, ac dona in ſumentibus augeantur: Quod abundè continget, ſi ii qui devoto hujuſmodi ſtudio, divinâ præſtante gratiâ tenentur, ſeque ſacratiſſimo Pane frequentius refici cupiunt, ſuas vires expendere, ſeque probare cum timore, & charitate aſſueverint: Quibus Chriſtum Dominum, qui ſe fidelibus manducandum, & ſe pretium in morte tradidit, atque in cæleſti Regno ſe præmium eſt daturus, precatur ſacra Congregatio, ut ſuam opem ad dignam præparationem, & ſumptionem largiatur. Porrò Epiſcopi, & Parochi, ſeu Confeſſarii redarguant aſſerentes Communionem quotidianam eſſe de jure divino, doceant in Eccleſiis, ſeu Oratoriis privatis, ex diſpenſatione, ſeu Privilegio Pontificis de manu Sacerdotis ſumendam ſanctiſſimam Euchariſtiam, nec eam ullo modo deferendam in crumenâ, aut ſecreto ad exiſtentes domi, vel cubantes in lecto, quàm ad infirmos, qui ad illam ſuſcipiendam ad loca prædicta accedere non valeant, & ad eos, ſi ab Eccleſiâ deferatur, publicè, & cum pompa juxta formam Ritualis Romani; ſi verò ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti. Curent etiam, ut circa Communionem in feria ſexta Paraſceva, Miſſalis Rubricæ, & Eccleſiæ Romanæ uſus ſerventur; inſuper admoneant nulli tradendas

plures

plures Euchariſtiæ formas, ſeu particulas, neque grandiores, ſed conſuetas; non permittant, ut venialium confeſſio fiat ſimplici Sacerdoti, non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario. Si Parochi, & Confeſſarii etiam Regulares, aut quicumque alii Sacerdotes ſecùs egerint, ſciant Deo optimo maximo rationem reddituros eſſe, neque defuturam Epiſcoporum, & Ordinatoriorum juſtam ac rigoroſam animadverſionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jeſu, facultate ipſis Epiſcopis, & Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apoſtolicam ſpecialiter attributâ.

Et facta de præmiſſis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas ſua approbavit, ac præſens Decretum typis dari, ac publicari voluit. In quorum, &c. datum Romæ 12. *Februarii* 1679.

F. Card. Columna Præf.

S. Archiepiſc. Brancaccius Epiſc. Viterbienſis Secr.

Die 15. menſis Februarii 1679. ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit per urbem ad valvas Curiæ, & in acie Campi Floræ, ut moris eſt per me Ægidium Felicem SS. D. N. PP. Curſorem. Pro D. Magiſtro Curſorum Gregorius Staggius Apoſt. Curſ.

SECTIO XVII.

De Poſt-Communione & partibus ſequentibus Miſſæ.

Quid Poſt-communio. DICENDUM primò: *Poſtcommunio* nihil eſt aliud niſi gratiarum actio pro datis donis in hoc ſacrificio: hanc exigit ipſa gratitudo. Quæ gratiæ utilius adhibentur, dum adhuc in ſtomacho durant ſpecies, cum eo uſque vi Sacramenti melius in anima

ma diſponamur, cum Euchariſtia ſit Sacramentum permanens.

Dicendum 2. benedictio & Evangelium Joannis cadunt ſub obligatione, adeò ut Conc. Agathenſe c. 47. prohibeat populo ante illa templo egredi, uti fecit & Conc. Aurelian. & Arelatenſe 3. Levis tamen eſt illa illorum materia & levis culpa. Neque dici poteſt, verba illa, *ite Miſſa eſt*, ſignificare Miſſam eſſe abſolutam, ſed ſolùm ſignificant, inſtare tempus diſcedendi.

Dicendum 3. recitare preces poſt Miſſam, v. g. Hymnum *Benedicite*, &c. non cadit ſub præceptum, ſed rubrica hujus eſt ſolùm directiva. Præcipitur autem quandoque hæc oratio, idque ſub gravi pœnâ ut in Concilio Tolet. 4. c. 13. ſed notandum ſolùm præcipi tales preces quæ olim poſt Miſſam ſolemnem à Choro decantari ſolebant, quas modo in diſſuetudinem contrarius uſus abduxit.

Lotio manuum poſt Miſſam, etſi merito adhibeatur, ne manus, quæ paulò ante tanta myſteria tractârunt, attractu rei ſordidæ cùm indecentiâ profanentur, non tamen adhiberi debet, maximè cùm ea ablutio facta ſit in Miſſa: Unde neque illam lotionem rubrica præcipit, ut lotionem ante Miſſam.

Ire ad prandium à Communione, etſi non deceat, tamen ſi cauſa adſit, non eſt illicitum, v. g. dum Religioſi ultima ſacra celebrantes, ſtatim à ſacro ad menſam divertunt.

Non licet quoque ſtatim à Communione provocare vomitum, expuere, &c. ratio eſt, quod ſpecies aliquo tempore poſt ſumptionem durent: Alii docent unius horæ minuto id eſt parte ſexageſimâ horæ, formulam Laïcis dari ſolitam, conſumi: alii fide digni referunt econtrà poſt mediam à ſumptione horam, ſpecies fuiſſe evomitas: unde præciſum tempus non poteſt hîc determinari, maximè cùm unius ſtomachus ad concoctionem ſit efficacior & validior quam in alio.

CA-

Caput Sextum.

Sectio Prima.

De defectibus Miſſæ.

Quid ſit defectus. DICENDUM primò, *Defectus* eſt carentia alicujus requiſiti ad ritum & validam Miſſæ celebrationem. Alius eſt ſubſtantialis, alius accidentalis. *Subſtantialis* eſt, qui facit, ut Miſſa ſit omninò invalida: *Accidentalis* eſt carentia alicujus, quod non ſpectat ad eſſentiam, ſed ſolùm ad ornatum Miſſæ vel ejus integritatem, v. g. omiſſio ritûs, aut ſumptionis. *Alius eſt ſubſtantialis alius accidentalis.* Cùm verò irritare Sacramentum ſit graviſſimum ſacrilegium, ſequitur Sacerdotem ſub mortali debere cavere omnes defectus eſſentiales; unde ſi ante Miſſam talem defectum prævideat, v.g. alteram ſpeciem defuturam debet à Sacrificio abſiſtere, cavendo ſcandalum, quantum poteſt. Si verò non fuerit prævisus, ſed ſolùm advertatur poſt conſecrationem, ſub mortali erit ſupplendus. Imò de ſe ſub mortali tenetur cavere omnes defectus accidentales eo quod Sacerdos perfectè & integrè teneatur juxta formam à Miſſali præſcriptam celebrare. *Obligatio Sacerdotis cavendi defectus.*

In caſu verò damni aut ſcandali ex abruptione Miſſæ oriri ſoliti, hoc generaliter notandum eſt: quòd prudenter judicandum ſit, quodnam ſit levius malum, vel permittere defectum: vel ob illum abſtinere, ſimul conſiderando ea, quæ conſideranda ſunt & regulariter agendum id, quod populum minus offendit.

Dicendum 2. qualis debeat eſſe materia hîc requiſi-

quiſita, diximus in antedictis: Si autem ante conſecrationem advertat v. g. hoſtiam eſſe corruptam non eſſe triticeam, &c. aliam debet ſupponere, & factâ oblatione ſaltem mente conceptâ, debet proſequi ubi deſierat. Si verò id avertat poſt conſecrationem, etiam poſt ſumptionem Hoſtiæ, aliam aſſumat, & à verbis, *Qui pridie*, incipiens pergat: Si verò prior Hoſtia non fuerit ſumpta, eamdem poſt aliam ſuppoſitam & ſanguinem ſumat, vel alteri celebraturo eam tradat, aut alibi reverenter ponat. Ratio prioris eſt, quòd talis etiam non jejunus debeat ſumere aliam hoſtiam, eo quod præceptum de perfectione Sacrificii prævaleat præcepto jejunii. Si verò defectus ille deprehendatur, etiam poſt ſumptum ſanguinem, debet alia hoſtia, & aliud vinum cum aquâ adhiberi & conſecrari incipiendo à verbis *Qui pridie*.

Si verò hoſtia conſecrata miraculosè diſpareat, debet alia hoſtia conſecrari à dictis verbis incipiendo, factâ prius oblatione. Ita de dictis caſibus rubrica.

Hoc tamen notatum velim, plurimos docere, quod ſi poſt ſumptum ſanguinem deprehendatur hoſtiæ defectus, v. g. quòd non ſit triticea, quod hoc caſu non debeat conſecrari aliud vinum ſed ſola hoſtia: Debet enim ſolùm ſuppleri, quod incautè fuerat prætermiſſum, non itidem novum Sacrificium inchoari. Deinde, etſi aliud rubrica præſcribat, ut dictum eſt: Tamen notandum rubricas de defectibus directivas, eſſe ſolùm doctrinales, nullam inducentes obligationem, ultra doctrinam, quam continent. Idem eſt, ſi defectus advertatur in vino, quod ſcilicèt debeat ſumi aliud vinum; non itidem alia hoſtia.

Dicendum 3. ſi defectus materiæ eſſentialis deprehendatur antequam Miſſa ſit finita, debet dicto modo ſuppleri defectus: ſi verò Miſſa jam ſit abſoluta, & advertat talem defectum Sacerdos, v. g. in Sacriſtia;

criſtia ; non debet defectum ſuppleturus reverti, ſic enim jam eſſet novum Sacrificium.

Si verò hoſtia conſecrata miraculoſè mutetur in carnem aut puerum, de quo antea. Debet hoſtia immutata reſervari, uti habet Eccleſiæ praxis, quæ in re tanti momenti, indubiè debet obſervari. Undè ſi in una ſpecie fiat talis mutatio, cenſent plurimi, non debere aliam ſpeciem ad conſecrandum reſumi, eò quod Chriſtus ponat ſe in tali ſpecie, in qua ſumi non poteſt : adeoque cenſetur diſpenſare in lege, quâ debet integrè ſacrificium ſumi. Si verò talis mutatio fieret in utraque ſpecie, non deberet alia reſumi, aliàs eſſet aliud ſacrificium, adeoque aliàs binaret. Neque hîc aliquid poteſt dici ſuppleri, ubi nihil ex unâ parte eſt poſitum.

SECTIO II.

De defectibus formæ.

Dicendum primò, ſi Sacerdos ſit certus ſe defeciſſe in formâ debitâ, debet eam iteratò proferre, cum ſit defectus ſubſtantialis, aliàs foret Sacrificium mutilum. Debet autem reſumi tota forma, nec ſolùm id, quod erat omiſſum, unde rubrica ait, quòd debeat repeti forma, non autem pars formæ. Prolatâ autem formâ, debet pergere ab eo, ubi deſierat. Forma autem panis debet repeti à verbis, *Qui pridiè* : forma Calicis à verbis *ſimili modo*.

Forma Calicis prolata ſuper panem.

Dicendum 2. ſi ſuper hoſtiam quis proferat formam Calicis, non manet vinum conſecratum, cum deſit intentio vinum conſecrandi eâ formâ : unde poſtea forma Calicis hoc caſu deberet repeti. Si verò eo caſu poſtea hoſtia ritè conſecretur, ſi ſemel antea fuerit elevata, non poteſt poſtea ritè conſecrata rurſum elevari ob ſcandalum.

Dicendum 3. ſi dubitet an commiſerit defectum for-

formæ eſſentialem, idque ex ſufficientibus motivis: debet formam repetere ſub conditione ſaltem mente conceptâ. Si verò non adſint motiva ſufficientia, debet dubium illud ut ſcrupulus rejici. Unde ſi dubitet an formam protulerit, ex eo præcisè, quòd non recordetur ſe ritè eam protuliſſe, nihil debet repeti, cùm dubium illud careat omni fundamento. *Dubitans an ritè pronuntiaverit formam.*

Si verò omiſſa fuerint in formâ illa verba, de quibus eſt dubium an ſint de eſſentia formæ, v.g. *Novi & æterni Teſtamenti*, debet forma iterari, quia in re tanti momenti, eſt aſſumendum illud, quod eſt tutius, & quam maximè poſſit, à periculo recedere, unde ſub conditione forma debet repeti.

SECTIO III.

De defectibus ex parte Miniſtri.

DICENDUM primò, defectus ii, vel oriuntur defectu intentionis debitæ ex parte diſpoſitionis animæ vel corporis, & ex parte veſtium. Ex parte intentionis quidem, ſi v. g. non intendat ſeriò conſecrare: ad debitam enim conſecrationem, requiritur intentio miniſtri, eò quod actio conſecrandi ob diverſos fines fieri poſſit, adeoque per intentionem miniſtri ad certum aliquem finem reſtringi debet, ut ſit Sacramentalis. Etſi autem actualis intentio hîc ſit optima, & ad quam Sacerdotem niti oportet: tamen ſufficit virtualis, quæ ſufficit, ut homo dicatur humano modo & liberè agere. Habitualis tamen intentio hîc eſt inſufficiens, qualis poteſt eſſe & in dormiente; neque facit, ut actio prodeat humano modo. Et licet illa habitualis intentio ſufficiat ut quis ſuſcipiat Sacramentum, nihil dictis obſtat, cum major perfectio requiratur in agente, quàm in patiente: unde pueri rectè baptizantur, non autem baptizant. *Intentio conſecrandi.*

Dicen-

Dicendum 2. ſi quis exteriùs proferat formam ſuper materiam debitam, ſic ut in animo intendat non conſecrare, juxta plurimos non conſecrat, cum requiratur intentio conſecrandi, ſaltem importata in intentione faciendi id, quod facit Eccleſia: unde & Conc. Trid. ſeſ. 14. Can. 9. definit Sacerdotem joco abſolventem, nil efficere, etſi intendat proferre verba abſolutionis: adeò ut aliqui doceant contrarium non poſſe ſuſtineri abſque errore in fide. Alii tamen docent, quòd ille, qui externè ponit debitam formam ſuper materiam debitam, etſi adſit talis intentio, validè conficiat Sacramentum, eo quòd ſicut malitia miniſtri, non officit valori Sacramenti, ita nec talis intentio; deinde ſicut ſi miniſter, dum vult dare Sacramentum, ſimul intenderet non conferre effectum Sacramenti, non ideò non daret illum effectum: ita etiam ſi exterius ſerio proferat formam ſuper materiam debitam, etſi interius intendat non conſecrare, non ideò non conſecrabit, cum ſignificatio & efficacia formæ ſint ex inſtitutione Chriſti. Vide quæ dicta ſunt ſect. 3. de Sacramentis in genere.

Dicendum 3. Cum ad valorem conſecrationis requiratur determinata materia, ab intentione miniſtri debet illa determinari; debet enim materia conſecranda demonſtrari per to *hoc* & *hic*. Hinc ſi quis ante ſe habens 10. hoſtias, & vellet conſecrare ex eis 8. non determinando quas 8. nihil efficeret, quia non eſt major ratio pro illis, quàm pro aliis, adeoque nullas. Idem dicendum, ſi vellet conſecrare illas 8. quas vult Deus. v. g. Idem dicendum eſt, ſi vellet conſecrare mediam partem hoſtiæ, non determinando, quam medietatem. Aliud eſt in applicatione Miſſæ, quæ applicari poteſt illi, cui Deus volet, cum applicatio ſit donatio præſupponens rem donatam, non itidem effectivè ad ſacrificium concurrit. Deinde, in conſecratione materia debet deſignari per to *hoc* & *hic*, unde debet conſecranti eſſe determinata: in applica-

tione

tione autem non debet deſignari anima, cui ſit applicatio.

Dicendum 4. Si Sacerdos putet habere in manibus unicam hoſtiam, & poſtea comperit ſe habere duas ſimul junctas, ſi tamen velit conſecrare id, quod ante ſe eſt, validè conſecrata erit utraque hoſtia. Si verò velit conſecrare unicam ſolùm, quam videt, alia non erit conſecrata. Debet tamen Sacerdos, ut huic periculo obveniat, ita formare intentionem ſuam, ut velit conſecrare id, quod conſecrabile ante ipſum exiſtit, ſive ſit una, ſive plures ſint hoſtiæ.

Si verò hoſtiæ ſint poſitæ loco indebito, v. g. extra aram, & juſſerit Sacerdos illas dari conſecrandas, non præſumitur eas eſſe conſecratas, eo quod non præſumatur Sacerdos velle conſecrare aliquam materiam indebito modo & contra ritum gravem Eccleſiæ. Alii tamen oppoſitum tenent, eas eſſe conſecratas, eo quod adſit intentio ſufficiens, puta virtualis, neque valori Sacramenti obſtat, quod ſint in loco indebito, maximè cùm ob inadvertentiam culpâ careat. Hinc particulæ illæ, poſt ſanguinem ſumendæ erunt, cum ſaltem dubium ſit, an non ſint conſecratæ, vel etiam ſi ſint plures hoſtiæ, v.g. in pixide, poterunt poſtea ſub conditione conſecrari.

Dicendum 5. Quoad particulas à toto ſegregatas, v. g. guttulas vini calici adhærentes, particulas ab hoſtiâ decidentes, &c. Notandum eſt, ſi ſolùm totum illud contiguum velit Sacerdos conſecrare, non conſecrare particulas à toto ſegregatas, ſi tamen velit conſecrare totum id, quod eſt conſecrabile ante ipſum Sacerdotem, ſic quoque dictas particulas conſecrabit, poſito quod ſint ſenſibiles, & poſſint conſecrari. Debet tamen Sacerdos ſimiles particulas advertens ante conſecrationem, eas ſtatim amovere: & de cæterò quoad hæc dicta, formare

ſuam intentionem faciendi juxta inſtitutionem Chriſti, & Eccleſiæ uſum.

SECTIO IV.

De defectibus ex parte diſpoſitionis corporis.

Debet Euchariſtia ſumi à jejuno.

DICENDUM primò, primus defectus, quem aſſignat rubrica, eſt defectus jejunii. Jejunium exigit Eccleſia, partim ob reverentiam Sacramento debitam, ne ore impuro illud ſumatur, ne adeſſet aliquando periculum vomitûs, & ut fideles liberiori mente ad Sacramentum hoc accederent: partim ad ſignificandum, cibum hunc cœleſtem aliis cibis longè præcellere, & eis anteponendum. Jejunium illud debet eſſe *naturale*, quod in eo ſitum eſt, quod communicans à mediâ nocte nihil ſumpſerit per modum cibi aut potûs: unde reliquiæ, quæ intra dentes hærent, & deinde deglutiuntur, non violant jejunium naturale, eo quòd ſumantur per modum ſalivæ, non per modum cibi aut potûs. Idem eſt de guttulis ori adhærentibus poſt oris lotionem. Idem eſt de eo, qui aromata dentibus terendo, aliquid ſucci ſalivæ mixtum ſumit. Idem eſt ſi quis reſpirando in os pertrahat pulverem, muſcam, &c. Cum illa ſumantur per modum reſpirationis.

Porro, ut aliquid ſumatur per modum cibi vel potûs, debet activè cibus vel potus extrinſecus per os ſumi in ſtomachum: unde ſi quis aquam v.g. ſumat per nares, non franget jejunium: idem eſt de humore illo ex capite defluente in os, quem quis ita trajicit in ſtomachum. Aliud eſſet de ſanguine v.g. quem quis ſugit ex digito, eumque ſumit. Hinc ulteriùs ſumptio cretæ, &c. quæ non nutriunt, non frangit jejunium, eo quòd jejunium hoc ſolùm vetet, ne quid cibi aut potûs ſumatur, illa autem

non

non habent rationem cibi aut potûs. Aliud eſt de medicinis, venenis, aquâ, &c. eo quod imprimis aqua ſit verè potus, medicinæ autem & venena, etſi de ſe tendere videantur magis ad deſtructionem hominis, quàm ejus nutritionem, tamen ſemper ſibi mixtas habent particulas nutrientes aut nutritionem adjuvantes, quæ proinde ſolvunt jejunium naturale.

Qui veſperi ad ſedandam raucedinem v. g. impoſuit ori ſuo ſaccarum, quod poſt mediam noctem trajicit, violat jejunium. Neque hîc idem eſt, quod de reliquiis dentibus adhærentibus, neque ſumptio ſaccari eſt reliquia cœnæ præcedentis, ſed nova commeſtio, quæ fit per continuam liquefactionem & trajectionem; commeſtio enim tam diu durat, quàm diu durat liquefactio & trajectio. Unde idem eſt, ac de eo, qui partem carnis præmanſam, poſt medium noctis illam deglutiret.

Dicendum 2. In violatione jejunii naturalis non datur parvitas materiæ. Ratio eſt, quòd quantumvis parva quantitas ſumeretur, tamen legi jejunii contraveniret, quæ lex directè præcipit, ut S. Euchariſtia ſumatur ante omne id, quod tamquam cibus aut potus ſumitur. Neque hîc objici poteſt, quod Eccleſia non poſſit prohibere materiam parvam, ſub mortali, nam materia de ſe parva, poteſt fieri magna prout ſubſtat intentioni legiſlatoris, & aliis circumſtantiis adjunctis, uti hîc fit. *Lex jejunii.*

Dicendum 3. Sumptio tabaci quocumque modo facta, ſive per fumum, ſive per nares, ſive per maſticationem; ultra quod periculum quandoque creet ſolvendi jejunium, tamen indecens eſt ac viris Religioſis ante celebrationem præſertim indignum: ſi tamen ſumatur per fumum, non erit tantum periculum violandi jejunii, cum per modum reſpirationis ſumatur, ſi quid fumi in ſtomachum deſcendat. Sumptum per nares nec tantum periculum violandi jejunii adfert, cum per nares attractio, non ſit ha- *Sumptio tabaci.*

benda conmeſtio. Sumptum verò per maſticationem, plus plerumque periculi adfert, cum facili negotio maſticatum per modum cibi in ſtomachum trajici poſſit, etſi aliquando ſolùm per modum ſalivæ. Unde variæ Synodi ſub gravi pœnâ ſumptionem tabaci inhibuerunt, de quâ ita quoque laudabiliter Illuſtriſſ. Caſtorienſis fol. 15. conſtitut. *Tabacum ut vocant, vel aliquid ſimile, ſumere antè celebrationem omnino prohibemus quocumque prætextu, medicinæ vel ſanitatis id demum fiat. Aliis verò temporibus non niſi urgentibus utantur ex cauſis: numquam verò, ut pareant voluptati, quæ illos decent, qui ambulant uti inimici Crucis Chriſti, &c.*

Dicendum 4. tempus mediæ noctis, à quo inchoare debet jejunium naturale, apud noſtrates eſt hora duodecima. In Italia verò, ubi horologia primam ſonant in principio noctis, & vigeſimam quartam in occaſu ſolis, videndum eſt quâ horâ incipiat dies artificialis, tunc enim nox deſinit: Quo poſito dividendum eſt tempus nocturnum ab occaſu uſque ad ortum ſolis in 2. partes æquales, & dimidium talis temporis erit media nox. Incipit autem media nox à primo pulſu horæ duodecimæ, quia pulſato primo ictu talis horæ, jam deſiit undecima, & reliqui ictus adduntur, ut ſignificetur duodecima. Si verò horologia diſcrepent, poterit attendi ad illud, quod ſolet exactius pulſare, etſi ſerius ſonet. Aliud eſſet, ſi ſoleret variare & deficere; cui quis ſe conformando, cenſeretur in fraudem jejunii illi velle attendere.

Dicendum 5. Qui verò dubitat, an aliquid ſumpſerit, poterit communicare, cum poſſeſſio ſtet pro libertate: ſi verò certus de ſumptione factâ, dubitet an ſit facta poſt medium noctis, communicare non poterit, cùm poſſeſſio hìc ſtet pro præcepto, & lex libertati ſit impoſita.

SE-

SECTIO V.

Quandonam quis poſſit communicare non jejunus.

Dicendum primò, variæ cauſæ excuſant communicantem à jejunio: ac primò quidem reverentia Sacramenti, v. g. ſi ſit periculum, quòd Sacramentum malè tractetur, niſi quis etiam non jejunus illud ſumat.

2. Neceſſitas vitandi ſcandali, vel alterius gravis damni, cum leges poſitivæ, non ſoleant obligare cum tanto damno. Hinc ſi quis in ipſo actu celebrationis, vel dum ſedet in menſâ communionis, recordetur ſe non eſſe jejunum, nec abire poteſt ſine gravi ſcandalo, poterit nòn jejunus communicare.

3. Sumptio viatici in articulo mortis, unde infirmus in tali neceſſitate poterit communicare non jejunus: neque hìc ſcrupuloſè indagandum, an infirmus ſit in periculo ſufficienti, né dum morantur ſcrupuli, moriatur infirmus.

4. Diſpenſatio Papæ, quam dari docent in miſſâ nativitatis pontificiâ, ubi in ſacello Papæ celebratur ante mediam noctem. Neque dici poteſt, quòd dicto caſu anticipetur media nox ex juſtâ causâ: cum non poſſit anticipari tempus aliquod, quod nondum advenit.

5. Ut perficiat quis ſacrificium, jam inchoatum: v. g. ſi ſacerdos deficiat, nec adſit alius qui ſuppleat niſi non jejunus: ſi ſumptâ hoſtiâ, ſumat aquam, quam loco vini intenderet ex errore conſecrare, poterit vinum iterum conſecratum ſumere. Idem eſt, de ſumptione particularum hoſtiæ, de quibus antea.

Celebrare tamen, non jejunum, ut moribundum quis communicet, non permittit verior Theologorum opinio. Ratio eſt, quòd ſit major habenda

ratio reverentiæ Sacramenti, ob quam indictum fuit jejunium, quàm aliqualis neceſſitatis proximi, qui à præcepto quoque excuſatur, ſi non adſit, qui poſſit ritè miniſtrare. Deinde, etſi communio eo caſu ſit de jure divino, & lex jejunii ſit ſolùm eccleſiaſtica, tamen lex divina dicta, non obligat, quando non adeſt debita materia, id eſt hoſtia conſecrata, & de cætero lex jejunii celebraturum conſtringit. Rurſum, celebrare cum ſacris veſtibus eſt etiam tantùm juris eccleſiaſtici, tamen ſine illis neque in dicto caſu licebit celebrare, etſi obſtet lex divina de Viatico. Et licet quis non jejunus poſſit communicare in mortis articulo, tamen inde non ſequitur, idem de celebrare volente, pro tali moribundo, eo quòd prius Eccleſia declaravit licere, non itidem aliud.

SECTIO VI.

De aliis defectibus Corporis.

An pollutio nocturna impediat communionem.

Dicendum primò, Alium defectum corporis aſſignat rubrica pollutionem præcedentem. Hæc, ſi vel in ſe, vel in cauſâ fuerit voluntaria, indubiè Communionem impedit, cum ſit mortaliter mala. Si verò ſit involuntaria, etſi ſecundùm ſe non impediat Communionem, tamen illam impedit ratione fœdi affectûs, & divagationis phantaſiæ ejuſque perturbationis, quæ pollutionem ſæpè comitantur. Idem eſt de copula carnali, etſi conſultiſſimum ſit, Sacramentum illud puriſſimum poſt eadem ex reverentiâ omittere, niſi alia urgens ratio contrarium expoſtulet. Audi de utroque S. Thomam 3. p. q. 80. art. 7. ad 2. *Dicendum, quod coitus conjugalis, ſi ſit ſine peccato, puta, ſi fiat causâ generandæ prolis, vel causâ reddendi debitum, non aliâ ratione impedit ſumptionem Sacramenti, niſi ſicut dictum*

dictum eſt, de pollutione nocturnâ, quæ accidit ſine peccato, ſcilicet propter immunditiam corporalem, & mentis diſtractionem: ratione cujus dicit S. Hieron. ſup. Matth. ſi panes propoſitionis ab his, qui uxores tetigerant, concedi non poterant; quantò magis ille panis, qui de cœlo deſcendit, non poteſt ab his, qui conjugalibus paulò ante complexibus, violari atque contingi?

Dicendum 2. Patientes vomitum vel tuſſim continuam, ob periculum irreverentiæ communicare non poſſunt. Secluſo autem periculo vomitûs, nullus morbus per ſe impedit communionem, per accidens autem ratione irreverentiæ, & horroris aliorum communicantium poſſet quandoque eam impedire: unde leproſi, ulcerati, fluxu ſanguinis vel ſeminis laborantes, facie aut corpore deformes, à communione non ſunt arcendi. *Vomitus periculum.* *Morbi.*

Aliud eſt de Sacerdote, tali morbo laborante, ut miniſterium miſſæ decenter peragere nequeat: hîc enim ſtante tali defectu, fit irregularis; unde Sacerdos naſo carens, habens labia corroſa, laborans morbo caduco, habens pollicem vel indicem ita debilem, ut ſine periculo hoſtiam tenere non poſſit, celebrare non poteſt. Si verò quis non poſſet ſe communicare manu dextrâ ob contractionem nervorum, poſſet ſe communicare manu ſiniſtrâ: Unde & Patres Dominicani, ſeſe decenter ſiniſtra communicant.

SECTIO VII.

De Eccleſiis & Oratoriis.

Dicendum primò, Sacrificium Miſſæ exigit locum ſacratum, id eſt Eccleſiam, quæ erigitur, ut divinum myſterium ibidem ritè peragatur. Antiquo jure extra neceſſitatem vetitum erat cele-

brare in Eccleſiâ non conſecratâ, uti patet ex cap. *nullus Presbyter.* Poſt verò, quia conſecratio templorum foret rarior, permiſſum fuit celebrare in Eccleſia benedicta, et ſi non conſecrata. Conſecratio Eccleſiæ fit ab Epiſcopo, benedictio etiam ab alio Sacerdote ab Epiſcopo ad hoc deputato, ritu quem præſcribit Pontificale. Eccleſia autem benedicta gaudet iiſdem privilegiis quibus gaudet Conſecrata.

Oratoria verò privata, nec debent eſſe conſecrata, nec benedicta, ſed ſatis eſt, ſi ad ſacrificium ibidem peragendum ab Epiſcopo ſint approbata, per quam approbationem acquirunt ſufficiens eſſe ſacrum, ut in illis locis decenter peragatur Sacrificium. Oratoria illa debent eſſe publica, habere oſtium in viâ publicâ, ſolentque habere campanam. Differunt verò dicta oratoria ab Eccleſiis propriè dictis in eo, quòd in Eccleſiis communiter ſoleant fidelibus miniſtrari Sacramenta: in oratoriis autem illud communiter fieri non ſoleat, etſi per accidens rarò id contingat. In eo autem cum Eccleſiâ conveniunt, quòd gaudeant iiſdem privilegiis, quibus gaudet Eccleſia. Extra dicta loca, id eſt Eccleſias aut oratoria jure communi non licet celebrare: patet illud ex Cap. *nullus Presbyter*: & Conc. trid. ſeſ. 22. in decreto de obſerv. in celeb. miſ. ita habet: *Ne patiantur Epiſcopi privatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad divinum cultum dedicata oratoria ab eiſdem ordinariis deſignanda, & viſitanda, ſanctum hoc ſacrificium à ſæcularibus & regularibus peragi.*

Differentia Eccleſiæ ab oratoriis.

Notandum, quòd quidem jure antiquo poterant Epiſcopi dare facultatem celebrandi extra neceſſitatem etiam, in domibus privatis. Tamen extra neceſſitatem illa poteſtas Epiſcopis per dictum Concilii locum, eſt abrogata: etſi etiamnum eâ gaudeant in caſu neceſſitatis, quo caſu licet aliquandò celebrare ſub dio cum altari portatili, Item in mari

mari tranquillo, ſic tamen ut periculo effuſionis ſanguinis provideatur, Diacono firmiter tenente calicem, &c. Imò in navi aliquandò honeſtior ſuppetit celebrandi locus, quàm in terrâ. Docent aliqui in caſu evidentis neceſſitatis, non eſſe adeundum Epiſcopum, etſi contrarium ſit verius, ſi commodè adiri poſſit. Caſus autem neceſſitatis eſſe poteſt, v. g. quandò urget præceptum audiendi miſſam, &c.

Epiſcopi. Dicendum 2. Poteſt Epiſcopus domi ſuæ erigere ſacellum ad celebrandum quovis die. Patet ex cap. *Finali*, in quo etſi ſolùm conditionatè hoc concedatur, ſi ſcilicèt Epiſcopus non poſſit commodè adire Eccleſiam, contrarium tamen conſuetudo jam dudum obtinuit. Neque obſtat Conc. Trid. ſupra allegatum, quod ſolùm agit de domibus privatis: Domus autem Epiſcopales ſunt publicæ. Privilegium hoc extendunt etiam, uſque ad domus Epiſcoporum rurales.

Ex eodem capitulo conſtat etiam, Epiſcopos poſſe in itinere ſecum ferre altare portatile, ut quovis decenti loco celebrare poſſint. Neque privilegium illud eſt perſonale, unde durat etiam Epiſcopo mortuo, cùm detur loco non perſonæ: Aliud eſſet, ſi domus illa fieret ſæcularis, quo caſu deſinit privilegium tali loco annexum. Eodem privilegio gaudent quoque Epiſcopi titulares, cùm ſint veri Epiſcopi, & eamdem Epiſcoporum habeant dignitatem, excepto eo, quòd dum celebrant in Pontificalibus in alienâ diœceſi, debeant petere licentiam ab Epiſcopo diœceſano, uti conſtat ex Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 2. reform.

Regulares. Dicendum 3. Triplex quoad ſacella datum eſt privilegium Regularibus 1. Quoad Miſſionarios, potiſſimum à Gregorio XIII. Societati Jeſu, quod cùm ſit poſterius Concilio Trid. non videtur ratio, quare non valeat. 2. Privilegium datum eſt omnibus Mendicantibus, ſed ante Conc. Trid. cap. *In*

his , *de Privilegiis.* Quòd negant plurimi per Conc. Trid. eſſe abrogatum , eo quòd Conc. id non prohibeat , ſed ſolùm dicit , *Ne Epiſcopi id patiantur :* Adeoque ante inhibitionem Epiſcopi , tali privilegio gaudent. Addi tamen hîc poteſt , quòd privilegium illud datum ſit religioſis poſt Conc. Trid. In quo proinde alii poterunt communicare. Hinc paſſim videmus , quòd religioſi ſua ſacella erigant in infirmitoriis. Hoc dicto privilegio gaudent Moniales , eo tamen dempto , quòd in infirmitoriis eorum non poſſint habere altaria ad celebrandum.

3. Privilegium eſt , ut regulares poſſint in ſuis domibus deputare oratoria privata , ubi per modum habitus poſſit fieri ſacrum. Neque hoc privilegium per Conc. Trid. eſt abrogatum , maximè quòd domus religioſæ & monaſteria non ſint loca privata , quod proinde etiam extendunt ad domus religioſas ſuburbanas.

Dicendum 4. Abbates tamen , etſi gaudeant pontificalibus , tamen non gaudent antedicto Epiſcoporum privilegio , eo quòd datum ſit ſolis Epiſcopis , etſi de cætero poſſint ſibi erigere ſacella , quatenus in privilegiis aliorum regularium communicant.

Dicendum 5. Oratoria ſæcularium ſtabilia ſolâ diſpenſatione Papæ poſſunt ſæcularibus condonari: dico *Stabilia* , quia ut patet ex ante dictis , poteſt Epiſcopus juſtâ de causâ hoc ſæcularibus concedere ſed non ut ibidem ſtabiliter celebrent. Varia tamen in ejuſmodi oratoriorum erectione ſunt obſervanda : Ad quorum meliorem intelligentiam notanda eſt formaBrevisPontificum hîcdari ſoliti,quod ſic ſonat.

Innocentius Papa XI. tibi N. Diœceſis Antverpienſis, qui ut aſſeris , de nobili genere procreatus exiſtis , ut in privato domûs tuæ ſolitæ habitationis Oratorio , ad hoc decenter murô extructo & ornato , ſeu extruendo & ornando , ab omnibus domeſticis uſibus libero , per ordina-

dinarium loci prius viſitando & approbando , ac de ipſius Ordinarii licentiâ , ejus arbitrio duraturâ , unam Miſſam pro unoquoque die dummodo in eadem domo celebrandi licentia , quæ adhuc duret alteri conceſſa non fuerit ; per quemcumque Sacerdotem ab eodem ordinario approbatum ſæculárem ; ſeu de ſuorum ſuperiorum licentiâ regularem , ſine tamen quorumcumque jurium parochialium præjudicio , ac Paſchatis , Reſurrectionis, Pentecoſtes , Nativitatis Domini N. Jeſu Chriſti , nec non aliis ſolemnioribus anni Feſtis Diebus exceptis , in tua & Familiæ tuæ , necnon hoſpitum tuorum nobilium præſentia , celebrari facere liberè & licitè poſſis & valeas , indulgemus. Non obſtantibus , &c.... Volumus autem , quòd Familiares ſervitiis tuis non neceſſarii ibidem miſſæ intereſſentes , ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſiâ Diebus Feſtis de præcepto minimè liberi cenſeantur. Datum Romæ , &c.

Notandæ ſunt ſingulæ clauſulæ , ac primò , ſi erraverit in perſonâ v.g. pro diœceſi *Antverpienſi* poſita eſſet *Mechlinienſi* , equidem valeret privilegium , eo quòd privilegia attendant merita perſonæ cujuſcumque ſtatûs , urbis ſit aut Provinciæ , niſi aliud expreſsè conſtet ; Adeòque error ille foret ſolùm materialis & accidentalis. Unde ſi privilegiatus mutet domicilium , poſſet eo ibidem uti , eo quod privilegium illud ſit perſonale , ſequens perſonam. *Nobilitas* autem hîc requiſita juxta DD. non debet eſſe rigoroſa & abſoluta , ſed ſatis eſt , ſi per aliquot generationes non exercuit privilegiatus artem mechanicam : Deinde ſufficit hîc nobilitas ex parte matris. Denique , uti praxis docet , non ita ſtrictè hæc qualitas in privilegiato deſideratur.

Debet inſuper privilegiatus privilegio ſuo uti in domo ſuæ ſolitæ habitationis : Unde in villâ non poſſet Sacellum erigi , uti poteſt ab Epiſcopis & aliis. Hoc tamen notandum eſt , quod capellæ & oratoria in curiis & domibus ſenatoriis ſint merè privata unde æquè ac aliæ indigent indulto Papæ.

De-

Debet etiam ſacellum muro eſſe extructum, & ab humanibus uſibus ſegregatum: unde graviter peccant, qui in talibus ſacellis dormiunt, commedunt, &c. Idque contra reverentiam loco ſacro debitam.

Debet quoque locus ille ab Ordinario aut ſuo delegato viſitari, & approbari, adeo ut ſi ordinarius locum illum indignum judicet, privilegium antè dictum non ſortiatur ſuum effectum.

Debet etiam unicâ Miſsâ privilegiatus eſſe contentus, exceptis quoque Feſtis in bullâ dictis, & aliis ſolemnioribus, qui juxta Gavantum in rubric. ſunt *Natalis Domini, Epiphania, Paſcha, Pentecoſtes, Annuntiatio & Aſſumptio D. Virginis, Feſtum SS. Petri & Pauli, Feſtum omnium Sanctorum.*

Neque poteſt eadem domus habere ſimile privilegium anteà datum, ne in unâ & eâdem domo ſint plura Oratoria. Aliud eſſet, ſi eſſet domus & familia moraliter diverſa, etſi phyſice eſſet eadem; uti in magnis ædibus quandoque fit.

Cavetur quoque, ne ullatenus fiat contra jura Parochialia, puta exigendo decimas, primitias, neque in Paſchate detur ibi S. Euchariſtia, in articulo mortis viaticum, &c. Additur ulteriùs, *In tua & familiæ tuæ præſentiâ*: Id eſt, qui obſequio & commenſalitate Domino domûs ſubſunt: Unde alii hîc Dominum domûs ſive patrem familias conſiderant ſemel ut patrem, & ſemel ut Dominum. Hinc uxor, pater, avus, abavus, filii, nepotes, uxores fratris, vir ſororis, famuli, ancillæ, & omnes qui de ſalario Domini ſuſtentantur, cenſentur hîc eſſe de familia. His annectuntur hoſpites advenæ & alii ad menſam invitati: alii recluduntur.

Poteſt autem privilegiatus, dum voluerit abnegare ſuum privilegium, Oratorium ſuum in uſus prophanos convertendo; & deſtruendo.

SECTIO VIII.

De Violatione Eccleſiæ.

Dicendum primò, Juxta rubricam, ſi violatio contingat ante canonem, debet Miſſa abrumpi, non item ſi fiat poſt Canonem. Solet autem Eccleſia violari. 1. Per voluntarium homicidium. 2. Per injurioſam ſanguinis effuſionem. 3. Per humani ſeminis effuſionem modo illicito. 4. Per ſepulturam excommunicati. 5. Per ſepulturam infidelis. 6. Quando Eccleſia comburitur, muri ejus deſtruuntur. Patet id ex variis juribus.

Dicendum 2. Homicidium illud, debet eſſe mortaliter malum, unde homicidium caſuale, factum in amentiâ, aut aliunde inculpabile, non violat Eccleſiam. Debet quoque Eccleſiæ eſſe injurioſum, quale eſſe poteſt homicidium aliàs licitum, v. g. ſi judex alium in Eccleſia occidat. Debet quoque cauſa mortis data eſſe in Eccleſiâ, unde ſi quis alterum lædat extra Eccleſiam, & alter in Eccleſiam fugiens, ibi moriatur, non violatur Eccleſia: uti etiam ſi quis in templo exiſtens, alium foris exiſtentem telo aut ſclopeto occidat.

Dicendum 3. Sanguinis effuſio debet hîc eſſe voluntaria, unde ſi ſit caſualis, naturalis ex abundantiâ ſanguinis, ſi ab amente, puero, &c. non violat Eccleſiam. Idem eſt, ſi fiat ob neceſſariam ſui defenſionem, ſi à medico ſecetur vena, incidatur ulcus, dum pueri mutuò naſum contundunt pugnando: debet autem effuſio illa eſſe aliquo modo copioſa: Item ſanguinis humani, neque ſufficit cadaveris, aut beſtiæ, quæ non ſunt homo.

Dicendum 4. Seminis effuſio debet quoque eſſe mortaliter mala & indirectè ſaltem voluntaria. Hinc copula maritalis facta tempore neceſſitatis in Eccleſiâ,

cleſiâ, non violat Eccleſiam, eò quòd Eccleſia non cenſeatur velle conſtringere conjuges, tali caſu ad abſtinentiam.

Dicendum 5. Sepultura excommunicati publici violat Eccleſiam: Unde ſi corpus ejus poſſit ab aliis ſecerni, debet exhumari & projici in locum prophanum. Quod etiam debet fieri cum interdicto ſepulto, etſi hujus ſepultura non violet Eccleſiam, cùm pœna dicat ſolùm de excommunicatis, non itidem de interdictis, neque pœnæ ſint extendendæ. Debet quoque excommunicatus ille fuiſſe denuntiatus, aliis neganda non eſt ſepultura; Et ratio eſt, quòd ratio juris, negandi ſepulturam, ſit illa, *Ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis.* Conſtat autem ex conſtitutione Martini V. *Ad evitanda*, quod excommunicatis non denuntiatis communicare poſſimus, de quo alibi egimus.

Huic additur ſepultura infidelis, quibus addit Eccleſiæ ſenſus pueros ſine Baptiſmo diſcedentes, eo quòd ſint negativè infideles, quatenus fide habituali carent, unde ut tales, illi à jure habentur, adeoque nec in Eccleſia ſepeliuntur.

Dicendum 6. Per parietum Templi deſtructionem deperditur Conſecratio non item benedictio, quæ inhæret pavimento, parietibus Conſecratio. Si verò vel ſola ſuperior cruſta parietum abradatur, perit Conſecratio, non itidem ſi parietes rurſum dealbentur, quia equidem manet ſubjectum Conſecrationis. Si verò Templo conſecrato adveniat pars magnitudine priorem Templi partem ſuperans, requiritur alia conſecratio: Aliud eſt, ſi ſit pars Templi adveniens minor, eo quod major pars ad ſe trahere cenſeatur minorem, quo caſu illa minor pars ab Epiſcopo debet ſolummodo aſpergi aquâ benedictâ.

Dicendum 7. Loca ſacra violationis dictæ capacia ſunt Templum conſecratum & benedictum, cho-

chorus, Odeum, cæmiterium benedictum, clauſtrum benedictum; capellæ infra pavimentum, fornices ad ſepulturam: non item oratoria privata, cubicula annexa templo ſacris officiis non deputata, non turris, non ſuperficies extera templi.

Si locus ſacer conſecratus, ſit violatus, debet reconciliari per Epiſcopum; ſi verò ſit benedictus tantùm, poterit & per ſimplicem Sacerdotem. Extendunt aliqui privilegium reconciliandi Eccleſiam etiam conſecratam, ad ſuperiores ordinum, datum à Leone X. bulla 6. apud Rodrig. maximè ſi Epiſcopus abſit aut obierit.

SECTIO IX.

De aliis Miſsæ defectibus.

DICENDUM primò, Cùm quivis ex gravi obligatione virtutis religionis, cavere debeat gravem irreverentiam rebus ſacris impendentem, dum id commodè poteſt; ſequitur quod quivis ſacerdos, debeat miſſam ab alio inchoatam ſupplere, ita tamen ut melius diſpoſiti hîc præferantur, v. g. jejuni non jejunis, &c. Si verò nullus ſacerdos hîc poſſit reperiri, debet hoſtia reponi in ſacrario, alio die ab alio ſacerdote ſumenda. Porro debet fieri ſuppletio, ab eo, ubi alter deſierat; item tam cito quàm moraliter loquendo fieri poſſit.

Dicendum 2. Si aliquid venenoſum v. g. aranea inciderit in calicem ante conſecrationem, debet calix effundi, & aliud vinum reſumi. Si vero poſt conſecrationem hoc fiat, debet illud extrahi, & reſervari ad combuſtionem. Si verò illo veneno extracto, maneat nauſea ſumendi ſanguinem, debet dari alteri magis reſoluto, qui ſi haberi nequeat, debet reponi in ſacrario, donec ſpecies corrumpantur. Aliud eſſet in illis, qui ex inſtinctu Spiritûs S.

totum calicem cum veneno vellet ſumere, uti fecit S. P. Norbertus, qui in cryptâ celebrans, araneam non modicæ corpulentiæ in calicem lapſam, vivâ fide ſumpſit unà cum ſanguine, de quo antea. Si muſca in calicem lapſa, ſanguine tincta avolet, ſi commodè ſine ſcandalo capi poſſit, erit capienda, abluenda, & comburenda: aliàs erit divinæ providentiæ tota res committenda. Si verò ſolùm tetigerit hoſtiam, nihil erit curandum.

Si hoſtia conſecrata decidat in calicem, debet in calice relinqui, & ſimul ſumi, dicendo, *Corpus & Sanguis Domini, &c.*

Si Hoſtia conſecrata ceciderit, in terram, tabulam, vel linteum, debent linguâ Sacerdotis lambi, locus radendus, & raſio mittenda in ſacrarium. Si verò ceciderit ſuper aram conſecratam, ſolùm debet lambi & ablui, non item radi. Secus ſi ſolùm ſit benedicta. Linteum verò debet ſuppoſito calice ablui, & ablutio in ſacrarium projici. Idem eſt de corporali, tapete, veſte ſacrâ vel non ſacrâ. Idem eſt, ſi ſanguis ceciderit in barbam, ſufficit trina lotio, non item abradi debet & comburi.

Si Hoſtia ceciderit intra pectus mulieris, debet honeſtiſſimè & quantùm ſine ſcandalo poſſit, inde extrahi, vel manibus Sacerdotis, ſi commodè poſſit, vel manibus mulieris, & Sacerdoti danda, qui eamdem mulieri tradat, & pectus mulieris lavandum: ita Doctores paſſim.

Si vero alibi inveniatur Hoſtia, de quâ dubitatur an ſit conſecrata, ſi dubium ſit fundatum, debet poni in loco decenti abſque ſolemnitate, & à Sacerdote ſumi poſt ſumptionem ſanguinis, vel deferri ad tabernaculum ſine ſtolâ, ſine nola, ſine lumine, & proximâ occaſione, uti dictum eſt, à Sacerdote ſumi.

Sectio X.

De Altari, ejus paramentis & tempore Miſſæ.

Dicendum primò, Quamdiu fuerunt Sacrificia & Sacerdotes, fuerunt & altaria olim erant ex ligno, marmore, & aliquando ex argento: modo ſolent eſſe lapidea. Eſt autem altare duplex, fixum & portatile: *fixum* eſt, quod ſtabiliter in templo baſi ædificatæ ſuperſtruitur. *Portatile* eſt, quod pro voluntate amovetur ad commoditatem præcipuè itinerantium. Debet autem utrumque altare eſſe ab Epiſcopo conſecratum, & tantæ capacitatis, ut commodè Hoſtiam ſimul cum pede Calicis poſſit continere. Amittunt autem altaria conſecrationem, fixum quidem ſi à ſua baſi amoveatur, aut ita frangatur: ut Hoſtiam ſimul cum Calice commodè capere deſinat, quod idem eſt dicendum de portatili. Reliquiæ verò altaribus omnibus annexæ non fuerunt, modò neceſſario debent altaribus imponi, ut poſſit verificari illa Sacerdotis oratio, *Oramus te Domine per merita Sanctorum quorum Reliquiæ hic ſunt.* *Altare.* *Fixum & Portatile.* *Reliquia.*

Dicendum 2. Ad paramenta neceſſaria Altaris requiruntur duæ mappæ & una duplex, & quidem omnes benedictæ: Vel una ſaltem duplicata, & altera groſſior propter lapidis humiditatem. Requiritur inſuper *Corporale* benedictum, idque ex lino puro; etſi extrèmitas ejus poſſit eſſe ſerica. Requiritur quoque *Palla*, quâ Calix coöperitur, quam ab inferiori ſaltem parte convenit eſſe lineam, à ſuperiori poteſt eſſe ſerica, aurea, &c. Olim corporale erat tam longum, quo ſimul Calix poterat tegi, quale apud Carthuſianos etiamnum eſt in uſu: Unde tunc pallâ non eſt opus. Palla verò non videtur debere eſſe benedicta, eo quòd neque Sangui- *Paramenta Altaris, mappa.* *Corporale.* *Palla.*

Purificatorium. nem neque Corpus Chriſti, immediate tangat. Requiritur inſuper purificatorium, quo Calix abſtergi *Miſſale.* debitè poſſit. Opus quoque eſt Miſſali, de quo alibi actum eſt: Neque ſine Miſſali ullatenus eſt cele- *Lumen.* brandum ob memoriæ lubricitatem. Sub mortali quoque exigitur lumen, quod ordinariè ſolet eſſe cereum, etſi ex aliquâ causâ poſſet aliquando eſſe ex oleo vel cevo. In templis quoque ante venerabile lumen ſit oportet, ſi non ex præcepto, ſaltem ex conſuetudine, ubi expenſæ id permittunt. Tamen non eſſe hanc conſuetudinem ita univerſalem patet ex praxi Eccleſiarum ruralium, vel ob penuriam, vel ob difficultates litigantium, quorum ſumptibus lumen illud deberet procurari, vel Eccleſiæ vel eorum qui decimas obtinent. Præſcribitur tamen lumen neceſſarium, dum S. Euchariſtia foras fertur, *Crucifixum* etſi iter longius ab ea lege excuſare videatur. Requiritur inſuper Crucifixi Chriſti imago, etſi non ex tam rigoroſo præcepto, ut eſſet per ſe mortalis ejus omiſſio.

Tempus celebrandi. Dicendum 3. Ex rubricis miſſalis conſtat tempus celebrandi eſſe ab aurorâ uſque ad meridiem. In Belgio tamen noſtro aliquandò duabus horis ante ſolis ortum in hyeme ſolet ſine ullo ſcrupulo celebrari quæ praxis Epiſcopis ſatis nota eſt, neque contradicunt. Poſt meridiem aliquantulum poſt celebrare juſtâ de causâ, non foret tam grave, etſi paſſim & ſine causâ poſt meridiem celebrare, juſtiſſimè à variis Belgii Epiſcopis ſit interdictum. Excipitur tamen nox Nativitatis, in quâ etiam ante ortum ſolis licet 3. miſſas ab uno ſacerdote celebrari.

SE.

SECTIO XI.

De Obligatione Sacerdotum celebrandi, & ſtipendio.

DICENDUM primò, Sacerdotem aliquando obligatum eſſe ad celebrandum, patet ex illo Chriſti mandato illis dato Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, in quibus verbis, juxta Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 1. Chriſtus Apoſtolis, eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent præcepit. Hinc idem Conc. ſeſſ. 23. c. 14. reform. ita ait; *Curet Epiſcopus, ut* (Sacerdotes) *ſaltem diebus dominicis & feſtis ſolemnibus: ſi autem curam animarum habuerint, tam frequenter, ut muneri ſuo ſatisfaciant, miſſas celebrent.* Unde patet implicitè ſaltem Sacerdotes omnes ſingulis diebus dominicis & feſtis debere celebrare, quâ ratione cap. *dolentes* de celeb. miſſ. graviter reprehenduntur Sacerdotes, qui vixdum quater in anno celebraverant. Tempora quoque celebrandi Religioſis, præſcribunt & limitant cujuſque Ordinis ſtatuta. *Obligatio celebrandi.*

Dicendum ſecundò. Parochi & alii curam habentes animarum, toties debent celebrare, quoties populus debet miſſam audire, ſive per ſe, ſive per alium: non tamen tenentur tunc ſemper miſſam offerre vel applicare populo, niſi conventio aut obligatio id exigeret: quod convenit illis, qui paucis miſſis gravati, lauta ſatis ſtipendia recipiunt, quod illorum conſcientiæ relinquendum eſt. Unde & addit Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 1. reform. *Cum præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro eis Sacrificium, &c.*

Et Sotus de jure, & Juſt. l. 9. q. 3. art. 1. ita ſcribit: *Parochi jure decimarum quotidie celebrare te-* *Quoties debeant celebrare Parochi.*

tempore ſubſequenti poſſent ſatisfacere, niſi forſan dantes ſtipendia, in talem dilationem conſentiant.

Anticipatio miſſarum. Dicendum 9. Poteſt Capellanus v. g. obligatus celebrare pro defunctis, illa ſacra anticipare, cum citius animæ illi ſatisfiet ſolutione anticipatâ. Si verò celebrare debeat pro vivis, non poterit illas Miſſas anticipare, eò quòd Sacrificium pro vivis offeratur, ut præſenti neceſſitati Deus ſuccurrat, vel ſatisfiat pœnis peccatis debitis: cui intentioni ſæpè non ſatisfit per anticipata ſacra, cùm tunc nondum aliquando adſit neceſſitas, & fructus Sacrificii ſuſpendi nequeat.

SECTIO XII.

An liceat uno die plures Miſſas celebrare.

Quot miſſas de die celebrare liceat. DICENDUM primò, cum Alexandro Pontifice Cap. *ſufficit* de conſec. diſt. 1. *Sufficit Sacerdoti unam miſſam in die unâ celebrare, quia Chriſtus ſemel paſſus eſt, & totum mundum redemit, & valde felix eſt, qui unam dignè celebrare poteſt. Quidam tamen unam pro defunctis faciunt, alteram de die, ſi neceſſe ſit. Qui verò pro pecuniâ aut adulationibus ſæcularium unâ die præſumunt plures celebrare Miſſas, non exiſtimo evadere damnationem.* Quam ultimam conceſſionem in uſu fuiſſe S. Alberto teſtatur Molanus 2. Maii.

Varia tamen excuſant à dicendâ unicâ dumtaxat miſsâ, v. g. conceſſio Eccleſiæ in die Nativitatis, quo die 3. miſſas celebrare licet, ob multitudinem beneficii eo die à Deo nobis præſtitam. Sic in Hiſpaniâ quandoque licitum erat in die animarum dicere plura ſacra. Hanc conceſſionem ſi alicui indulgeat Eccleſia alio tempore, id non facit, niſi urgenti de causâ: puta ne fideles miſsâ careant die feſto,

ne

ne aliqui illâ priventur ob templi arctitudinem, penuriam pecuniæ, ſacerdotum, &c. Unde Eccleſia concedens alteri talem poteſtatem concedendi ſcilicet poteſtatem binandi, ſemper addit, ne eam concedat niſi rarò, & urgentiſſimâ de causâ; quare in ſuis conſtitutionibus conformiter Illuſtriſſ. D. Caſtorienſis fol. 16. *Quamdvis*, ait, *animi puritate quis inſtructus, videatur, nequaquam tamen bis in die celebret, niſi ad hoc aut à Sede Apoſtolicâ, aut à nobis habuerit poteſtatem. Qui autem eam habent à Sede Apoſtolicâ, ſcire debent, quod eâ facultate uti non poſſint, niſi rariſſimè, & ex graviſſimis & urgentiſſimis cauſis, & niſi eæ cauſæ à Vicario Apoſtolico examinatæ & probatæ fuerint, & quidem in ſcriptis. Nec aliter iſta facultas conceſſa intelligi debet, quàm juxta moderationem ab ipſo Vicario Apoſtolico apponendam, cujus etiam Vicarii conſcientia oneratur, ut non niſi ex urgentiſſimis cauſis, & ad breve tempus eâ uti permittat, idque non omnibus indifferenter quibus facultas communicata, ſed paucis dumtaxat, eiſque maturioris prudentiæ, ac zeli, & qui abſolutè neceſſarii ſunt, nec pro quolibet loco, ſed ubi gravis neceſſitas tulerit, facultatem quoad hoc communicatam approbet; &c.* *Poteſtate binandi non eſt utendum niſi ex gravi cauſa.*

SECTIO XIII.

De obligatione Fidelium audiendi Miſſam.

Dicendum primò, cum cap. Miſſas de conſecr. d. 1. *Miſſas die Dominico ſæcularibus totas audire ſpeciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præſumat. Quod ſi fecerint, ab Epiſcopo publicè confundantur.* Unde patet, accedente Eccleſiæ totius ſenſu, eſſe peccatum mortale, diebus Dominicis & feſtis non audire ſacrum, niſi juſto impedimento quis excuſetur. Por- *Miſſa tota quando ſit audienda.*

Debet etiam ſacellum muro eſſe extructum, & ab humanibus uſibus ſegregatum: unde graviter peccant, qui in talibus ſacellis dormiunt, commedunt, &c. Idque contra reverentiam loco ſacro debitam.

Debet quoque locus ille ab Ordinario aut ſuo delegato viſitari, & approbari, adeo ut ſi ordinarius locum illum indignum judicet, privilegium ante dictum non ſortiatur ſuum effectum.

Debet etiam unicâ Miſsâ privilegiatus eſſe contentus, exceptis quoque Feſtis in bullâ dictis, & aliis ſolemnioribus, qui juxta Gavantum in rubric. ſunt *Natalis Domini, Epiphania, Paſcha, Pentecoſtes, Annuntiatio & Aſſumptio D. Virginis, Feſtum SS. Petri & Pauli, Feſtum omnium Sanctorum.*

Neque poteſt eadem domus habere ſimile privilegium anteà datum, ne in unâ & eâdem domo ſint plura Oratoria. Aliud eſſet, ſi eſſet domus & familia moraliter diverſa, etſi phyſice eſſet eadem, uti in magnis ædibus quandoque fit.

Cavetur quoque, ne ullatenus fiat contra jura Parochialia, puta exigendo decimas, primitias, neque in Paſchate detur ibi S. Eucharistia, in articulo mortis viaticum, &c. Additur ulteriùs, *In tua & familiæ tuæ præſentiâ*: Id eſt, qui obſequio & commenſalitate Domino domûs ſubſunt: Unde alii hîc Dominum domûs ſive patrem familias conſiderant ſemel ut patrem, & ſemel ut Dominum. Hinc uxor, pater, avus, abavus, filii, nepotes, uxores fratris, vir ſororis, famuli, ancillæ, & omnes qui de ſalario Domini ſuſtentantur, cenſentur hîc eſſe de familia. His annectuntur hoſpites advenæ & alii ad menſam invitati: alii recluduntur.

Poteſt autem privilegiatus, dum voluerit abnegare ſuum privilegium, Oratorium ſuum in uſus prophanos convertendo; & deſtruendo.

SE-

SECTIO VIII.

De Violatione Eccleſiæ.

Dicendum primò, Juxta rubricam, ſi violatio contingat ante canonem, debet Miſſa abrumpi, non item ſi fiat poſt Canonem. Solet autem Eccleſia violari. 1. Per voluntarium homicidium. 2 Per injurioſam ſanguinis effuſionem. 3. Per humani ſeminis effuſionem modo illicito. 4 Per ſepulturam excommunicati. 5. Per ſepulturam infidelis. 6. Quando Eccleſia comburitur, muri ejus deſtruuntur. Patet id ex variis juribus.

Dicendum 2. Homicidium illud, debet eſſe mortaliter malum, unde homicidium caſuale, factum in amentiâ, aut aliunde inculpabile, non violat Eccleſiam. Debet quoque Eccleſiæ eſſe injurioſum, quale eſſe poteſt homicidium aliàs licitum, v. g. ſi judex alium in Eccleſia occidat. Debet quoque cauſa mortis data eſſe in Eccleſiâ, unde ſi quis alterum lædat extra Eccleſiam, & alter in Eccleſiam fugiens, ibi moriatur, non violatur Eccleſia: uti etiam ſi quis in templo exiſtens, alium foris exiſtentem telo aut ſclopeto occidat.

Dicendum 3. Sanguinis effuſio debet hîc eſſe voluntaria, unde ſi ſit caſualis, naturalis ex abundantiâ ſanguinis, ſi ab amente, puero, &c. non violat Eccleſiam. Idem eſt, ſi fiat ob neceſſariam ſui defenſionem, ſi à medico ſecetur vena, incidatur ulcus, dum pueri mutuò naſum contundunt pugnando: debet autem effuſio illa eſſe aliquo modo copioſa: Item ſanguinis humani, neque ſufficit cadaveris, aut beſtiæ, quæ non ſunt homo.

Dicendum 4. Seminis effuſio debet quoque eſſe mortaliter mala & indirectè ſaltem voluntaria. Hinc copula maritalis facta tempore neceſſitatis in Eccleſiâ,

cleſiâ, non violat Eccleſiam, eò quòd Eccleſia non cenſeatur velle conſtringere conjuges, tali caſu ad abſtinentiam.

Dicendum 5. Sepultura excommunicati publici violat Eccleſiam: Unde ſi corpus ejus poſſit ab aliis ſecerni, debet exhumari & projici in locum prophanum. Quod etiam debet fieri cum interdicto ſepulto, etſi hujus ſepultura non violet Eccleſiam, cùm pœna dicat ſolùm de excommunicatis, non itidem de interdictis, neque pœnæ ſint extendendæ. Debet quoque excommunicatus ille fuiſſe denuntiatus, aliis neganda non eſt ſepultura; Et ratio eſt, quòd ratio juris, negandi ſepulturam, ſit illa, *Ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis.* Conſtat autem ex conſtitutione Martini V. *Ad evitanda*, quod excommunicatis non denuntiatis communicare poſſimus, de quo alibi egimus.

Huic additur ſepultura infidelis, quibus addit Eccleſiæ ſenſus pueros ſine Baptiſmo diſcedentes, eo quòd ſint negativè infideles, quatenus fide habituali carent, unde ut tales, illi à jure habentur, adeoque nec in Eccleſia ſepeliuntur.

Dicendum 6. Per parietum Templi deſtructionem deperditur Conſecratio non item benedictio, quæ inhæret pavimento, parietibus Conſecratio. Si verò vel ſola ſuperior cruſta parietum abradatur, perit Conſecratio, non itidem ſi parietes rurſum dealbentur, quia equidem manet ſubjectum Conſecrationis. Si verò Templo conſecrato adveniat pars magnitudine priorem Templi partem ſuperans, requiritur alia conſecratio: Aliud eſt, ſi ſit pars Templi adveniens minor, eo quod major pars ad ſe trahere cenſeatur minorem, quo caſu illa minor pars ab Epiſcopo debet ſolummodo aſpergi aquâ benedictâ.

Dicendum 7. Loca ſacra violationis dictæ capacia ſunt Templum conſecratum & benedictum, cho-

chorus, Odeum, cæmiterium benedictum, clauſtrum benedictum; capellæ infra pavimentum, fornices ad ſepulturam: non item oratoria privata, cubicula annexa templo ſacris officiis non deputata, non turris, non ſuperficies extera templi.

Si locus ſacer conſecratus, ſit violatus, debet reconciliari per Epiſcopum; ſi verò ſit benedictus tantùm, poterit & per ſimplicem Sacerdotem. Extendunt aliqui privilegium reconciliandi Eccleſiam etiam conſecratam, ad ſuperiores ordinum, datum à Leone X. bulla 6. apud Rodrig. maximè ſi Epiſcopus abſit aut obierit.

SECTIO IX.

De aliis Miſsæ defectibus.

DICENDUM primò, Cùm quivis ex gravi obligatione virtutis religionis, cavere debeat gravem irreverentiam rebus ſacris impendentem, dum id commodè poteſt; ſequitur quod quivis ſacerdos, debeat miſſam ab alio inchoatam ſupplere, ita tamen ut melius diſpoſiti hîc præferantur, v. g. jejuni non jejunis, &c. Si verò nullus ſacerdos hîc poſſit reperiri, debet hoſtia reponi in ſacrario, alio die ab alio ſacerdote ſumenda. Porro debet fieri ſuppletio, ab eo, ubi alter deſierat; item tam cito quàm moraliter loquendo fieri poſſit.

Dicendum 2. Si aliquid venenoſum v. g. aranea inciderit in calicem ante conſecrationem, debet calix effundi, & aliud vinum reſumi. Si vero poſt conſecrationem hoc fiat, debet illud extrahi, & reſervari ad combuſtionem. Si verò illo veneno extracto, maneat nauſea ſumendi ſanguinem, debet dari alteri magis reſoluto, qui ſi haberi nequeat, debet reponi in ſacrario, donec ſpecies corrumpantur. Aliud eſſet in illis, qui ex inſtinctu Spiritûs S. totum

totum calicem cum veneno vellet ſumere, uti fecit S. P. Norbertus, qui in cryptâ celebrans, araneam non modicæ corpulentiæ in calicem lapſam, vivâ fide ſumpſit unà cum ſanguine, de quo antea. Si muſca in calicem lapſa, ſanguine tincta avolet, ſi commodè ſine ſcandalo capi poſſit, erit capienda, abluenda, & comburenda: aliàs erit divinæ providentiæ tota res committenda. Si verò ſolùm tetigerit hoſtiam, nihil erit curandum.

Si hoſtia conſecrata decidat in calicem, debet in calice relinqui, & ſimul ſumi, dicendo, *Corpus & Sanguis Domini, &c.*

Si Hoſtia conſecrata ceciderit, in terram, tabulam, vel linteum, debent linguâ Sacerdotis lambi, locus radendus, & raſio mittenda in ſacrarium. Si verò ceciderit ſuper aram conſecratam, ſolùm debet lambi & ablui, non item radi. Secus ſi ſolùm ſit benedicta. Linteum verò debet ſuppoſito calice ablui, & ablutio in ſacrarium projici. Idem eſt de corporali, tapete, veſte ſacrâ vel non ſacrâ. Idem eſt, ſi ſanguis ceciderit in barbam, ſufficit trina lotio, non item abradi debet & comburi.

Si Hoſtia ceciderit intra pectus mulieris, debet honeſtiſſimè & quantùm ſine ſcandalo poſſit, inde extrahi, vel manibus Sacerdotis, ſi commodè poſſit, vel manibus mulieris, & Sacerdoti danda, qui eamdem mulieri tradat, & pectus mulieris lavandum: ita Doctores paſſim.

Si vero alibi inveniatur Hoſtia, de quâ dubitatur an ſit conſecrata, ſi dubium ſit fundatum, debet poni in loco decenti abſque ſolemnitate, & à Sacerdote ſumi poſt ſumptionem ſanguinis, vel deferri ad tabernaculum ſine ſtolâ, ſine nola, ſine lumine, & proximâ occaſione, uti dictum eſt, à Sacerdote ſumi.

Sectio X.

De Altari, ejus paramentis & tempore Miſſæ.

Dicendum primò, Quamdiu fuerunt Sacrificia & Sacerdotes, fuerunt & altaria olim erant ex ligno, marmore, & aliquando ex argento: modo ſolent eſſe lapidea. Eſt autem altare duplex, fixum & portatile: *fixum* eſt, quod ſtabiliter in templo baſi ædificatæ ſuperſtruitur. *Portatile* eſt, quod pro voluntate amovetur ad commoditatem præcipuè itinerantium. Debet autem utrumque altare eſſe ab Epiſcopo conſecratum, & tantæ capacitatis, ut commodè Hoſtiam ſimul cum pede Calicis poſſit continere. Amittunt autem altaria conſecrationem, fixum quidem ſi à ſua baſi amoveatur, aut ita frangatur: ut Hoſtiam ſimul cum Calice commodè capere deſinat, quod idem eſt dicendum de portatili. Reliquiæ verò altaribus omnibus annexæ non fuerunt, modò neceſſario debent altaribus imponi, ut poſſit verificari illa Sacerdotis oratio, *Oramus te Domine per merita Sanctorum quorum Reliquiæ hîc ſunt.* *Altare.* *Fixum & Portatile.* *Reliquia.*

Dicendum 2. Ad paramenta neceſſaria Altaris requiruntur duæ mappæ & una duplex, & quidem omnes benedictæ: Vel una ſaltem duplicata, & altera groſſior propter lapidis humiditatem. Requiritur inſuper *Corporale* benedictum, idque ex lino puro; etſi extrèmitas ejus poſſit eſſe ſerica. Requiritur quoque *Palla*, quâ Calix coöperitur, quam ab inferiori ſaltem parte convenit eſſe lineam, à ſuperiori poteſt eſſe ſerica, aurea, &c. Olim corporale erat tam longum, quo ſimul Calix poterat tegi, quale apud Carthuſianos etiamnum eſt in uſu: Unde tunc pallâ non eſt opus. Palla verò non videtur debere eſſe benedicta, eo quòd neque Sangui- *Paramenta Altaris, mappa.* *Corporale.* *Palla.*

Purificatorium. nem neque Corpus Chriſti, immediate tangat. Requiritur inſuper purificatorium, quo Calix abſtergi debitè poſſit. Opus quoque eſt Miſſali, de quo alibi actum eſt: Neque ſine Miſſali ullatenus eſt celebrandum ob memoriæ lubricitatem. Sub mortali quoque exigitur lumen, quod ordinariè ſolet eſſe cereum, etſi ex aliquâ causâ poſſet aliquando eſſe ex oleo vel cevo. In templis quoque ante venerabile lumen ſit oportet, ſi non ex præcepto, ſaltem ex conſuetudine, ubi expenſæ id permittunt. Tamen non eſſe hanc conſuetudinem ita univerſalem patet ex praxi Eccleſiarum ruralium, vel ob penuriam, vel ob difficultates litigantium, quorum ſumptibus lumen illud deberet procurari, vel Eccleſiæ vel eorum qui decimas obtinent. Præſcribitur tamen lumen neceſſarium, dum S. Euchariſtia foras fertur, etſi iter longius ab ea lege excuſare videatur. Requiritur inſuper Crucifixi Chriſti imago, etſi non ex tam rigoroſo præcepto, ut eſſet per ſe mortalis ejus omiſſio.

Miſſale. *Lumen.* *Crucifixum*

Tempus celebrandi. Dicendum 3. Ex rubricis miſſalis conſtat tempus celebrandi eſſe ab aurorâ uſque ad meridiem. In Belgio tamen noſtro aliquandò duabus horis ante ſolis ortum in hyeme ſolet ſine ullo ſcrupulo celebrari quæ praxis Epiſcopis ſatis nota eſt, neque contradicunt. Poſt meridiem aliquantulum poſt celebrare juſtâ de causâ, non foret tam grave, etſi paſſim & ſine causâ poſt meridiem celebrare, juſtiſſimè à variis Belgii Epiſcopis ſit interdictum. Excipitur tamen nox Nativitatis, in quâ etiam ante ortum ſolis licet 3. miſſas ab uno ſacerdote celebrari.

SE-

SECTIO XI.

De Obligatione Sacerdotum celebrandi, & ſtipendio.

Dicendum primò, Sacerdotem aliquando obligatum eſſe ad celebrandum, patet ex illo Chriſti mandato illis dato Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, in quibus verbis, juxta Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 1. Chriſtus Apoſtolis, eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent præcepit. Hinc idem Conc. ſeſſ. 23. c. 14. reform. ita ait; *Curet Epiſcopus, ut* (Sacerdotes) *ſaltem diebus dominicis & feſtis ſolemnibus: ſi autem curam animarum habuerint, tam frequenter, ut muneri ſuo ſatisfaciant, miſſas celebrent.* Unde patet implicitè ſaltem Sacerdotes omnes ſingulis diebus dominicis & feſtis debere celebrare, quâ ratione cap. *dolentes* de celeb. miſſ. graviter reprehenduntur Sacerdotes, qui vixdum quater in anno celebraverant. Tempora quoque celebrandi Religioſis, præſcribunt & limitant cujuſque Ordinis ſtatuta. *Obligatio celebrandi.*

Dicendum ſecundò. Parochi & alii curam habentes animarum, toties debent celebrare, quoties populus debet miſſam audire, ſive per ſe, ſive per alium: non tamen tenentur tunc ſemper miſſam offerre vel applicare populo, niſi conventio aut obligatio id exigeret: quod convenit illis, qui paucis miſſis gravati, lauta ſatis ſtipendia recipiunt, quod illorum conſcientiæ relinquendum eſt. Unde & addit Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 1. reform. *Cum præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro eis Sacrificium, &c.* *Quoties debeant celebrare Parochi.*

Et Sotus de jure, & Juſt. l. 9. q. 3. art. 1. ita ſcribit: *Parochi jure decimarum quotidie celebrare te-*

nentur pro ſuâ parœciâ, ſi modo fructus ſatis ſint ad ipſum alendum: ſin minus, pro eorum quantitate, vel ter, vel quater in hebdomadâ ad judicium Antiſtitis, quod tutius eſt, vel ad arbitrium prudentum: quotidie inquam, pro humanâ fragilitate: nam licet uno, vel altero die ceſſet, ſeu quia non ſe præſentiſcit idoneum, vel animi laxandi gratiâ, non ideo conſtituitur in culpâ. Quid ni etiam poterit ſubinde pro ſuis, & ſuorum amicorum neceſſitatibus offerre?

Stipendium miſſæ.

Dicendum 3. Solet Sacerdoti celebranti dari ſtipendium, non pro Sacrificio aut labore ejus intrinſeco ſed propriè pro ſuſtentatione aut eleëmoſyna: aliàs erit ſimonia ſtipendium dare vel accipere pro re ſpirituali aut illi annexa. Nullus tamen militat ſuis ſtipendiis umquam: & qui altario deſervit, de altario vivat. Stipendii taxam aliquando ſtatuunt Eccleſiæ præſules, attentis circumſtantiis loci, temporis, &c. Plus enim meretur, quàm commune ſtipendium, qui ad extremum urbis, Eccleſiam mediâ horâ diſtantem celebraturus accedere debet, quàm qui domi ſuæ celebrare conſtringitur: item plus meretur, qui Miſſam cantare debet, quàm legere: plus denique, qui certo tempore, perſonaliter, certis ritibus, v. g. pſalmis præviis, &c. Celebrare debet, quàm qui pro libitu, quando & per quos placet, celebrare poteſt.

Dicendum 4. Stipendia illa Epiſcopi taxare poſſunt conſideratis conſiderandis, adeò ut etiam ſtipendia fundationis, ſi ratione aliquorum ſint minora juſto, poſſint paucioribus miſſis accommodare, & reducere miſſarum numerum. Illud idem poſſunt Abbates & Generales Ordinum in ſuis capitulis generalibus: uti patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 21. c. 4. reform. ſic multorum obligationes paſſim videmus reductas, id exigentibus cauſis rationabilibus.

Dicendum 5. Capellanus v.g. qui quotidie per ſe celebrare debet aut ferè quotidie in certo loco, poteſt

poteſt uti rationabili epykiâ fundatâ in eo, quòd ſi contingat eum vel per menſem ægrotare, non debeat miſſas omiſſas ſuperaddere. Unde Synodus Mediolan. 7. tit. de miſſa, ita ſtatuit: *Si Capellanus ſaltem per annum functus ſit munere celebrandi in aliquo loco ſi etiam per menſem ægrotet, adhuc integram eleëmoſynam judicio Epiſcopi, accipere poteſt.* Si verò non debeat perſonaliter illa ſacra peragere, debet eadem per alios curare, ut fiant.

Dicendum 6. Debet Sacerdos, quantum poteſt, ſatisfacere ordinationi dantis ſtipendium, adeò ut debeat certo loco, horâ, miſſam determinatam celebrare, ſi ad illud ſit dantis ſtipendium intentio. Etſi autem ſit erecta capellania, v. g. ad honorem D. Virginis non debet ideò de illa ſemper dici Miſſa, ſed ſatis eſt, quòd Sacerdos ſe miſſali accommodet, niſi fundatio aliud requirat. Si verò fundatio nec locum, nec tempus, nec ſacra determinet, ſatis eſt, ſi Sacerdos fundatoribus Miſſam quocumque die, loco, &c. dictam, applicet.

Dicendum 7. Qui ſtipendia Miſſarum accipit ad 20. aſſes, v. g. non poteſt alium conducere, qui eas celebrat pro 10. ratio eſt, quòd etſi danti ſtipendium ſatisfiat à quocumque Miſſa celebretur, tamen eo quòd hæc praxis redoleat turpe lucrum, plane interdicitur, & noviſſimè per Urbanum VIII. bullâ; *cum ſæpè*, & alibi. Aliud docent plurimi, de eo qui beneficium habet, cui annexa eſt obligatio 6. miſſarum in ſeptimanâ, faciens fructus annuos ad 400. florenos: poterit inquam beneficiatus ille curare, ut fiant ab alio pro 150. florenis, eo quòd beneficiatus ſit dominus ſui beneficii, non item ille, qui ab aliquo ſtipendium majus accipit, & minori pretio alteri miſſas imponit.

Dicendum 8. Qui Miſſas, pro quibus ſtipendia accipit, nimium differt, graviter peccat. Unde quoque peccant illi, qui aliquando 100. imò 400. Miſſarum ſtipendia recipiunt, quibus non niſi longo *Dilatio miſſarum.*

tempore ſubſequenti poſſent ſatisfacere, niſi forſan dantes ſtipendia, in talem dilationem conſentiant.

Anticipatio miſſarum. Dicendum 9. Poteſt Capellanus v. g. obligatus celebrare pro defunctis, illa ſacra anticipare, cum citius animæ illi ſatisfiet ſolutione anticipatâ. Si verò celebrare debeat pro vivis, non poterit illas Miſſas anticipare, eò quòd Sacrificium pro vivis offeratur, ut præſenti neceſſitati Deus ſuccurrat, vel ſatisfiat pœnis peccatis debitis: cui intentioni ſæpè non ſatisfit per anticipata ſacra, cùm tunc nondum aliquando adſit neceſſitas, & fructus Sacrificii ſuſpendi nequeat.

SECTIO XII.

An liceat uno die plures Miſſas celebrare.

Quot miſſas de die celebrare liceat. DICENDUM primò, cum Alexandro Pontifice Cap. *ſufficit* de conſec. diſt. 1. *Sufficit Sacerdoti unam miſſam in die unâ celebrare, quia Chriſtus ſemel paſſus eſt, & totum mundum redemit, & valde felix eſt, qui unam dignè celebrare poteſt. Quidam tamen unam pro defunctis faciunt, alteram de die, ſi neceſſe ſit. Qui verò pro pecuniâ aut adulationibus ſæcularium unâ die præſumunt plures celebrare Miſſas, non exiſtimo evadere damnationem.* Quam ultimam conceſſionem in uſu fuiſſe S. Alberto teſtatur Molanus 2. Maii.

Varia tamen excuſant à dicendâ unicâ dumtaxat miſſâ, v. g. conceſſio Eccleſiæ in die Nativitatis, quo die 3. miſſas celebrare licet, ob multitudinem beneficii eo die à Deo nobis præſtitam. Sic in Hiſpaniâ quandoque licitum erat in die animarum dicere plura ſacra. Hanc conceſſionem ſi alicui indulgeat Eccleſia alio tempore, id non facit, niſi urgenti de cauſâ: puta ne fideles miſſâ careant die feſto,

ne

ne aliqui illâ priventur ob templi arctitudinem, penuriam pecuniæ, ſacerdotum, &c. Unde Eccleſia concedens alteri talem poteſtatem concedendi ſcilicet poteſtatem binandi, ſemper addit, ne eam concedat niſi rarò, & urgentiſſimâ de causâ; quare in ſuis conſtitutionibus conformiter Illuſtriſſ. D. Caſtorienſis fol. 16. *Quamdvis*, ait, *animi puritate quis instructus, videatur, nequaquam tamen bis in die celebret, niſi ad hoc aut à Sede Apoſtolicâ, aut à nobis habuerit poteſtatem. Qui autem eam habent à Sede Apoſtolicâ, ſcire debent, quod eâ facultate uti non poſſint, niſi rariſſimè, & ex graviſſimis & urgentiſſimis cauſis, & niſi eæ cauſæ à Vicario Apoſtolico examinatæ & probatæ fuerint, & quidem in ſcriptis. Nec aliter iſta facultas conceſſa intelligi debet, quàm juxta moderationem ab ipſo Vicario Apoſtolico apponendam, cujus etiam Vicarii conſcientia oneratur, ut non niſi ex urgentiſſimis cauſis, & ad breve tempus eâ uti permittat, idque non omnibus indifferenter quibus facultas communicata, ſed paucis dumtaxat, eiſque maturioris prudentiæ, ac zeli, & qui abſolutè neceſſarii ſunt, nec pro quolibet loco, ſed ubi gravis neceſſitas tulerit, facultatem quoad hoc communicatam approbet; &c.*

Poteſtate binandi non eſt utendum niſi ex gravi cauſa.

SECTIO XIII.

De Obligatione Fidelium audiendi Miſſam.

DICENDUM primò, cum cap. Miſſas de conſecr. d. 1. *Miſſas die Dominico ſecularibus totas audire ſpeciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præſumat. Quod ſi fecerint, ab Epiſcopo publicè confundantur.* Unde patet, accedente Eccleſiæ totius ſenſu, eſſe peccatum mortale, diebus Dominicis & feſtis non audire ſacrum, niſi juſto impedimento quis excuſetur. Por-

Miſſa tota quando ſit audienda.

ro auditio Miſſæ exigit, ut quis morali & religioſo modo Miſſæ interſit, quatenus intereſſe debet ad orandum, & ſacrificio coöperandum, non ex ſola curioſitate, &c. Unde miſſam non audiunt ut oportet, qui bonâ miſſæ parte ſabulantur, huc & illuc voluntariè divagantur, & illa agunt, quæ Religioſitati hîc requiſitæ repugnant.

Attentio audientis miſſam. Ad auditionem Miſſæ requiritur quoque attentio, ut ſaltem attendere ſufficienter poſſit, quid in Miſſa agatur: quo pacto non audiunt quoque miſſam, qui tempore Miſſæ dormiunt, & alia huic intentioni contraria peragunt.

Integritas miſſæ. Dicendum 2. Miſſa hæc debet audiri integra ſaltem ab Evangelio uſque ad communionem, quæ & propriè dicitur *Miſſa Fidelium.* Qui tamen vel alteri conſecrationi abeſſet, non audiret ſacrum, eo quòd in conſecratione Sacrificium Miſſæ eſſentialiter conſiſtat. Nec totam miſſam audit, qui unam partem unius Sacerdotis audit, aliam alterius ſuperaudit: uti nec ille, qui ſimul diverſas Miſſæ partes à diverſis Sacerdotibus dictas audit: unde illud nuperrimè condemnavit Eccleſia: *Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo ſacro, qui duas ejus partes: imò quatuor ſimul à diverſis celebrantibus audit.* Porro idem eſt, ſitne Miſſa ſolemnis, an privata, ut huic præcepto ſatisfiat.

Actiones cum auditione Miſſæ compatibiles. Dicendum 3. Licitum eſt, ſub miſsâ audiendâ legere horas, & pœnitentiam injunctam. Ratio eſt, quòd recitatio horarum, non modò non obſit intentioni & attentioni ad auditionem miſſæ requiſitæ, ſed eas juvet, quatenus attentionem in Dei cultum dirigit. Idem eſt de lectione pœnitentiæ.

Confeſſio. Variant tamen, an tempore miſſæ liceat confiteri. Pro quo notandum eſt, ſub miſsâ ſolemni pauco tempore confiteri, non impedire auditionem Miſſæ, modò non fiat ſub conſecratione: non enim video, quomodò ille qui confitetur, ſimul habere

habere poſſit debitam attentionem ad ea, quæ in ſacrificio peraguntur. Unde qui magnâ miſſæ parte confeſſioni inſiſtunt, præcepto audiendi ſacrum non ſatisfaciunt, quare aliam miſſam (ſi poſſunt) audire debent. Si verò non poſſint excuſantur, non ideò præcisè, quaſi obligationi audiendi miſſam ſatisfecerint, ſed quòd confeſſione neceſſariâ, tamquam juſto impedimento ab audienda miſſa excuſentur.

Dubitant quoque de collectoribus eleëmoſynarum tempore miſſæ, quos probabilior opinio excuſat, eo quòd illorum miniſterium, cum attentione debita ſufficienter ſtare poſſit, dum ad honorem Dei, & ſuſtentationem pauperum eleëmoſynas congerunt, & ſimul ſatis percipere poſſint, quid in ſacrificio fiat. Idem judicium ſit, de miniſtris miſſæ, ex choro quandoque abeuntibus, ut neceſſaria Miſſæ præparent & acquirant. *Collectio eleëmoſynæ.* *Exitus è choro, &c.*

Dicendum 6. Excuſant ab audiendo ſacro impotentia, quâ fit, ut alicui omninò, aut moraliter impoſſibile ſit, Miſſam audire, v.g. ſi quis graviter decumbat, qui mare navigant, qui ſunt in locis, ubi deeſt Sacerdotis copia, item qui ſine gravi damno aut periculo, Miſſæ intereſſe nequeunt, v.g. ſi timeatur periculum vitæ, recidiva morbi, aut aliud grave damnum, ſive in vitâ, ſive honore, ſive in bonis fortunæ: unde excuſantur, qui ſine periculo infamiæ Miſſæ intereſſe non poſſunt: ſi ad ſacrum accedant, domi prædones metuunt, &c. Quæ omnia prudenti judicio ſunt diſjudicanda. *Excuſantia ab auditione Miſſæ.* *Impotentia.*

Excuſat quoque lex charitatis, cui ſimul cum auditione Miſſæ ſatisfieri non poſſit, v.g. ſi quis ægro inſerviat, quem ſolum relinquere non poſſit: ſi occupetur extinguendo incendio, &c. Excuſat quoque ratio officii, cui ſatisfacere nequeunt ſimul audiendo Miſſam. Sic milites tempore Miſſæ excubiis & ſtationibus licitè inſiſtunt; ſic famuli in officinis ſuſoriis licitè tempore Miſſæ perſiſtunt ſuo operi, *Lex charitatis.* *Ratio officii.*

cum

cum fornace ſemel accenſâ, ex naturâ artis ad evadenda graviſſima damna, operi ſuo debeant neceſſariò & permanenter inſiſtere. De Paſtoribus ovium, aut jumentorum alia eſt ratio, cum vel poſſint tempore alterius Miſſæ, ſi plures alibi fiant alii ſubſtitui, vel non: ſi poſſint Heri alios ſubſtituere, omninò tenentur Paſtores illi ad audiendum ſacrum; aliàs ſi non poſſint alii ſubſtitui, ratione periculi gravis damni, aut etiam officii, poſſent tales excuſari. Hoc tamen circa dicta obſervandum eſt, quòd ſincerè conſiderandum ſit periculum damni, lex charitatis, &c. Et an illis aliter ſuccurri non poſſit, niſi omittendo Miſſam. Deinde, an obligatio vitandi damni, ſcandali, legis charitatis præponderet, legi audiendæ Miſſæ, conſiderando circumſtantias concurrentes, & juxta earumdem conſiderationem judicium ferendum.

Mercatores in partibus infidelium.

Dicendum 5. Qui ratione mercaturæ v. g. commorantur in partibus infidelium, ubi Sacerdotis copia deeſt, ſi juſtâ de cauſâ ibidem morentur, v. g. ad conſervanda bona temporalia, vel cauſâ publicæ utilitatis, excuſari poſſunt ab auditione Miſſæ. Si tamen ſatis commodè in illis partibus audire Miſſam poſſint (uti ſæpè fit) omninò obligantur: uti etiam ſi æquè commodè, in aliis Catholicorum partibus mercari poſſint, quo caſu omninò tenentur ſe eximere ab illis locis, ut Eccleſiæ præcepto ſatisfaciant, aliàs voluntariè illud prævaricari velle cenſerentur. Idem conformiter dicendum eſt, de ſervis & Ancillis ſervientibus Dominis hæreticis in hæreticorum partibus: qui ſi apud Catholicos æquè commoda ſervitia habere poſſint, omninò eo divertere obligantur, etſi ſalarium apud hæreticos aliquantò excedat aliud, cum nihil prodeſt univerſum mundum lucrari, & animæ ſuæ detrimentum ſuſtinere, nec dari poſſit commutatio pro animâ ſuâ.

APPENDIX.

De Sanctificatione Diei Feſti.

DICENDUM primò, Etſi præcipua feſti obligatio Miſſæ auditionem imponat, de qua egimus, tamen varia ſuperaddit; ac in primis abſtinentiam ab opere ſervili. Dicuntur verò opera ſervilia, quæ corporis commoditatibus inſerviunt, v. g. arare, ſutoriam agere, fabricare & alia opera mechanica. His adjunge mercari, & actus forenſes. Scribere verò, venari recreationis causâ, piſcari tali motivo, &c. Non cenſentur ſervilia. Si verò ejuſmodi principaliter ob quæſtum & lucrum fiant, ſervilia reputantur. *Opera ſervilia.*

Audi tamen quid de pictoribus dicat Exim. D. Molanus l. 2. de imag. c. 71. in admonitione ad pingentes: *Nullus pictorum temerario auſu attentet Dies Sacros pingendo prophanare, quaſi ei in die Feſto, ut ſcribere; ſic & pingere liceat. Audio enim quoſdam eo temeritatis veniſſe: Sed quia peccatum, dum negligitur ſuo pondere ad aliud trahit: Scio illos eoſdem paulò poſt Catholicæ fidei naufragium perpeſſos eſſe ..... Conſuetudo (Quæ ut Innocentius III. eſt optima legum interpres) hanc licentiam pictoribus non admittit, ut iſtis novatoribus merito objiei poſſit, quod eſt apud Eſdram:* QUÆ EST HÆC RES MALA, QUAM VOS FACITIS, ET PROPHANATIS DIEM SABBATHI? NUMQUID NON HÆC FECERUNT PATRES NOSTRI? ET ADDUXIT SUPER NOS OMNE MALUM HOC ET SUPER CIVITATEM HANC. ET VOS ADDITIS IRACUNDIAM VIOLANDO SABBATHUM. Hæc ille, cujus authoritati magis auſcultare malumus, quàm quibuſdam laxitatum patronis pictores illos excuſantibus. *An etiam pictores.*

Dicendum 2. Licitè ſervilia opera fieri poſſunt Diebus Feſtis, ratione cultûs divini, uti & ratione gravis *Quando ea exercere liceat.*

gravis neceſſitatis; Sic ſerviliter licitè laborant, in præparando neceſſaria ad Dei cultum; Etſi talia, ſi commodè poſſint, debeant quoque præveniri. Sic quoque ratione neceſſitatis, licitè coquus condit cibos, aurigæ vehunt viatores, obſeſſi foſſas faciunt, pugnant, &c. In dubio autem, an ſit ſufficiens cauſa eadem committendi, ſecurius aditur ſuperior, qui in illis juſtâ de causâ poterit diſpenſare. Hoc tamen uſu didici, in obſervantia feſtorum hæreticos noſtros, nos Catholicos ſæpè confundere & antecellere.

Dies feſtus ſanctificandus eſt, non prophanandus.

Dicendum 3. Etſi fideles aliis ritibus ſacris intereſſe non debeant, tamen peccant, ſi tali tempore ad tabernas, crapulas, choræas divertunt. Unde laudabiliter variæ regiones ſtrictè inhibent, ut tempore Miſſæ, veſperarum, laudis, &c. Officiorum divinorum, pocula miſceantur, aut tabernarii compotitores recipiant. Moderata recreatio poſt Officia perſoluta minimè eſt condemnanda, tamen ut olim dixit S. Cyrillus Alex. l. 8. in Joan. c. 5. *Quam plurimos Chriſtianorum Diebus Feſtis, aut ludis illiberalibus, crapulæ, choreis, aut aliis mundi vanitatibus deditos, cum Deo obſequium diligentius exhibere, cum Templa Dei frequentare, orationibus inſiſtere, atque Eccleſiaſtico officio intereſſe deberent, tunc maximè Deum ſuis diſſolutiſſimis moribus irritare. Id ne eſt ô Chriſtiani, celebrare diem Feſtum, indulgere ventri, & inconceſſis voluptatibus habenas laxare?.... Diebus ad exercenda ſervilia opera conceſſis, unuſquiſque ſuo intentus eſt operi, & abſtinet à crapulâ, ludis & vanitatibus: diebus autem Feſtis paſſim concurritur ad cauponam, ad ludos, ad ſpectacula, & choreas, in deriſionem divini nominis & diei prævaricationem.* Hæc ille.

Honeſta recreatio licita.

Quænam verò honeſta recreatio dici debeat, declarat S. Chryſoſt. Hom. 8. de reſur. ubi ait: *Ita Sanctorum Dierum Feſtivitas agi debet, ut relaxatione Corporum puritas non corrumpatur animorum, ſed potius abſti-*

abſtinentes ab omni luxu, ebrietate, laſcivia, dantes operam ſobriæ remiſſioni & Sanctæ ſinceritati, id efficere tentemus, ut quidquid tunc corporali abſtinentiâ non adipiſcimur, mentium puritate quæramus. Vide quæ alibi diximus de Choræis.

Dicendum 4. Feſtorum reverentiæ præjudicant, qui templa quidem adeunt, ſed ut ſe mutuo ſalutent, ne dicam ad libididem inflamment, qui ex curioſitate cantui Eccleſiaſtico ſolùm intendunt, qui velut in foro fabulas miſcent, &c. his ita intonat præfatus Doctor hom. 37. in Epiſt. ad Corinth, *Quid enim? Domus ad nugandum non habetis? Eccleſiam Dei contemnitis? Si quis eſt, qui modeſtus, qui tacitus eſſe velit, corrumpitis? atqui dicitis jucundum eſſe colloqui cum familiari. Eſto ſanè: non veto: ſed domi, ſed foris fiat. Eccleſia enim non diſſerendi, ſed diſcendi & orandi locus eſt.* Unde & Conc. Trid. ſeſ. 22. inter alia jubet actiones omnes ſæculares, vana atque prophana colloquia ab Eccleſiis eliminari. Videri quoque poteſt D. Chryſoſt. hom. 40. ad pop. digna lectu & ad rem noſtram appoſita. Sed hæc aliquando ſæculi noſtri perverſitas, ut aliquando tragediæ attentius & decentius interſint, quàm admirando huic ſacrificio: quo fit, ut quod omnibus eſt inſtitutum ad ſalutem, plurimis vergat ad ruinam.

Fabulæ in templo.

Dicendum 5. Sicuti tenetur Parochus diebus Dominicis & feſtis ſolemnibus plebem ſuam inſtruere ſalutaribus verbis: ita & ſubditi tenentur illis diebus eum audire. De obligatione illâ Parochi conſtat ex Conc. Trid. ſeſ. 5. c. 2. ubi ita dicitur: *Archipreſbyteri quoque Plebani, & quicumque Parochiales, vel aliàs curam animarum habentes, Eccleſias quocumque modo obtinent, per ſe vel alios idoneos, ſi legitimè impediti fuerint, diebus ſaltem Dominicis & Feſtis ſolemnibus plebes ſibi commiſſas pro ſua & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, docendo quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem.*

Quando tenentur ſubditi audire conciones.

Ne

Ne verò prætendat quiſpiam hîc non eſſe rigoroſum Eccleſiæ præceptum Parochis datum, videndum eſt quid ſequatur, dum addit continuò Concilium: *Id verò ſi quis eorum præſtare negligat, etiamſi ab Epiſcopi juriſdictione quâvis ratione exemptum ſe eſſe prætenderet: etiamſi Eccleſiæ quovis modo exemptæ dicerentur, aut alicui monaſterio, etiam extra diœceſim exiſtenti, forſan annexæ vel unitæ, modo reipſa in Diœceſi ſint, provida Paſtoralis Epiſcoporum ſollicitudo non deſit, ne illud impleatur, parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Itaque ubi ab Epiſcopo moniti 3. menſium ſpatio muneri ſuo defuerint, per cenſuras Eccleſiaſticas ſeu alias, ad ipſius Epiſcopi arbitrium cogantur, ita ut etiam, ſi ei ſic expedire viſum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id præſtet, honeſta aliqua merces perſolvatur, donec principalis ipſe reſipiſcens officium ſuum impleat.* Hucuſque Concilium.

Ex quibus clarè patet cujuſvis Parochi ſtricta obligatio, in primis per ſeipſos prædicare verbum Dei, niſi legitimè impediantur, juxta hoc quod ſtatuit idem Concilium ſeſ. 24. c. 12. ref. dicens: *Omnes verò divina per ſe & non per ſubſtitutos, compellantur obire officia.* Unde & S. Damaſc. Epiſt. 52 *Qui curam*, ait: *ſuſcipiunt animarum, ipſi miniſterium ſuum peragant, ipſi manipulos Domino repræſentent: nam ipſe ovem perditam diligenter quæſivit; ipſe invenit, ipſe propriis humeris reportavit. Quid nos miſeri & deſides dicturi ſumus, qui etiam pro ovibus nobis commiſſis curam impendere negligimus, & aliis eas educandas tradimus.* Ex quo patet, quomodo Parochi illi minimè ſatisfaciant ſuæ obligationi, qui totum prædicationis munus, vel vicariis, vel aliis relinquunt.

Patet ſecundò, Parochos omnes ad prædicationis munus diebus Dominicis & feſtis ſolemnioribus eſſe obligatos. Et quamquam Conc. Trid. pœnam dictam illis ſolùm imponat, qui 3. Menſium ſpatio

ſpatio muneri ſuo deſuerint: non ſequitur inde, quòd ſint immunes à gravi culpâ, qui infra dictum temporis terminum aliquando verba faciunt aut prædicant: eo quòd Eccleſia ſolùm illam pœnam apponat tali negligentiæ, tamquam craſſiori & intollerabiliori, prout ex appoſitis pœnis ſatis colligitur, quæ non niſi culpis enormibus ſolent apponi.

Hinc ex eodem Concilio ſequitur, quòd, qui vel unico die Dominico, vel feſto ſolemniori, ſine ullo legitimo impedimento, prædicare negligit, eſſe culpabilem & contraire conſtitutioni Eccleſiæ; quæ contrarium prorſus ſtatuit in eodem concilio. Quoties tamen graviter peccet differendo prædicationem Parochus, incertum eſt præciſè determinare. Regulam aliquam dat Bonacina de leg. 9. de obſervantia Sabb. puncto 2. §. 30. ubi rogat. *Quandonam mortaliter peccent Paſtores verbi Dei prædicationem prætermittentes*, & reſp. *toties peccare, quoties populus graviter indiget prædicatione.* Et infra: *Ego arbitror Paſtorem mortaliter peccare, ſi uno integro menſe continuo, aut etiam ſi duobus, vel tribus menſibus totius anni diſcontinuis non concionetur: Ratio eſt, quia hæc videtur materia gravis, non ſolùm ſecundùm ſe, ſed etiam reſpectivè.* Ita ille. Hoc interim verius videtur, quòd hic non poſſit regula tam generalis ſtatui, pro determinatione ejus, quando Parochus omittendo prædicationem mortaliter peccet: ſed potius conſiderandum eſt, an ſubiditi graviter indigeant inſtructione, prout alibi plus alibi minus accidit, & ex ea conſideratione penſari poterit gravitas obligationis prædicandi, & conſequenter gravitas ejus omiſſionis. Ex quo fieri poteſt, quòd quis gravius peccet, qui paucioribus vicibus, quam alius, prædicare negligit, ſi populus ejus inſtructione magis indigeat, quàm populus alterius.

Si tamen ad Sanctorum Patrum & Paſtorum exem-

exempla quis reſpicere velit, comperiet clariſſimè, eos inſtruendo populo ſemper fuiſſe intentiſſimos: ſic de S. Auguſtino legimus, *Verbum Dei uſque ad ipſam ſuam ægritudinem, impretermiſiſſe, & alacriter prædicaſſe*: Cujus hæc erat ſententia ſerm. 3. de commun. *Quamvis aſſiduè verbum Domini prædicamus, minus tamen reddimus, quàm debemus.* Hæc enim eſt obligatio Apoſtolica, de quibus legimus act. 5. *Omni die non ceſſabant in templo & circa domos, docentes & evangelizantes Chriſtum Jeſum.* Aliàs in hoc puncto negligentes attendant hanc S. Baſilii ſententiam quam tradit in reg. brev. interrog. 48. ubi ait: *Cui docendi munus commiſſum eſt, is ſi annunciare neglexerit, perinde ut homicida judicatur.* Quòd verò docendi munus Paſtoribus Commiſſum ſit, per ſe patet; quare S. Auguſt. Ep. 59. ad 9. qq. Paul. ad Eph. 4. in illud, *Dedit quoſdam quidem Apoſtolos ..... alios autem Paſtores & Doctores*, illos eoſdem putat *ut non alios Paſtores, alios Doctores eſſe intelligamus, ſed ideo cum prædixiſſet Paſtores, ſubjunxiſſe Doctores: Ut intelligerent Paſtores ad officium ſuum pertinere doctrinam.* Si ergo Paſtor annuntiare neglexerit, perinde ut homicida judicatur, juxta illud, *Si non paviſti, occidiſti*, paviſti, id eſt Verbo Dei, in quo vivit homo, non in ſolo pane.

Dicendum 6. Ex illa parochorum obligatione prædicandi diebus Dominicis & feſtis ſolemnioribus: ſequitur obligatio ſubditorum ad audiendum verbum Dei eodem tempore, quo debet prædicari. Hæ enim obligationes prædicandi & audiendi, ſunt reciprocæ: & ut ait Auguſt. ſerm. 1. de diverſ. *Par docentem & diſcentem cauſa conſtringit.* Fruſtra enim teneretur Parochus prædicare, niſi ſubditi tenerentur audire. Sicuti enim Malach. 2. dicitur, *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam*; ita & continuo additur, *& legem de ore ejus requirent.*

Obligationem hanc imponit illis idem Concilium ſeſ. 24. c. 4. ubi dicitur, *Moneat Epiſcopus populum dili-*

diligenter: teneri unumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe, ubi commodè id fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei. Ex quo clarè patet populum non impeditum legitimè, teneri ad audiendum verbum Dei, idque eo certè tempore, quo illud tenetur prædicare Parochus, puta diebus Dominicis & Feſtis ſolemnioribus, cum (uti dixi) obligationes illæ ſint reciprocæ & mutuæ.

Neque verum eſt, ut quidam ſomniant, concilium perto *teneri* ſolùm dare admonitionem, quid fieri conveniat, cujus planè contrarium docet Conc. Mediol. 6. tit. de Parochiis in admonit. de freq. Paroch. dum ita ſcribit: *Nuper S. Tridentina Synodus œcumenica ab Epiſcopis fideles, non ſolùm hoc moneri voluit; ut frequenter ad proprias Parochiales Eccleſias, ſaltem Dominicis diebus Feſtiſque accedant, ſed etiam illud diligenter oſtendit, unumquemque teneri, ubi commodè fieri poteſt, Parochiæ ſuæ intereſſe, ad audiendum verbum Dei, ac proinde id præterea ſtatuit à Parochis animarumque curatoribus inter Miſſarum ſolemnia, aliquid ex iis, quæ in Miſſa leguntur, exponi, & ſanctiſſimi illius Sacrificii myſterium aliquod explanari, plebes ſibi commiſſas ſalutaribus verbis paſci, eademque doceri, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem; in lege Domini erudiri, & ſancta eloquia illis explanari, tum in unaquaque Eccleſia Parochiali, pueros fidei rudimentis inſtrui.* Hactenus Concilium.

Ex quo ſatis colligitur ſtricta obligatio fidelium ad audiendum verbum Dei, ſaltem Dominicis feſtiſque diebus, ſi non ſint legitimè impediti. Imo antiquitus tam ſtricta erat hæc audiendi verbi Dei obligatio ab Eccleſia indicta, ut hæc fuerit Concilii Carthag. 4. conſtitutio: *Sacerdote Verbum faciente in Eccleſiâ, qui egreſſus de auditorio fuerit, excommunicetur.* Obligatio illa audiendi verbum Dei eo major eſt, quo verbum Dei magis neceſſarium eſt animæ ſpirituali educationi & conſervationi: nam ut ait Innoc. III. in Conc. Later. c. 10. *Sicut*

corpus materiali ſic anima ſpirituali cibo nutritur, eò quod non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Unde conſequenter rogat Cæſarius Arelat. hom. 26. *Si caro bis in die reficitur, quare moleſtum & ineptum judicet aliquis, ſi vel poſt 7. dies anima verbo Dei paſcatur?* Ubi & addit, quòd ſicuti agnelli ubera matrum inquietare non deſinunt: ita & populi Chriſtiani Sacerdotes, qui ſunt Eccleſiæ ubera, aſſiduâ debent interrogatione provocare. *Ut ſibi poſſint cibum ſalutis acquirere, & victum animæ ſuæ neceſſarium providere.* De quibus autem teneatur Parochus plebem ſibi commiſſam inſtruere, diximus agendo de fide.

FINIS.

NOMINI TUO DOMINE DA GLORIAM.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
PRÆCIPUARUM RERUM ET VERBORUM
TOMI TERTII.

A.

ABSTINENTIA *quid ſit.* Fol. 167
Adoratio quid ſit, & quinam ejus actus. 259. *Adoratio ſanctæ Crucis an licita & quomodo.* 267. & ſeq. *Adoratio Imaginum an ſit licita.* 271. & ſeq. *Quâ adoratione Imagines poſſint coli.* 276. *Adoratio externa ſine interna quid ſit.* 279
Altare quotuplex ſit & quomodo ſit præparandum ad Miſſam. 497
Ambitio quid ſit. 164
Antichriſtus quis & qualis erit. 292. *Necdum advenit.* ibid. *Ubi naſcetur, regnabit, &c.* ibid.

B.

BAptiſma quid ſit.* 327. *An poſſit aliquod Sacramentum ſuſcipi ante baptiſma.* ibid. *Baptiſma quandonam ſit inſtitutum.* 328. *Neceſſitas baptiſmi quanta ſit.* 329. *Etiam quoad parvulos.* 330. & ſeq. *Etiam adultis & quomodo.* 332. & ſeq. *Baptiſmus differri non poteſt pueris.* 335. *An differri poſſit adultis.* 337. *Quid ſi Catechumenus ante baptiſma moriatur.* 338. *Materia baptiſmi quid ſit.* 339. & ſeq. *Forma baptiſmi, quæ ſit.* 341. *An Apoſtoli ba-*

baptizarint in Nomine ſolius Chriſti. ibid. *Quænam pars in baptiſmo ablui debeat.* ibid. *Parvuli an ſint baptizandi.* 342. *An parvuli infidelium debeant baptizari.* 343. *Baptiſmus adultorum quid requirat.* 344. *Vagabundi quomodo baptizandi.* 345. *Baptiſma hæreticorum an ſit validum.* 346. *An liceat offerre baptizandum hæretico.* 347. *De ceremoniis baptiſmi.* ibid. & ſeq. *Patrinus baptiſmi, ejuſque obligatio.* ibid. & ſeq. *De ſubjecto capaci baptiſmi.* 355. *An puer in utero exiſtens poſſit baptizari.* ibid. *Monſtra quomodo baptizanda.* 356. *Baptiſmus an poſſit iterari.* ibid. *Quando liceat rebaptizare ſub conditione.* 357. & ſeq. *Expoſiti an ſint rebaptizandi.* 358. *Quis ſit Miniſter baptiſmi.* 359. *Quis ordinarius Miniſter baptiſmi.* 360. *Nemo poteſt ſe ipſum baptizare.* 361. *Effectus baptiſmi.* 362. *Differentia inter baptiſma Chriſti & Joannis.* 363. *Quomodo baptiſma Joannis fuerit in remiſſionem peccatorum.* 364. *Forma baptiſmi Joannis.* ibid. *Baptiſma flaminis quid ſit.* 365. *Baptiſma ſanguinis quid ſit.* 366. *Quis baptiſmus ex tribus ſit præſtantiſſimus.* 368. *Obligatio Chriſtiani orta ex baptiſmo.* 369. & ſeq.

Breviarii Romani qualis obligatio. 14. *Quinam alio Breviario, quàm Romano poſſint uti.* ibid. *Officia particularia, beatæ Mariæ, defunctorum quomodo obligent.* 15

C.

Cantus Eccleſiaſtici antiquitas. 16. *Olim erat magis ſubmiſſus.* 17. *Cantus Eccleſiaſtici utilitas.* 18. *Quomodo in Eccleſia ſit moderandus.* ibid.

Caſtitas religioſa quid importet. 112

Chriſtus fuit verus Homo. 211. *An aſſumpſerit morbos, & alios effectus.* 214. *An timuerit.* ibid. *In Chriſto an fuerit ira, admiratio, concupiſcentia.* 215. *Chriſti conceptio quomodo attribuatur Spiritui San-*

Sancto. 218. & ſeq.
Chriſti anima per quid facta ſit ſancta. 224. *In Chriſto quæ virtutes fuerint.* ibid. *An pœnitentia, an dona Spiritûs Sancti, an gratiæ gratis datæ.* 225.
Scientia Chriſti, quæ & quanta fuerit. 226. & ſeq.
Quomodo Chriſtus alios rogaverit. 228. *Poteſtas animæ Chriſti quanta fuerit.* ibid. & ſeq. *Duplex in Chriſto voluntas.* 230. *An humana ſemper fuerit conformis divinæ.* ibid. *Libertas Chriſti, & quomodo conſiſtat illa cum ejus impeccabilitate, viſione beatifica, & prædefinitione divina.* 231. & ſeq.
Chriſtus an & quomodo meruerit. 233. *Quænam meruerit Chriſtus.* 235. *Quibus meruerit.* 236. *Chriſtus ſatisfecit ſuo Patri condignè.* 238
Chriſtus quomodo pro omnibus ſit mortuus. 240. *Chriſtus quomodo fuerit ſubjectus legi.* 242. *An habuerit verum præceptum.* ibid.
Chriſtus quare legem ſervaverit. 243. *Quomodo erat ſubjectus Patri.* 244. *Quomodo ſit Filius Patris.* 245. *Chriſtus verè oravit.* ibid. *Oratio ejus quam efficax.* 246. *An in cœlis oret.* 247. *Chriſtus Sacerdos, & quomodo.* 248. *Eſt Sacerdos & Hoſtia.* ibid. *Quomodo ſe obtulit.* 249. *Chriſtus Rex eſt & Propheta.* 250. *Judex & Legiſlator.* 251. *Prædeſtinatio Chriſti qualis ſit,* ibid. *Circumciſio & baptiſma Chriſti.* 252. & ſeq. *Paſſio Chriſti an & quomodo neceſſaria.* 255. & ſeq. *An in Paſſione deſperaverit.* 257. *Chriſti humanitas an adoretur latriâ.* 260
Circumciſio ad quid ſit inſtituta. 325. *Non conferebat gratiam ex opere operato, bene tamen ex opere operantis.* 326. *Quare per* 40. *annos omiſſa fuerit in deſerto.* ibid.
Choreæ ruſticorum & aliorum an ſint licitæ. 183. & ſeq.
Communio quomodo olim dabatur. 451. *Quinam Communionis ſint capaces, an pueri, amentes, ſemifatui, energumeni, peccatores publici.* 452. & ſeq. *Quinam ſint hîc peccatores publici.* 453. *Diſpenſans Euchariſtiam in ſtatu peccati mortalis an peccet mortaliter.*

taliter. 454. *An Laïci communicare debeant ſub utraque ſpecie.* 457. *Communio intincta quæ ſit.* ibid. *Communio laïca ſive peregrina.* 458. *De frequenti Communione Laïcorum, & aliorum* 460. uſque ad 474.

Communicatio idiomatum quid ſit & quomodo fiat. 221. *Ejus origo.* ibid. *Modus communicandi idiomata.* 222.

Confirmatio quid ſit, & quandonam inſtituta. 372. *Ejus neceſſitas & utilitas.* 373. & ſeq. *Dicitur impoſitio manuum.* 376. *Materia ejus eſt Chriſma, & quid illud ſit.* ibid. & ſeq. *Ejus forma.* 378. *Ejus miniſter.* 379. *An pueri, amentes, energumeni poſſint confirmari.* 38. *Quando confirmatio debeat ſuſcipi.* ibid. *An debeat ſuſcipi jejunè, & prævià confeſſione.* 381. *Effectus & ceremoniæ confirmationis.* 382. & ſeq. *Obligatio Chriſtiani ex confirmatione.* 385

Cultus Imaginum an ſit licitus. 264

Cultus latriæ, duliæ, hyperduliæ quid ſit. 259

Cultus falſus quid ſit. 152. *Cultus ſuperfluus quid ſit.* ibid.

D.

DEcimæ quid ſint & quotuplices. 25. *Debentur Miniſtris Eccleſiæ ex juſtitia.* ibid. *Ex qua juſtitia debeantur.* 26. *An decimæ debeantur ex jure divino.* 27. *Eccleſia quid poſſit diſponere circa decimas. Quinam decimas dare debeant.* 29. *An pauperes, an Clerici, an hæretici.* 30. & ſeq. *Quibus dari debeant decimæ.* 31. *An etiam Laïcis.* ibid. *De quibus debeant dari decimæ.* 32. *Quando decimæ ſint ſolvendæ.* 33. *Pro quo dentur decimæ.* 34. *Quomodo decimæ ſint exigendæ.* 35. *Tenetur Parochus jus decimarum exactè obſervare.* 37. *Pœnæ non ſolventibus decimas.* ibid. *Benedictiones dantium decimas.* 38

Dæmon quid poſſit facere circa bona fortunæ, circa animam.

mam. 144. & ſeq. *An poſſit animas defunctorum revocare.* 145. *Quid dicendum de ſuccubis & incubis.* ibid. *De tranſlationibus ſagarum.* 146

E.

EBrietas quid ſit. 168. *Ejus malitia.* ibid. *Speciale vitium eſt in Superioribus, Sacerdotibus, Religioſis.* 169. *Quale vitium ſit provocare ad æquales hauſtus.* 170. *An aliquando liceat ſe inebriare.* 171. & ſeq. *Quandonam quis cenſeatur eſſe ebrius.* 172.

Eccleſiæ quomodo violentur, & quomodo debeant reconciliari. 493. & ſeq.

Euchariſtiæ Sacramenti dignitas. 386. *In quo ratio Euchariſtiæ ſita ſit.* ibid. *Quomodo verba ſint forma Euchariſtiæ.* 387. *Materia Euchariſtiæ eſt panis triticeus & vinum de vite. Et quænam illa ſint.* 388. & ſeq. *An panis ille neceſſariò debeat eſſe azymus.* 390. & ſeq. *Quale vinum requiratur ad materiam Calicis.* 392. & ſeq. *Quo jure aqua debeat vino admiſceri.* 395. *Quid illa admixtio ſignificet.* 369. *An aqua convertatur immediatè in ſanguinem.* ibid. *Materia quomodo debeat eſſe præſens Conſecranti.* 397. *Forma conſecrationis panis & vini quænam ſit.* 399. & ſeq. *Senſus utriuſque formæ quis ſit.* 401. *Transſubſtantiatio quid hic importet.* 402. *Quomodo Corpus Chriſti hic ſit præſens verè, realiter, & ſubſtantialiter.* 403 & ſeq. *Item* 407. *Quamdiu ſub ſpeciebus maneat hic Chriſtus.* 409. *Accidentia an hic maneant.* ibid. *Immutationes miraculoſæ in Euchariſtia.* 410. *Effectus Euchariſtiæ.* 311. & ſeq. *Neceſſitas Euchariſtiæ.* 413. *Præceptum Euchariſtiæ quos & quando obliget.* 414. & ſeq. *Euchariſtia eſt verum Sacrificium.* 418

F.

Feſtus dies quomomodo ſanctificandus. 507. *Quænam opera ſervilia eo die prohibeantur, & quænam cenſeantur opera ſervilia.* ibid. *Quomodo feſti dies prophanentur an eo die liceat honeſta recreatio.* 508. *An eo die teneantur audire concionem.* 509
Fortitudo quid ſit. 162. *Ejus motiva.* ibid. *Fortitudo Chriſtiana.* ibid. *Fortitudini repugnat timiditas & ignavia.* 164

G.

Gratitudo quid ſit. 156. *Officia gratitudinis.* 157. *Officia ingratitudis.* ibid. *Ingratitudo formalis quid ſit.* ibid.
Gula quid ſit & quot modis fiat. 167

H.

Horæ Canonicæ quid ſignificent. 6. *Quot ſint.* ibid. *Modus recitandi Horas ſtudioſè, & devotè quid importent.* 7. *Attentio ad Horas requiſita.* ibid. *Diſtractio in Horis Canonicis quando gravis.* 8. *Quinam ad Horas ſint obligati.* 10. & ſeq. *An etiam Moniales obligentur ad Horas privatim legendas.* 12. & ſeq. *Quænam excuſent à lectione Horarum.* 19. & ſeq.

I.

Idololatria quid ſit. 135. *Quotuplex ſit.* 136. *Eſt peccatum mortale.* ibid. *Jejunium Eccleſiaſticum & naturale.* 173. *Qualem cibum requirat jejunium. Quale tempus refectionis.* 174. *Excuſantia à jejunio, quæ ſint.* 175. & ſeq. *Quis poſſit diſpenſare in jejunio.* 177

Inanis gloria quid ſit. 164

Incarnatio Chriſti eſt poſſibilis. 196. *An poſſit probari ratione naturali.* 197. *Incarnationis congruentia.* ibid. *Fuit liberè facta.* 198. *Probatur contra varios eam eſſe factam.* 200. *Finis primarius & ſecundarius incarnationis.* 202. *An facta fuiſſet ſi homo non peccaſſet.* 205. *Incarnatio quomodo ſit ex culpa.* 207. *Incarnatio ob quale peccatum facta ſit.* ibid. *Sola Perſona Filii fuit incarnata.* 216. *Potuit tamen incarnari tam Pater, quàm Spiritus Sanctus.* ibid. *Conveniebat tamen Filium incarnari.* ibid.

Ignorantia invincibilis an detur quoad pollutionem, fornicationem, &c. 189. *An ex illa peccantes debeant poſtea iterare confeſſiones.* 190

Juramentum quid ſit. 115. *Eſt actus latriæ.* ibid. *Diviſiones juramenti.* ibid. *Juramentum eſt licitum & bonum.* 116. *Aliquando eſt præceptum.* 117. *Requiſita ad juramentum* ibid. *Quæ ſint comites juramenti.* 118. *Conſuetudo jurandi eſt mortaliter mala & quomodo.* 120. & ſeq. *Juramentum de opere malo nullum eſt.* 122. *Quale juramentum mutari poſſit in melius.* 123. *Juramenti promiſſorii obligatio.* 122. & ſeq. *Juramenta quomodo interpretanda.* 124. *Obligatio juramenti injuriâ extorti.* 125. & ſeq. *Juramentum doloſum & fictum.* 127. *Debet jurari ad mentem interrogantis.* 128. & ſeq. *Juramenta ſenatorum quomodo intelligantur.* 130. *An liceat exigere juramentum ab eo, qui creditur non rectè juraturus.* 131. *Obligatio juramenti quomodo tollatur.* 132. & ſeq.

L.

Luxuria quid ſit & quale peccatum. 178. *Quotuplex ſit.* ibid. *Fornicatio, ſtuprum, adulterium, raptus, inceſtus, ſodomia, beſtialitas, vitium contra naturam, pollutio, ſacrilegium, eorumque malitia.* 179. & ſeq. *Tactus, aſpectus, cantus.*

tus, picturæ impudicæ quæ ſint, & qualia peccata. 112 & ſeq. *In materia luxuriæ an detur parvitas materiæ.* 186

M.

MAgia quid ſit & quotuplex. 142. *Habet annexum pactum cum dæmone.* ibid. & ſeq. *Opera magica an ſint vera opera.* ibid.

Magnanimitas quid ſit. 163. *Ejus actus.* ibid.

Maleficium quid ſit & quotuplex. 149. *An liceat illud tollere.* ibid. & ſeq. *Undè cognoſci poſſit quod aliquis ſit maleficiatus.* 151

S. Maria, quo cultu ſit colenda. 286. *An ſit immaculatè concepta.* ibid. & ſeq. *Ejus prærogativæ.* 289. *Quomodo ſit ſpes noſtra & Advocata.* 290

Martyrium quid ſit, & quid ad illud requiratur. 366. & ſeq.

Mentalis reſtrictio eſt mendacium. 159. & ſeq.

Mendacium quid ſit. 158. *Ejus diviſio.* ibid. *Mentiri quale peccatum ſit.* ibid.

Meretricia publica an poſſint permitti in republica Chriſtiana. 192. & ſeq.

Miſſa quid ſit, & undè dicta. 421. *Ejus diviſio.* 422. *In qua parte Miſſæ conſiſtat eſſentia Sacrificii.* ibid. *Fructus Sacrificii Miſſæ ex opere operato quis ſit.* 425. *Quomodo Miſſæ Sacrificium ſit infiniti & finiti valoris.* 426. *Fructus Sacrificii generalis, ſpecialis & medius.* 427. *Miſſa oblata pro pluribus an ita proſit, ut pro ſingulis.* ibid. *Miſſalis rubricæ quæ ſint. Alia eſt præcepta, alia directiva.* 428. *Miſſæ partes aliæ ſtabiles, aliæ inſtabiles.* 429. *Expoſitio rubricarum à fol.* 431. uſque ad 451. *Miſſæ defectus quomodo ſint ſupplendi.* 476. uſque ad 487. *De aliis Miſſæ defectibus.* 495. *Sacerdotes quandonam teneantur celebrare Miſſam.* 499. *Quoties Parochi debeant celebrare Miſſam.* ibid. *Quomodo poſſint Sacerdotes accipere ſtipendium Miſſæ.* 500. *An liceat differre celebra-*

lebrationem Miſſæ. 501. An eas liceat anticipare. 502. An liceat uno die plures Miſſas celebrare. ibid. & ſeq. Quando & quomodo teneantur Fideles audire Miſſam. 503. & ſeq. Actiones quænam cum auditione Miſſæ compatibiles, & quænam incompatibiles. 504. & ſeq. Quænam excuſent ab auditione Miſſæ. 505

N.

Novitiorum Magiſter qualis eſſe debeat. 114

O.

Obedientia quid ſit. 156. Obedientiæ votum eſt aliis eminentius. 109. In quibus debeat Religioſus obedire, & non obedire. ibid. & ſeq. Quid ſi dubitet de validitate præcepti 111. Quid ſit obedientia formalis. 156

Obſervantia quid ſit. 155

Oratio quid ſit. 3. Ad eam requiruntur tres virtutes Theologicæ. ibid. Oratio ſpectat ad intellectum & voluntatem. ibid. Oratio mentalis & vocalis. ibid. Oratio publica & privata, implicita & explicita, infuſa & acquiſita. 4. & ſeq. Orationis neceſſitas. 5. Quando orandum. ibid. Quid, cui, & à quo ſit aliquid rogandum. 21. & ſeq. Oratio quomodo fiat in peccatum. 22. Orandum eſt in Templis. 24. Oratio ad omnia utilis eſt. ibid.

Ornatus laſcivus quid ſit, & quale peccatum. 185

Oſcula an & quænam ſint prohibita. 181

P.

Paupertas religioſa quid importet. 95. Poteſt ſimul ſtare cum poſſeſſione bonorum in communi. ibid. & ſeq. Paupertas quænam ſit dignior & perfectior. 97. Paupertas an ſit eadem omnium ordinum. 99. Quidnam veta-

violatur per votum paupertatis, quæ acceptio, quæ donatio, occultatio, &c. 100. & ſeq. Paupertatis violatio quando ſit gravis. 102. Paupertatis obligatio quando ceſſet ex licentia ſuperioris. 103. Qualis debeat eſſe illa licentia. 104. Religioſus quandonam debeat reſtituere ob violatum votum paupertatis. 105. & ſeq.

Pietas quid ſit & quibus debeatur. 153. & ſeq.

R.

RELIGIO quid ſit. 1. Quomodo differat à virtutibus Theologicis. ibid. Debet eſſe ex amore. ibid. Cultus Sanctorum etiam eſt actus religionis. 2. Religio interna & externa. ibid. Interna debet adeſſe externæ. ibid. Religionis actus qui ſint. ibid.

Reliogioſus ſtatus quid ſit, & quid ad eum requiratur. 77. & ſeq. Tenetur tendere Religioſus ad perfectionem, idque ſub mortali. 79. Vota ſolemnia an ſint requiſita ad ſtatum religionis. Religionum differentiæ. 81. Quæ ſit perfectior. ibid. Beginæ & Canoniſsæ an ſint Religioſæ. ibid. Religionis ingreſsus debet eſse liber & ſine ſimonia. 82. Religioſa profeſſio quid importet. 83. & ſeq. Religioſus poſt profeſſionem quando poſſit reclamare. 86. Religioſus an poſſit fidejubere. 107. An poſſit contrahere. ibid.

S.

SACRAMENTUM quid ſit. 294. Sacramentorum efficacia. ibid. Sacramenta veteris & novæ Legis, eorumque differentia. 295. Materia & forma Sacramentorum. 296. An & quomodo omnia Sacramenta à Chriſto ſint inſtituta. ibid. & ſeq. Immutatio materiæ & formæ Sacramentorum quot modis fiat. 299. Ritus Sacramentorum quam ſedulò adhibendi. 300.

Mini-

Miniſter Sacramentorum principalis eſt Deus. 301. *In Miniſtro Sacramentorum requiritur intentio faciendi quod facit Eccleſia, & quænam illa ſit.* ibid. & ſeq. *Intentio illa qualis eſse debeat abſoluta an conditionata.* 304. *Fides & probitas an in miniſtro requiſita.* 305. & ſeq. *Quomodo Sacramenta ab hæreticis collata dicantur aliquando eſse invalida.* 306. *An requiratur intentio in ſuſcipientibus Sacramentum.* 310. *Confeſſio quando requiſita ante ſuſceptionem Sacramenti.* 311. *An liceat conferre vel miniſtrare Sacramentum juxta opinionem probabilem.* 312. *Non licet ſimulare adminiſtrationem Sacramentorum.* ibid. *Efficacia Sacramentorum.* ibid. *Cauſant gratiam ex opere operato, & quidem phyſicè.* 313. & ſeq. *Quæ Sacramenta conferant primam, & quæ ſecundam gratiam.* 315. *Gratia Sacramentalis quæ ſit.* 316. *Character Sacramenti quid ſit.* ibid. *An Sacramenta conferant æqualem gratiam.* 317. *Quænam Sacramenta ſublato obice reviviſcant.* 318. *Sacramenta novæ Legis ſunt* 7. *qui numerus eſt conveniens.* 320. & ſeq. *An in omni ſtatu Sacramenta fuerint neceſſaria.* 323. *Quomodo Sacramenta ſint convenientia.* 324

Sacrificium quid ſit. 418. *Quomodo dividatur.* 419. *Poteſt ſoli Deo offerri.* ibid.

Sacrilegium quid ſit. 152

Sancti an poſſint invocari. 261. *Sancti an cognoſcant preces noſtras.* 262. *Cultus Sanctorum non obſtat cultui divino.* ibid. *à Sanctis rectè poſtulantur particularia bona, emittuntur illis vota, fiunt ad eos peregrinationes.* 279. & ſeq. *In veneratione Sanctorum & Imaginum quænam ſint obſervanda, & quæ vitanda.* 282

Sobrietas quid ſit. 167

Sortilegia quæ ſint. 141. *Sortes diviſoriæ, conſultoriæ, & divinatoriæ.* 141

Superſtitio quid ſit & quotuplex. 135. *Superſtitio divinatoria quid ſit.* 136. *Ejus diviſio.* 137. *Divinatio*

natio per ſomnia. 138. *Acromantia.* ibid. *Geomantia.* 139. *Phiſiognomia.* 140. *Vana obſervantia quid ſit, & unde cognoſci poſſit.* 146. & ſeq.

T.

Temperantia quid ſit. 165. *Ejus actus & regulæ.* ibid. *Intemperantia quid ſit.* 167. *Eſt vitium puerile.* ibid.

Tentatio Dei quid ſit. 153

Timiditas quid. 164

V.

Verbum quid aſſumpſerit, & an potuerit aſſumere naturam irrationalem. 210. *Quas partes.* 212. *An ſanguinem.* ibid. *Quos defectus humanos.* 113. & ſeq.

Veritas quid ſit. 158. *Ejus dignitas, neceſſitas & raritas.* ibid.

Unio hypoſtatica quid ſit. 208. *Non eſt realiter diſtincta ab extremis.* ibid. *Quomodo illa facta ſit in natura.* 209

Votum quid ſit. 39. *Quomodo differat à propoſito.* 40. *An ad votum ſufficiat promiſſio ſimulata.* ibid. & ſeq. *Simulatè vovere eſt peccatum.* 42. *Votum abſolutum & conditionatum, ſimplex, & ſolemne, liberum, & neceſſarium, perſonale, & reale, affirmativum, & negativum, temporale, & perpetuum, reſervatum, & non reſervatum.* 42. & ſeq. *Qualis deliberatio requiratur ad votum.* 43. *Qualis intentio requiratur.* 44. *Obligatio voti ſub dubio.* ibid. *Libertas requiſita ad votum.* 45. *Quinam error votum irritet.* 46. *Votum eſt actus religionis.* 47. *Quomodo tamen poſſit fieri Sanctis.* ibid. *Opus factum ex voto melius eſt, quàm non ex voto.* 48. & ſeq. *Voti materia debet eſſe poſſibilis, & quomodo.* 50. *Votum numquam peccandi an valeat.* 51. *Materia voti debet eſſe honeſta.* 52. *Poteſt*

Digitized by Google

teſt eſſe res præcepta. 53. *Debet eſſe de meliori bono.* 55. *Votum non vovendi, non petendi diſpenſationem.* 56. *Materia voti an poſſit eſſe res peccaminoſa, & quid de voto Jephte.* 57. *Quinam vovere poſſint.* 58. & ſeq. *Obligatio voti eſt in conſcientia.* 60. *Gravis eſt quando eſt in materia gravi.* ibid. *Quando votum obliget.* 62. *Obligatio voti eſt perſonalis de ſe.* 63. *Aliquando tamen tranſit ad hæredes.* 64. & ſeq. *Obligatio voti conditionalis & pœnalis.* 66. & ſeq. *Vota quomodo diſſolvantur.* 68. *Quomodo irritentur.* 69. *Quinam poſſint aliorum vota irritare.* 70. & ſeq. *Quinam poſſint in votis diſpenſare.* 72. *An etiam Regulares.* 74. *Quænam cauſa hîc diſpenſandi.* ibid. *Vota Pontifici reſervata.* 73. *Quid commutatio voti.* 75. *Quomodo fieri debeat in Jubilæo.* 76. *Voti ſolemnitas eſt ex jure Eccleſiaſtico.* 88. *Poteſt Pontifex in eo diſpenſare.* 89. & ſeq. *Votum caſtitatis in ſæculo eſt laudabile.* 94

Digitized by Google

E R R A T A.

Folio 107. *linea* 12. communitatem, *lege*, commoditatem.
Fol. 114. *lin. ult.* jux. *lege*, juxta.
Fol. 134. *lin.* 12. religioſis, *lege*, religioſius.
Fol. 144. *lin.* 29. eo, *lege*, ea.
Fol. 166. *lin.* 8. qui, *lege*, quid.
Fol. 168. *lin.* 1. coneiendo, *lege*, condiendo.
Fol. 225. *lin.* 7. §. 702. *lege*, §. 7.
Fol. 239. *lin.* 12. probabitur, *lege*, probatum eſt.
Fol. 275. *lin.* 17. adulterium, *lege*, adulterinum.
Fol. 287. *lin.* 7. aſſere, *lege*, aſſerere.
Fol. 302. *lin.* 12. facere debeat intendere, *lege*, debeat intendere facere.
Fol. 308. *lin.* 28. baptiſando, *lege*, baptiſatur.
Fol. 337. *lin.* 22. proſelytis, *lege*, Catechumenis.
Fol. 338. *lin.* 25. Auguſtinus, *lege*, Auguſtinum.
Fol. 378. *lin.* 25. Chriſmate, *lege*, chriſmare.
Fol. 383. *lin.* 8. Chriſti, *lege*, Chriſto.
Fol. 404. *lin.* 15. quod, *lege*, quot.
Fol. 462. *lin.* 22. diſpoſitione, *lege*, in diſpoſitione.
Fol. 477. *lin.* 5. avertat, *lege*, advertat.
Fol. 511. *lin.* 29. ſubiditi, *lege*, ſubditi.

Digitized by Google

Google

Digitized by Google

Digitized by Google